ARCANA COELESTIA

QUAE IN

SCRIPTURA SACRA

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

HIC QUAE IN

GENESI

UNA CUM MIRABILIBUS

QUAE VISA SUNT

IN MUNDO SPIRITUUM ET IN COELO ANGELORUM.

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG.

AD FIDEM EDIT. PRINCIP. 1749 ss. LONDINI EXCUSAE
DENUO CASTIGATIUS EDIDIT

D: JO. FR. IM. TAFEL.

PARTIS QUARTAE
VOL. I.
SEU TOTIUS OPERIS VOL. VI.

PROSTAT
TUBINGAE
IN BIBLIOPOLIO ZU - GUTTENBERG.
1838.

GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

4056. In Parte Tertia ante Capita XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX, explicata sunt, quae Dominus de Consummatione Saeculi seu Ultimo Judicio loquutus est, et praedixerat apud Matthaeum, Capite ibi XXIV, a Versu 8 usque ad 28; veniunt nunc explicanda, quae ibi ordine sequuntur; ante hoc Caput, quae Versibus 29. 30. 31, nempe haec Verba „ *Statim autem post afflictionem dierum istorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de Coelo, et potentiae coelorum commovebuntur. Et tunc apparebit signum Filii hominis in Coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum potentia et gloria multa: Et emittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos Ipsius a quatuor ventis, ab extremo coelorum usque ad extremum illorum.* "

4057. Quid Consummatio saeculi seu Ultimum Judicium prius explicatum est, quod nempe sit ultimum tempus Ecclesiae; ultimum ejus tempus dicitur, quando ibi nulla amplius charitas et fides; et quoque ostensum, quod tales Consummationes seu ultima tempora aliquoties exstiterint; Primae Ecclesiae Consummatio descripta est per Diluvium; Secundae Ecclesiae Consummatio per exstirpationem Gentium in terra Canaane, et quoque per exstirpationes et excisiones plures apud Prophetas; Tertiae Ecclesiae Consummatio non describitur in Verbo, sed praedicitur, quae fuit destructio Hierosolymae, et dissipatio Gentis Judaicae, apud quam Ecclesia fuit, in universum orbem; Quarta Consummatio est Ecclesiae hodiernae Christianae, quae a Domino apud Evangelistas, et quoque apud Johannem in Apocalypsi, praedicitur, et quae nunc instat.

4058. Actum est in illis quae praecedunt in hoc Capite apud Matthaeum, de successiva vastatione Ecclesiae, quod nempe primum non inciperent scire quid bonum et verum, sed litigarent de illis; secundo quod contemnerent illa; tertio quod non corde agnoscerent; quarto quod prophanarent; de his actum est in illo Capite a Vers: 3 ad 22; et quia adhuc permansurum Verum fidei, et bonum charitatis, in medio, seu apud quosdam qui electi vocantur, agitur de statu veri quod fidei, qualis tunc erit, a Versu 23 ad 28, et de statu boni quod est charitatis et amoris, in his Versibus qui nunc allati sunt; tum quoque de initio novae Ecclesiae.

4059. Ex singulis quae in his Versibus dicta sunt, manifeste patet, quod sensus internus sit, et quod absque illo sensu intellecto nequaquam sciri possit, quid involvunt, sicut quod sol obscurabitur, quod etiam luna, quod stellae cadent de Coelo, et quod potentiae coelorum commovebuntur; quod Dominus appariturus in nubibus coeli, quod Angeli sonabunt tuba, et sic congregabunt electos; qui non sensum internum horum verborum novit, credet quod talia eventura; imo quod periturus mundus cum omni quod apparet in universo; at quod non aliquis interitus mundi per ultimum Judicium sit intellectus, sed Ecclesiae consummatio seu vastatio quoad charitatem et fidem, videatur n: 3353, et manifeste patet a verbis quae sequuntur in eodem Capite apud Matthaeum „Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur: duae molentes, una assumetur, altera relinquetur," Vers: 40. 41.

4060. Quod itaque per illa verba, quae allata sunt, significetur status Ecclesiae tunc quoad bonum, hoc est, quoad charitatem erga proximum, et amorem in Dominum, constat ex sensu interno illorum verborum, qui hic „*Statim autem post afflictionem dierum istorum*, significat statum Ecclesiae quoad verum quod fidei, de quo in mox praecedentibus agitur; desolatio veri in Verbo passim vocatur afflictio; quod dies sint status, videatur n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785; inde patet, quod per illa verba significetur, postquam nulla amplius fides, quod nulla erit charitas; fides enim ducit ad charitatem, quia docet quid charitas, et charitas accipit suum quale a veris quae fidei, at fidei vera suam essentiam et suam vi-

tam a charitate, ut in Partibus quae praecedunt, pluries ostensum est. *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum*, significat amorem in Dominum qui est sol, et charitatem erga proximum quae est luna; obscurari et non dare lumen, significat quod non apparitura, ita quod evanitura; quod Sol sit coeleste amoris, et Luna spirituale amoris, hoc est, quod sol sit amor in Dominum, et luna charitas erga proximum quae per fidem, videatur n: 1053. 1529. 1530. 2120. 2441. 2495; causa quod illa significatio solis et lunae sit, est quia Dominus in altera vita apparet ut Sol illis in Coelo qui in amore in Ipsum sunt, qui coelestes vocantur, et ut Luna illis qui in charitate erga proximum sunt, qui spirituales dicuntur, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643. Sol et Luna in coelis, seu Dominus, nusquam obscuratur, nec amittit lumen, sed perpetuo lucet, ita nec amor in Ipsum apud coelestes, et charitas erga proximum apud spirituales in coelis, nec in terris apud quos angeli illi sunt, hoc est, qui in amore et charitate; sed apud illos qui in nullo amore et charitate sunt, sed in amore sui et mundi, et inde in odiis et vindictis, illi sibi ipsis obscurationem illam inducunt; se habet hoc sicut cum sole mundi, sol perpetuo lucet, sed cum nubes se interponunt, non apparet, videatur n: 2441. *Et stellae cadent de coelo*, significat quod peribunt cognitiones boni et veri; in Verbo per stellas, ubi nominantur, non aliud significatur, n: 1808. 2849. *Et potentiae coelorum commovebuntur*, significat fundamenta Ecclesiae, quae commoveri et concuti dicuntur, cum pereunt illa; Ecclesia enim in terris est fundamentum coeli, nam influxus boni et veri per coelos a Domino in bonis et veris, quae apud hominem Ecclesiae, ultimo terminatur, quare cum homo Ecclesiae in tali perverso statu est, ut non admittat amplius influxum boni et veri, tunc potentiae coelorum dicuntur commoveri; quapropter semper providetur a Domino, ut aliquid Ecclesiae remaneat, et cum Ecclesia vetus perit quod nova instauretur. *Et tunc apparebit signum Filii hominis in coelo*, significat tunc apparitionem Veri Divini, signum est apparitio, Filius hominis est Dominus quoad Verum Divinum, videatur n. 2803. 2813. 3704; haec apparitio, seu hoc signum est, de quo quaesiverunt discipuli, cum ad Dominum dicebant „Dic nobis, quando

ista fient, imprimis quodnam signum tui adventus, et consummationis saeculi, » Vers: 3, hujus Capitis; norunt enim ex Verbo, quod, cum consummaretur saeculum, Dominus venturus, et norunt ex Domino, quod iterum venturus, et intellexerunt per id, quod Dominus in mundum denuo veniret, nondum scientes, quod Dominus toties venerit, quoties Ecclesia vastata fuit; non quod in persona, sicut cum assumsit Humanum per nativitatem, et hoc Divinum fecit, sed per apparitiones vel manifestas, quales cum apparuit Abrahamo in Mamre, Mosi in rubo, populo Israëlitico in monte Sinai, Josuae cum intravit terram Canaanem; vel per non ita manifestas, ut per inspirationes, per quas Verbum; et dein per Verbum, in Verbo enim est Dominus praesens, nam omnia Verbi ab Ipso et de Ipso sunt, ut constare potest ex illis, quae multoties hactenus ostensa sunt; haec apparitio est, quae per signum Filii hominis hic significatur, et de qua in hoc Versu agitur. *Et tunc plangent omnes tribus terrae,* significat quod in dolore erunt omnes qui in bono amoris et vero fidei, quod planctus id significet, videatur apud Sachar: Cap: XII: Vers: 10. 11. 12. 13. 14; [1] et quod tribus significent omnia boni et veri, seu amoris et fidei, n: 3858. 3926, consequenter eos, qui in illis sunt; tribus terrae dicuntur, quia significantur qui intra Ecclesiam, quod terra sit Ecclesia, videatur n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2928. 3355. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coelorum cum potentia et gloria multa,* significat quod tunc revelabitur Verbum quoad sensum ejus internum, in quo Dominus; Filius hominis est Verum Divinum quod inibi, n: 2803. 2813. 3704, nubes est sensus literalis; potentia praedicatur de bono, et gloria de vero, quod ibi; quod illa significentur per videre Filium hominis venientem in nubibus coelorum, videatur Praefatio ad Cap: XVIII Genes: hic adventus Domini est, qui hic intelligitur, non autem quod apparitorus in nubibus secundum literam; nunc sequitur de instauratione novae Ecclesiae, quae fit cum vetus vastata et rejecta. *Emittet Angelos cum tuba et voce magna,* significat electionem, non quod per Angelos visibiles, minus per tubas, et per voces magnas, sed per influxum sancti boni, et sancti veri a Domino per Angelos, quare per Angelos in Verbo significatur aliquid Domini, n:

1925. 2821. 3039, hic significantur quae ex Domino, et de Domino; per tubam et vocem magnam significatur evangelizatio, ut quoque alibi in Verbo. *Et congregabunt electos a quatuor ventis, ab extremo coelorum usque ad extremum illorum,* significant instaurationem Ecclesiae novae; electi sunt qui in bono amoris et fidei, n: 3755 f. 3900; quatuor venti, a quibus congregabuntur, sunt omnes status boni et veri, n: 3708; extremum coelorum ad extremum illorum, sunt interna et externa Ecclesiae. Haec nunc sunt, quae significantur per illa verba Domini.

CAPUT XXXI.

1. Et audivit verba filiorum Labanis, dicendo, sumsit Jacob omnia quae patri nostro, et a quibus patri nostro, fecit omnem copiam hanc.

2. Et vidit Jacob facies Labanis, et ecce nullatenus is cum eo sicut heri nudius tertius.

3. Et dixit JEHOVAH ad Jacobum, revertere ad terram patrum tuorum, et ad nativitatem tuam, et ero cum te.

4. Et misit Jacob, et vocavit Rachelem et Leam agrum ad gregem suum.

5. Et dixit illis, video ego facies patris vestri, quod nullatenus is ad me sicut heri, nudius tertius; et DEUS patris mei fuit cum me.

6. Et vos scitis, quod in omni vi mea servivi patri vestro.

7. Et pater vester fefellit me, et mutavit mercedem meam decem modis, et non dedit ei DEUS ad malefaciendum mecum.

8. Si [2] sic dicebat, punctata erit merces tua, et pepererunt omnes greges punctata, et si sic dicebat, variegata erit merces tua, et pepererunt omnes greges variegata.

9. Et eripuit DEUS acquisitionem patris vestri, et dedit mihi.

10. Et factum in tempore incalescendi gregem, et sustuli oculos meos, et vidi in somnio, et ecce hirci ascendentes super gregem variegati, punctati, et grandinati.

11. Et dixit ad me Angelus DEI in somnio, Jacob, et dixi, ecce me.

12. Et dixit, tolle quaeso oculos tuos, et vide omnes hircos ascendentes super gregem variegatos, punctatos, et grandinatos, quia vidi omne quod Laban facit tibi.

13. Ego Deus Bethelis, quo unxisti statuam, quo vovisti mihi votum, nunc surge, exi e terra hac, et revertere ad terram nativitatis tuae.

14. Et respondit Rachel et Leah, et dixerunt ei, an amplius nobis portio et haereditas in domo patris nostri.

15. Annon alienae existimatae sumus ei, quia vendidit nos, et comedit etiam comedendo argentum nostrum.

16. Quia omnes divitiae, quas eripuit Deus a patre nostro, nobis illae et filiis nostris, et nunc omne quod dixit Deus ad te, fac.

17. Et surrexit Jacob, et sustulit filios suos, et foeminas suas, super camelos.

18. Et abduxit omnem acquisitionem suam, et omnem substantiam suam quam comparavit, acquisitionem emtionis suae, quam comparavit in Paddan Aram, ad veniendum ad Jischakum patrem suum terram Canaan.

19. Et Laban iverat ad tondendum gregem, et furata Rachel theraphim qui patri suo.

20. Et furatus Jacob cor Labanis Aramaei, per quod non indicavit ei, quod fugiens is.

21. Et fugit is, et omne quod ei, et surrexit, et transivit fluvium, et posuit facies suas montem Gilead.

22. Et indicatum Labani in die tertio, quod fugit Jacob.

23. Et accepit fratres suos secum, et persequutus post eum via septem dierum, et adjunxit eum in monte Gilead.

24. Et venit Deus ad Labanem Aramaeum in somnio noctu, et dixit ei, cave tibi ne forte loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum.

25. Et assequutus Laban Jacobum, et Jacob fixit tentorium suum in monte, et Laban fixit cum fratribus suis in monte Gilead.

26. Et dixit Laban Jacobo, quid fecisti, et furatus es cor meum, et abduxisti filias meas sicut captivas gladio.

27. Quare occultasti ad fugiendum, et furatus es me, et

non indicasti mihi, et miserim te in laetitia, et in canticis, in tympano, et in cithara.

28. Et non permisisti mihi osculari filios meos, et filias meas, nunc stulte egisti faciendo.

29. Sit Deo manus mea ad faciendum cum vobis malum, et Deus patris vestri nocte praeterita dixit ad me, dicendo, cave tibi a loquendo cum Jacobo a bono usque ad malum.

30. Et nunc eundo ivisti, quia desiderando desideravisti ad domum patris tui; quare furatus es deos meos.

31. Et respondit Jacob, et dixit Labani, quia timui, quia dixi, forte rapies filias tuas a mecum.

32. Cum quo invenis deos tuos, non vivet coram fratribus nostris, lustra tibi, quid mecum, et accipe tibi; et non scivit Jacob quod Rachel furata illos.

33. Et venit Laban in tentorium Jacobi, et in tentorium Leae, et in tentorium ambarum ancillarum, et non invenit, et exivit e tentorio Leae, et venit in tentorium Rachelis.

34. Et Rachel accepit theraphim, et posuit illos in stramento cameli, et sedit super illis, et contrectabat Laban omne tentorium, et non invenit.

35. Et dixit ad patrem suum, ne succenseatur in oculis Domini mei, quia non possum surgere a coram te, quia via foeminarum mihi, et scrutatus est, et non invenit theraphim.

36. Et succensuit Jacobo, et jurgatus est in Labanem; et respondit Jacob, et dixit Labani, quae praevaricatio mea, quod peccatum meum, quod insequutus es post me.

37. Quia contrectasti omnia vasa mea, quid invenisti ab omnibus vasis domus tuae, pone huc coram fratribus meis et fratribus tuis, et dijudicent inter ambos nos.

38. His viginti annis ego tecum, oves tuae et caprae tuae, non abortiverunt, et arietes gregis tui non comedi.

39. Discerptum non adduxi ad te, ego indemnificavi id, e manu mea requisivisti id, furatum die et furatum nocte.

40. Fui, in die comedit me aestus, et frigus in nocte, et expulsus somnus meus ab oculis meis.

41. His mihi viginti annis in domo tua servivi tibi, quatuordecim annis in duabus filiabus tuis, et sex annis in grege tuo, et mutavisti mercedem meam decem modis.

42. Nisi DEUS patris mei, DEUS Abrahami, et pavor Jischaki, fuisset mihi, quod nunc vacuum misisses me, miseriam meam, et fatigationem volarum mearum, vidit DEUS, et dijudicavit nocte praeterita.

43. Et respondit Laban, et dixit ad Jacobum, filiae filiae meae, et filii filii mei, et grex grex meus, et omne quod tu videns mihi hoc; et filiabus meis quid faciam illis hodie, aut filiis illarum quos pepererunt.

44. Et nunc ito, pangamus foedus ego et tu, et sit in testem inter me et inter te.

45. Et accepit Jacob lapidem, et erexit illum statuam.

46. Et dixit Jacob fratribus suis, colligite lapides, et acceperunt lapides, et fecerunt acervum, et comederunt ibi super acervo.

47. Et vocavit illum Laban Jegar Sahadutha; et Jacobus vocavit illum Galeed.

48. Et dixit Laban, acervus hic testis inter me et inter te hodie, propterea vocavit nomen illius Galeed.

49. Et Mizpah, quia dixit, spectet JEHOVAH inter me et inter te, quia latebimus vir a socio suo.

50. Si affligas filias meas, et si accipias foeminas super filias meas, nullus vir nobiscum, vide, DEUS testis inter me et inter te.

51. Et dixit Laban Jacobo, ecce acervus hic, et ecce statua quam erexi inter me et inter te.

52. Testis acervus hic, et testis statua, si ego non transibo ad te acervum hunc, et si tu non transibis ad me acervum hunc, et statuam hanc, ad malum.

53. DEUS Abrahami, et deus Nachoris judicent inter nos, DEUS patris eorum; et juravit Jacob in pavorem patris sui Jischaki.

54. Et sacrificavit Jacob sacrificium in monte, et vocavit fratres suos ad comedendum panem, et comederunt panem, et pernoctaverunt in monte.

55. Et mane surrexit Laban in matutino, et osculatus filios suos, et filias suas, et benedixit illis, et ivit, et reversus Laban ad locum suum.

CONTENTA.

4061. Agitur hic in sensu interno de separatione boni et veri, quae per Jacobum et ejus mulieres repraesentatur, a bono per Labanem significato, ut illa conjungerentur Divino ex stirpe Divina directa; tum de statu utriusque circa separationem.

SENSUS INTERNUS.

4062. Vers: 1. 2. 3. *Et audivit verba filiorum Labanis, dicendo, sumsit Jacob omnia quae patri nostro, et a quibus patri nostro fecit omnem copiam hanc. Et vidit Jacob facies Labanis, et ecce nullatenus is cum eo, sicut heri nudius tertius. Et dixit Jehovah ad Jacobum, revertere ad terram patrum tuorum, et ad nativitatem tuam, et ero cum te.* Audivit verba filiorum Labanis, dicendo, significat boni per Labanem significati vera, qualia respective ad bonum acquisitum inde in Naturali a Domino: sumsit Jacob omnia quae patri nostro, significat quod omnia boni per Jacobum nunc intellecti data ipsi sint inde: et a quibus patri nostro fecit omnem copiam hanc, significat quod Ipse sibi daret; et vidit Jacob facies Labanis, significat status mutationem apud bonum illud, cum recederet bonum per Jacob intellectum: et ecce nullatenus is cum eo sicut heri nudius tertius, significat statum prorsus mutatum erga bonum per Jacob significatum, a quo tamen nihil desumtum, quin haberet sua sicut prius, praeter statum quoad conjunctionem: et dixit Jehovah ad Jacobum, significat Domini perceptionem ex Divino: revertere ad terram patrum tuorum, significat quod nunc propius se conferret ad bonum Divinum: et ad nativitatem tuam, significat quod ad verum inde: et ero tecum, significat quod tunc Divinum.

4063. Audivit verba filiorum Labanis dicendo, quod significet boni per Labanem significati vera, qualia respective ad bonum acquisitum inde in Naturali a Domino, constat ex significatione filiorum quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533.

1147. 2623. 3337; et ex repraesentatione Labanis, quod sit bonum communis stirpis collaterale, de qua n: 3612. 3665. 3778, ita tale bonum quod inservire [possit] introducendis bonis, et veris genuinis n: 3974. 3982. 3986 f; hic quod inserviverit, nam agitur de separatione ejus; quod audiverit Jacob verba, involvit in sensu interno qualia essent respective ad bonum acquisitum in Naturali a Domino, ut constare potest a nunc sequentibus, nam indignationis erant, et dixerunt quod sumserit Jacob omnia quae patri illorum, et vidit Jacob facies Labanis, quod non sicut heri nudius tertius; quod Jacob repraesentet Naturale Domini, et in Capite praecedente bonum veri ibi, videatur n: 3659. 3669. 3677. 3775. 3829. 4009. Quomodo cum bono per Labanem significato respective ad bonum veri quod per Jacobum repraesentatur, se habet, constare potest ab illis quae in Capite praecedente dicta et ostensa sunt; illustrari hoc amplius potest per status regenerationis hominis, de quo etiam in sensu repraesentativo hic agitur; quando regeneratur homo, tunc in bono quodam medio tenetur a Domino, hoc bonum inservit bonis et veris genuinis introducendis, sed postquam haec bona et vera introducta sunt, tunc separatur inde; quisque, qui de regeneratione et de novo homine aliquid novit, capere potest, quod novus homo prorsus sit alius, quam vetus, est enim novus homo in affectione rerum spiritualium et coelestium, hae enim faciunt jucunda et beata ejus, at vetus homo est in affectionibus rerum mundanarum et terrestrium, et hae faciunt jucunda et amoena ejus; proinde novus homo spectat fines in coelo, vetus autem homo fines [3] in mundo; inde patet quod homo novus prorsus alius et diversus sit a veteri; ut homo perducatur a statu veteris hominis in statum novi, exuendae erunt concupiscentiae mundi, et induendae affectiones coeli; hoc fit per innumerabilia media, quae Soli Domino nota sunt, et quorum plura etiam nota sunt Angelis a Domino, at pauca si ulla homini; sed usque omnia et singula manifestata sunt in sensu interno Verbi; cum itaque homo a veteri homine fit novus, hoc est, cum homo regeneratur, non fit momento, ut aliqui credunt; sed per plures annos, imo per totam hominis vitam usque ad ultimam ejus; exstirpandae enim sunt concupiscentiae ejus et insinuandae affectiones coelestes, et vita donandus est

homo, quam prius non habuit, imo de qua prius vix aliquid novit; cum itaque status vitae ejus in tantum mutandi, non aliter potest, quam ut diu teneatur in bono quodam medio, nempe in bono quod tam participat de affectionibus mundi, quam de affectionibus coeli, et nisi in illo bono medio teneatur, nusquam admittit bona et vera coelestia; illud bonum, nempe bonum medium, est quod per Labanem et gregem ejus significatur; sed homo in bono illo medio non diutius tenetur, quam usque dum id inserviverit usui illi, cum autem inserviverat, tunc separatur; de separatione hac in hoc Capite agitur: quod bonum medium sit, et postquam hoc inserviverat usui, quod separetur, illustrari potest a status mutationibus, quas unusquisque homo subit ab infantia usque ad senectutem; notum est, quod alius status hominis sit in infantia ejus, alius in pueritia, alius in juventute, alius in adulta aetate, et alius in senectute; etiam notum est, quod homo statum infantiae cum ejus lusoriis exuat cum transit in statum pueritiae, et quod statum pueritiae exuat cum transit in statum juventutis, et hunc iterum cum transit in statum adultae aetatis, et demum hunc cum transit in statum senectutis; et si expendit, etiam ei notum esse potest, quod unaquaevis aetas sua jucunda habeat, et quod per illa successive introducatur in ea quae sunt sequentis aetatis, et quod illa jucunda inserviverint ei ad illuc perveniendum, et tandem ad jucundum intelligentiae et sapientiae in aetate senili; inde patet, quod priora semper relinquantur cum novus vitae status induitur: sed comparatio haec inservire solum potest ad sciendum, quod jucunda media sint, et quod ea relinquantur cum homo intrat statum sequentem, cum autem homo regeneratur, tunc fit status ejus prorsus alius a priori, ad quem non naturali modo ducitur sed supernaturali a Domino; nec ad illum statum aliquis pervenit, nisi per regenerationis media, quae a Solo Domino providentur, ita per bonum medium, de quo actum est; et cum ad illum statum perductus est, usque ut non amplius pro fine habeat mundana, terrestria et corporea, sed illa quae coeli sunt, tunc bonum illud medium separatur; pro fine habere est amare unum prae altero.

4064. Sumsit Jacob omnia quae patri nostro, quod significet quod omnia boni per Jacobum intellecti data ipsi sint inde,

nempe a bono illo medio, constare potest absque explicatione; at quod non data ei sint inde, patet a sequentibus; sunt filii Labanis, qui id dixerunt.

4065. Et a quibus patri nostro fecit omnem copiam hanc, quod significet quod Ipse sibi daret, constat a significatione facere copiam, quod sit sibi dare; praedicatur enim in sensu supremo de Domino, qui nusquam aliquid boni et veri ab alio sumsit, sed a Semet Ipso; inserviverat quidem Ipsi bonum aliud pro medio, quod cognationem habuit etiam cum materno, Laban enim, per quem illud bonum significatur, erat frater Rebeccae quae mater Jacobi, sed per medium illud sibi comparavit illa, per quae Naturale suum propria potentia Divinum fecit; aliud est, ex medio aliquid sibi comparare, et aliud per medium; per medium sibi comparavit, quia natus est homo, et a matre haereditarium traxit quod expellendum, non autem ex medio, quia conceptus a Jehovah, a Quo Divinum Ipsi, quare sibi Ipsi dedit omnia bona et vera, quae Divina fecit; ipsum enim Divinum nullius indiget, ne quidem boni illius medii, nisi voluerit ut omnia secundum ordinem fierent.

4066. Et vidit Jacob facies Labanis, quod significet status mutationem apud bonum illud, cum recederet bonum per Jacob intellectum, constat ex repraesentatione Jacobi, quod sit bonum Naturalis, et a repraesentatione Labanis, quod sit bonum medium, de quibus saepius prius; et a significatione facierum, quod sint interiora, de qua n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573, hic mutationes interiorum, seu quod idem, mutationes status; dicitur enim, vidit facies ejus et ecce nullatenus is cum eo sicut heri nudius tertius. Causa quod interiora per facies in Verbo significentur est quia interiora elucent ex facie, et se sistunt in facie, sicut in speculo aut in imagine, inde facies seu vultus significant status cogitationum, et status affectionum.

4067. Et ecce nullatenus is cum eo sicut heri nudius tertius, quod significet statum prorsus mutatum erga bonum per Jacob significatum, a quo tamen nihil desumtum, quin haberet sua sicut prius, praeter statum quoad conjunctionem, constare potest ex eo, quod nullatenus is cum eo sicut heri nudius tertius, sit status prorsus mutatus erga Jacobum, hoc est, erga bonum per Jacob significatum; et ex illis quae praecedunt, quod

Labane, hoc est, a bono per Labanem significato, nihil desumtum, quin haberet sua sicut prius. Ut comprehendatur, quomodo cum bonis et veris apud hominem se habet, revelandum est quod vix alicui notum est; scitur quidem et agnoscitur, quod omne bonum et omne verum a Domino; et quoque agnoscitur a quibusdam, quod influxus sit, sed talis ut homo non sciat; at quia non scitur, ad minimum non agnoscitur corde, quod circum hominem sint spiritus et angeli, et quod internus homo sit in medio eorum, et sic regatur a Domino, parum id creditur tametsi dicitur: sunt societates innumerabiles in altera vita, quae dispositae et ordinatae sunt a Domino secundum omnia genera boni et veri, et societates quae in opposito sunt, secundum omnia genera mali et falsi; usque adeo, ut non detur aliquod genus boni et veri, nec aliqua species illius generis, ne quidem aliqua differentia specifica, quae non habent societates angelicas tales, seu quibus non correspondent societates angelicae; et vicissim, ut non detur aliquod genus mali et falsi, nec aliqua species illius generis, ne quidem aliqua differentia specifica, quibus non correspondent societates diabolicae; in talium societate est unusquisque homo quoad interiora sua, hoc est, quoad cogitationes [et] affectiones, tametsi hoc nescit, omne quod homo cogitat et vult est inde, usque adeo, ut si ei societates spirituum et angelorum, in quibus est, auferrentur, momento illo nullius cogitationis et nullius voluntatis esset, imo momento illo occumberet plane mortuus; talis est status hominis, quamvis ille credit quod ex seipso omnia habeat, et quod nec infernum nec coelum sit, aut quod infernum sit longe remotum ab illo, et quoque coelum. Insuper bonum apud hominem, apparet ei sicut simplex quoddam aut sicut unum, sed usque est tam multiplex, et constat ex tam variis, ut nusquam explorare possit, quoad solum communia; similiter se habet cum malo apud hominem: quale autem bonum est apud hominem, talis societas angelorum est apud illum, et quale malum est apud hominem, talis societas spirituum malorum est apud eum; homo sibi ipsi adsciscit societates, seu semet ipsum ponit in societate talium, nam simile simili associatur, ut pro exemplo, qui avarus est is adsciscit societates similium qui in tali cupiditate sunt; qui amat se prae aliis, et contemnit alios, is adsciscit similes[;] qui in vin-

dictis jucundum habet, is tales qui in simili jucundo sunt, ita in reliquis, communicant illi cum inferno, in medio illorum homo est, et regitur prorsus ab illis, usque adeo ut non sit sui juris sed illorum, tametsi putat ex jucundo quod ei, et inde libero, quod semet ipsum regat; qui autem non avarus est, aut qui non amat se prae aliis et non contemnit alios, et qui non in vindictis jucundum habet, in societate Angelorum similium est, et per illos ducitur a Domino, et quidem per liberum ad omne bonum et verum ad quod se duci patitur; et sicut ad bonum interius et perfectius se duci patitur, ita perducitur ad societates angelicas interiores et perfectiores; mutationes status ejus non aliud sunt, quam mutationes societatum: quod ita se res habeat, constat mihi ex continua nunc plurium annorum experientia, ex qua mihi hoc tam familiare factum est, sicut quoddam familiare apud hominem ab infantia ejus. Ex his nunc constare potest, quomodo se habet cum regeneratione hominis, et cum jucundis et bonis mediis, per quae homo a statu veteris hominis perducitur ad statum novi hominis a Domino, quod nempe hoc fiat per societates angelicas, et per mutationes illarum; bona et jucunda media non aliud sunt quam societates tales, quae homini applicantur a Domino, ut per illas introduci possit ad bona et vera spiritualia et coelestia; ad quae cum perductus est, tunc separantur illae societates, et interiores ac perfectiores adjunguntur: per bonum medium quod per Labanem significatur et per separationem boni illius, de qua in hoc Capite agitur, non aliud intelligitur. [4]

4068. Et dixit Jehovah ad Jacobum, quod significet Domini perceptionem ex Divino, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 1781. 1815. 1819. 1822. [5] 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3395. [6] 3509; quod Jehovah sit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 1793. 2921. 3023. 3035; inde patet quod per dixit Jehovah significetur perceptio Domini ex Divino.

4069. Revertere ad terram patrum tuorum, quod significet, quod nunc propius se conferret ad bonum Divinum, constat a significatione terrae patrum, quod hic sit bonum Divinum, quia praedicatur de Domino, terra enim nempe Canaan, significat Regnum Domini, n: 1607. 3481, et in supremo sen-

su Divinum Humanum Domini, quia Hoc influit et facit Regnum Ipsius, n: 3038. 3705, et quod pater sit bonum, n: 3703; et quia nunc comparata sunt bona et vera, per quae Dominus Divinum faceret Naturale, quae repraesentata sunt per commorationem Jacobi apud Labanem, et per acquisitiones ibi, inde sequitur, quod per reverti ad terram patrum sit propius se conferre ad bonum Divinum.

4070. Et ad nativitatem tuam, quod significet quod ad verum inde, constat ex significatione nativitatis, quod sit verum quod ex bono; omne enim verum nascitur ex bono, non aliunde est origo ejus, verum enim dicitur quia est boni, et quia confirmat id ex quo est, hoc est, bonum, inde significatio nativitatis hic; quod nativitates sint fidei, videatur n: 1145. 1255; et quod parere sit agnoscere fide et actu, n: 3905. 3915.

4071. Et ero tecum, quod significet quod tunc Divinum, constat ex eo, quod Jehovah loquutus, et per Jehovam intelligitur Dominus, ut supra n: 4068, ita Divinum; esse cum illo, in quo est, seu qui est illud, est Divinum; sensus supremus, qui de Domino, talis est, ut appareat divisum in sensu literae, sed est unum in sensu interno supremo.

4072. Vers: 4 ad 13. *Et misit Jacob et vocavit Rachelem et Leam agrum ad gregem suum. Et dixit illis, video ego facies patris vestri, quod nullatenus ad me sicut heri nudius tertius; et Deus patris mei fuit cum me. Et vos scitis, quod in omni vi mea servivi patri vestro. Et pater vester fefellit me, et mutavit mercedem meam decem modis, et non dedit ei Deus ad malefaciendum mecum. Si sic dicebat, punctata erit merces tua, et pepererunt omnes greges punctata; et si sic dicebat, variegata erit merces tua, et pepererunt omnes greges variegata. Et eripuit Deus acquisitionem patris vestri, et dedit mihi. Et factum in tempore incalescendi gregem, et sustuli oculos meos, et vidi in somnio, et ecce hirci ascendentes super gregem variegati, punctati, et grandinati. Et dixit ad me Angelus Dei in somnio, Jacob, et dixi, ecce me. Et dixit, tolle quaeso oculos tuos, et vide omnes hircos ascendentes super gregem variegatos, punctatos, et grandinatos, quia vidi omne, quod Laban facit tibi. Ego Deus Bethelis, quo unxisti statuam, quo vovisti mihi votum, nunc surge, exi e terra hac, et revertere*

ad terram nativitatis tuae. Misit Jacob et vocavit Rachelem et Leam agrum ad gregem suum, significat adjunctionem affectionum veri a bono per Jacobum nunc intellecto, et applicationem tunc cum discederit: et dixit illis, video ego facies patris vestri, quod nullatenus is ad me sicut heri nudius tertius, significat status mutationem in bono per Labanem significato: et Deus patris mei fuit cum me, significat quod a Divino omnia quae Sibi: et vos scitis, quod in omni vi mea servivi patri vestro, significat quod ex propria potentia: et pater vester fefellit, et mutavit mercedem meam decem modis, significat statum [7] boni ad Se, cum ex Se Ipso applicaret illa quae boni istius, et plurimam mutationem ejus: et non dedit ei Deus ad malefaciendum mecum, significat quod usque non impedire potuerit: si sic dicebat, punctata erit merces tua, et pepererunt omnes greges punctata, significat liberum ejus, et quod in libero ejus sumerentur illa a Domino, haec quoad mala adjuncta bonis: et si sic dicebat, variegata erit merces tua, et pepererunt omnes greges variegata, significat eadem quoad falsa adjuncta: et eripuit Deus acquisitionem patris vestri, et dedit mihi, significat quod illa ex Divino: et factum in tempore incalescendi gregem, significat affectionis ardorem ut conjungerentur: et sustuli oculos meos, et vidi in somnio, significat perceptionem naturalis boni in obscuro: et ecce hirci ascendentes super gregem variegati, punctati et grandinati, significat effectum quod bonum naturale per Jacob intellectum talibus inde imbueretur: et dixit ad me Angelus Dei in somnio, Jacob, et dixi, ecce me, significat perceptionem ex Divino, et praesentiam in statu illo obscuro: et dixit, tolle quaeso oculos tuos, significat advertentiam ex proprio: et vide omnes hircos ascendentes super gregem variegatos, punctatos, et grandinatos, significat quod talia introducerentur: quia vidi omne quod Laban facit tibi, significat proprium boni per Labanem significati, non tale ut ex se: Ego Deus Bethelis, significat Divinum in naturali: quo unxisti statuam, significat ubi bonum veri, et terminus: quo vovisti mihi votum, significat sanctum: nunc surge, significat elevationem: exi e terra hac, significat separationem a bono illo: et revertere ad terram nativitatis tuae, significat conjunctionem cum Divino bono veri.

4078. Et misit Jacob, et vocavit Rachelem et Leam, agrum ad gregem suum, quod significet adjunctionem affectionum veri a bono per Jacobum nunc intellecto, et applicationem tunc cum discederet, constat a repraesentatione Jacobi, quod sit bonum naturalis, de qua saepius prius; et a repraesentatione Rachelis et Leae, quod sint affectiones veri illi bono adjunctae, Rachel affectio veri interioris, et Leah affectio veri externi, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; quod mittere ad illos et vocare agrum ad gregem suum, sit adjungere sibi, patet; ager significat illa quae boni sunt, et ubi bonum n: 2971. 3196. 3310. 3317; et grex ipsa bona et vera, quae nunc acquisita sunt, quibus affectiones veri per Rachelem et Leam intellectae applicarentur, cum discederet: Jacob in hoc Capite repraesentat bonum Naturalis, quod propius accederet ad conjunctionem cum Divino, n: 4069, quia in procinctu se separandi fuit, et in separatione, a bono per Labanem significato, videatur de Jacobo n: 3775; repraesentationes enim se habent secundum mutationes status quoad bonum et verum, ac mutationes status secundum mutationes spirituum et angelorum qui in tali bono et vero sunt, secundum illa quae supra n: 4067, dicta sunt: cum societates spirituum et angelorum, quae in bono medio sunt, recedunt, tunc societates novae accedunt, quae in perfectiori bono sunt; status hominis prorsus se habet secundum societates spirituum et angelorum, in quorum medio est, talis est ejus voluntas et talis ejus cogitatio; sed mutationes ejus status se prorsus aliter habent, cum ipse sibi societates illas adsciscit, seu ipse se illis adjungit, et aliter cum societates illae adjunguntur ei a Domino; cum ipse se illis adjungit, tunc est in malo; cum autem ei adjunguntur a Domino, tunc est in bono; cum in bono, tunc per societates illas influit tale bonum, quale inservit ejus vitae reformationi: quae hic in sensu interno dicuntur de bono per Jacobum repraesentato, de affectionibus veri, quae sunt Rachel et Leah, et de applicatione harum cum discederet a bono per Labanem significato, se prorsus ita ad vivum cum societatibus et earum mutationibus habent; ex illis Angeli percipiunt status qui apud hominem sunt, ita ejus bona et vera, qualia sunt; proinde innumerabilia, quae homini vix ut unum commune apparent; inde Angeli sunt in ipsis causis, nam socie-

tates illas vident et percipiunt, homo autem in effectibus, et non illas videt, sed modo obscure percipere potest per aliquas status mutationes, quae sunt inde; et nihil quoad bonum et verum, nisi illustretur per Angelos a Domino.

4074. Et dixit illis, video ego facies patris vestri, quod nullatenus is ad me, sicut heri nudius tertius, quod significet status mutationem in bono per Labanem significato, constat ex illis, quae supra n: 4067, dicta sunt, ubi eadem verba.

4075. Et Deus patris mei fuit cum me, quod significet quod a Divino omnia quae sibi, constat ex eo, quod Deus patris, cum praedicatur de Domino, sit Divinum quod Ipsi; et quod fuit cum me, sit quod inde omnia quae Sibi. Dominus, cum Humanum in Se Divinum fecit, etiam societates spirituum et angelorum circum se habuit, nam voluit ut secundum ordinem omnia fierent: sed Sibi Ipsi adscivit, quales inservirent, et sicut beneplacuit, mutavit illas; at ex illis nihil boni et veri sumsit, et sibi applicuit, sed ex Divino; sic etiam in ordinem redegit et coelum et infernum, et hoc successive, usque dum se plene glorificavit: quod societates spirituum et angelorum inservire potuerint usui, et usque nihil ab illis desumserit, illustrari potest ab exemplis; Societates quae tales sunt, ut credant bonum esse a se, et inde in bonis meritum ponunt, inserviverant usui, ad introducendum se in scientiam de tali bono, et inde in sapientiam de bono absque merito, quale est quod ex Divino; illa scientia, et inde sapientia non fuit ex illis societatibus, sed per illas: sint quoque pro exemplo, societates quae multum se sapere credunt, et tamen de bono et vero ratiocinantur, et de singulis num ita sit, tales societates sunt pleraeque spiritualium; inserviverant usui ad introducendum se in scientiam de illis, et quantum in umbra sunt respective, et nisi Divinum misereretur eorum, quod perirent, et in plura quae ex Divino, quae non fuerant ex illis, sed per illas: Sint adhuc pro exemplo societates, quae in amore in Deum sunt, et credunt si Infinitum intuentur, et absconditum Deum colunt, quod in amore in Ipsum possint esse, cum tamen non sunt, nisi infinitum illud aliqua idea finitum faciant, aut absconditum Deum visibilem apud se, per ideas intellectuales finitas, sistant, quia alioquin foret intueri in caliginem, et amore amplecti id quod

ibi, ita plura inconcinna et incondita secundum cujusvis ideas; tales quoque inserviverant usui, ad introducendum in scientiam de interioribus illorum qualia essent, tum de amore illorum qualis, et quoque in miserationem, et quod nec salvari possent, nisi Humanum Domini quoque Divinum fieret, in quod intuerentur; haec sapientia nec fuit ex illis, sed per illas ex Divino: similiter se habet in reliquis: exinde patet, quomodo se habet cum hoc, quod a bono per Labanem significato nihil desumtum sit, sed quod omnia, quae Domino, a Divino fuerint, hoc est, ab Ipso.

4076. Et vos scitis, quod in omni vi mea servivi patri vestro, quod significet quod ex propria potentia, constat ex significatione servire, quod sit studium, de qua n: 3824. 3846, at cum praedicatur de Domino, quod sit propria potentia, de qua n: 3975. 3977, et adhuc magis, cum dicitur, in omni vi mea.

4077. Et pater vester fefellit me, et mutavit mercedem meam decem modis, quod significet statum boni ad Se, cum ex Se Ipso applicaret illa quae boni istius, et plurimam mutationem, constat ex significatione patris, hic Labanis, quod sit bonum medium, de qua prius; ex significatione mercedis, quod sit ex Se Ipso, de qua n: 3996. 3999; et ex significatione decem modis, quod sit plurima mutatio; decem sunt plurimum, n: 1988, et modi sunt mutationes; ipse status illius boni, cum Dominus ex Se Ipso applicaret illa quae boni istius, quod mutatus, involvitur: si nunc pro bono, quod per Labanem significatur, concipiatur talis societas spirituum et angelorum, qui in tali bono, patet quomodo se res habet; societates non facile recedunt ab illo, apud quem fuerunt, sed cum is, apud quem sunt, recedit, tunc indignantur, ac se gerunt similiter ac hic Laban adversus Jacobum, imo etiam si percipiunt quod aliquid bonum ei accesserit per illos, dicunt quod accesserit ex illis; in indignatione enim ex malo loquuntur. Similiter se habet apud unumquemvis hominem qui regeneratur, quod nempe a Domino ei applicentur societates, quae inserviunt introducendis bonis et veris genuinis, non ex illis sed per illas; et cum is qui regeneratur, in alias societates transfertur, tunc indignantur illae quae prius ibi fuerunt; sed haec non apparent homini, quia non credit quod in societate spirituum et angelorum sit; at apparent

manifeste angelis; et quoque illis, quibus, ex Divina Domini Misericordia, cum illis loqui datur, et interesse illis sicut unus illorum; exinde mihi datum est scire, quod ita se res habeat. Conqueruntur valde spiritus, quod homo hoc non sciat, ne quidem quod sint apud hominem, et magis adhuc, quod multi negent non modo praesentiam illorum, sed etiam quod infernum et coelum sit, sed hoc stupiditati hominis adscribunt; cum tamen homo non minimum cogitationis, nec minimum voluntatis habeat, quam per influxum per illos a Domino; et quod illi sint, per quos Dominus mediate regit genus humanum, et in particulari unumquemvis.

4078. Et non dedit ei Deus ad malefaciendum mecum, quod significet quod usque non impedire potuerit, constat ex significatione non dare ad malefaciendum, cum praedicatur de Domino, quod sit non impedire posse; malefacere enim Divino nihil potest, sed impedire ne influat, fieri potest, omne malum hoc facit; inde patet, quid per malefacere hic significatur.

4079. Si sic dicebat, punctata erit merces tua, et pepererunt omnes greges punctata, quod significet liberum ejus, et quod in libero ejus sumerentur illa a Domino, haec quoad mala adjuncta bonis, constat ex statu rei in sensu interno, qui est, quod liberum ei fuerit mutare mercedem, et sic quod in libero ejus desumpta sint illa; quod haec quoad mala adjuncta bonis, constat ex significatione punctatorum, quod sint bona cum quibus mixta mala, de qua n: 3993. 3995. 4005.

4080. Et si sic dicebat, variegata erit merces tua, et pepererunt omnes greges variegata, quod significet eadem quoad falsa adjuncta, constat ex illis quae nunc dicta sunt; et a significatione variegatorum, quod sint vera sparsa et mixta malis, de qua n: 4005, proinde falsa.

4081. Et eripuit Deus acquisitionem patris vestri, et dedit mihi, quod significet quod illa ex Divino, constat ex illis quae supra n: 4065, et quae n: 4075, dicta et ostensa sunt.

4082. Et factum in tempore incalescendi gregem, quod significet affectionis ardorem, ut conjungerentur, constat ex significatione incalescere, quod sit affectionis ardor et ejus effectus, de qua n: 4018. 4019; ita ut conjungerentur nempe bona et vera.

4083. Et sustuli oculos meos et vidi in somnio, quod significet perceptionem naturalis boni in obscuro, constat a significatione tollere oculos, quod sit cogitare, et quoque intendere, de qua n: 2789. 2829. 3198, ita percipere; et ex significatione in somnio, quod sit in obscuro, de qua n: 2514. 2528; naturalis bonum est Jacob.

4084. Et ecce hirci ascendentes super gregem variegati, punctati, et grandinati, quod significet effectum, quod bonum naturale per Jacob intellectum talibus inde imbueretur, constare potest ex illis quae in Capite praecedente de his dicta sunt; cesserunt enim Jacobo per gregem Labanis variegata, punctata, et maculosa, hoc est, talia quae per illa significantur.

4085. Et dixit ad me Angelus Dei in somnio, Jacob, et dixi, ecce me, quod significet perceptionem ex Divino, et praesentiam in obscuro, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius; ex significatione Angeli Dei, quod sit ex Divino, nam angelus in Verbo, ubi nominatur, significat aliquid Domini, hoc est, aliquid Divini, n: 1925. 2319. 2821. [8] 3039; ex causa quia Angelus non a se loquitur, sed a Domino, cumprimis quando in somnio, ut hic ad Jacobum; angeli etiam tales sunt, ut indignentur si illis tribuatur aliquid boni et veri, quod loquuntur, et quantum possunt, removent ideam talem apud alios, imprimis apud hominem; sciunt enim et percipiunt, quod illis ex Domino, ita ex Divino, omne bonum et verum quod cogitant, volunt, et efficiunt: inde constare potest, quod per Angelos in Verbo significetur aliquid Domini, hoc est, Divinum; et ex significatione in somnio, quod sit in obscuro, de qua n: 2514. 2528; praesentia in naturali, et ibi in obscuro, significatur per responsum Jacobi.

4086. Et dixit, tolle quaeso oculos tuos, quod significet advertentiam ex proprio, constat ex significatione tollere oculos, quod sit cogitare et intendere, de qua n: 2789. 2829, ita advertere; hic quod ex proprio, patet ex eo quod dicatur, *tolle* oculos et *vide*, tum a serie.

4087. Et vide omnes hircos ascendentes super gregem variegatos, punctatos, et grandinatos, quod significet quod talia introducerentur, ita quod talibus imbueretur, constat ex illis quae mox supra n: 4084, dicta sunt, ubi similia verba.

4088. Quia vidi omne quod Laban facit tibi, quod significet proprium boni per Laban significati, quod non tale ut ex se, constat ex repraesentatione Labanis, quod sit bonum medium, de qua saepius prius: quod ejus proprium non tale sit ut ex se, significatur per vidi omne quod facit tibi; quod haec significatio sit, patet ex intuitione rerum in sensu interno, tum ex societatibus quae in tali bono sunt, ex his enim manifeste videri potest, quale illud bonum est, sunt enim societates spirituum, quae inserviunt pro mediis et pro communicatione, de quibus n: 4047; illae non tales sunt, ut ex se et proprio multum faciant, sed patiantur se duci ab aliis, ita ad bonum ab angelis, et ad malum a spiritibus malis, quod etiam elucet ex historicis hic de Labane, imprimis ex illis quae sequuntur; inde patet, quid intelligitur per proprium boni per Laban significati, quod non tale sit ut ex se. Haec quae in Versibus 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12, in sensu interno continentur, summatim explicata sunt, ex causa, quia similia sunt illis, de quibus in Capite praecedente actum est, ubi illa plenius explicata sunt.

4089. Ego Deus Bethelis, quod significet Divinum in Naturali, constat ex significatione Bethelis, quod sit bonum in ultimo ordinis, de qua n: 3729, proinde in naturali, nam hoc est ultimum ordinis, coelestia enim et spiritualia terminantur ibi; inde, quod Deus Bethelis sit Divinum in naturali, patet: quia Bethel significat bonum in naturali, etiam significat cognitiones coelestium ibi, nam hae sunt boni.

4090. Quo unxisti statuam, quod significet ubi bonum veri, et terminus, constat ex significatione statuae, quod sit sanctus terminus, ita ultimum ordinis, proinde verum, de qua n: 3727; et ex significatione ungere, seu fundere oleum super caput statuae, ut a Jacobo factum, quod sit verum bonum facere, de qua n: 3728.

4091. Quo vovisti mihi votum, quod significet sanctum, constat a significatione vovere votum, quod sit velle ut Dominus provideat, et in supremo sensu, in quo praedicatur de Domino, quod sit quod provideat, de qua n: 3732, et quia quicquid providet Dominus, hoc procedit ab Ipso, et quicquid procedit ab Ipso, hoc sanctum est; inde est, quod hic per vovere votum, significetur sanctum: quod vovere votum sit id quod

procedit a Domino, proinde sanctum, ad primam intuitionem apparet remotius, sed hoc ex causa, quia homo est qui vovet votum, quo se ad aliquod obstringit, seu sibi aliquid imponit erga Divinum, si potiatur optato; sed cum ipsum Divinum est, seu Dominus, de quo id praedicatur, tunc non est aliquod votum, sed est velle et providere, seu facere; quod itaque facit Divinum seu Dominus, hoc procedit ab Ipso, et quicquid procedit ab Ipso, est sanctum.

4092. Nunc surge, quod significet elevationem, constat a significatione surgere, quod, ubi dicitur, involvat elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927; et quid elevatio, n: 3171.

4093. Exi e terra hac, quod significet separationem a bono illo, nempe quod per Labanem significatur, constat absque explicatione.

4094. Et revertere ad terram nativitatis tuae, quod significet conjunctionem cum Divino bono veri, constat ex significatione reverti ad terram, quod sit propius se conferre ad bonum Divinum, de qua supra n: 4069; et a significatione nativitatis, quod sit verum, de qua etiam supra n: 4070; inde patet, quod per reverti ad terram nativitatis, significetur conjunctio cum Divino bono veri.

4095. Vers: 14. 15. 16. *Et respondit Rachel et Leah, et dixerunt ei, an amplius nobis portio et haereditas in domo patris nostri. Annon alienae existimatae sumus ei, quia vendidit nos, et comedit etiam comedendo argentum nostrum. Quia omnes divitiae, quas eripuit Deus a patre nostro, nobis illae, et filiis nostris; et nunc omne, quod dixit Deus ad te, fac.* Respondit Rachel et Leah, et dixerunt ei, significat reciprocum affectionum veri: an amplius nobis portio et haereditas in domo patris nostri, significat statum primum separationis illarum a bono per Labanem significato: annon alienae existimatae sumus ei, quia vendidit nos, significat quod abalienaverit illas, ut non ejus essent amplius: et comedit etiam comedendo argentum nostrum, significat verum illarum affectionum quod consumeret, si non separarentur: quia omnes divitiae, quas eripuit Deus a patre nostro, nobis illae et filiis nostris, significat quod omnia ex propria potentia, et nihil ab aliquo datum, influendo

a Divino suo in id quod inde acciperet: et nunc omne quod dixit Deus ad te, fac, significat Providentiam Domini.

4096. Respondit Rachel et Leah, et dixerunt ei, quod significet reciprocum affectionum veri, constat a significatione respondere cum annuitur, quod sit reciprocum, de qua n: 2919, et quod sit receptio, n: 2941. 2957; et ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, et Leae quod sit affectio veri externi, de quibus n: 3758. 3782. 3793. 3819. In illis quae praecedunt, actum est in sensu interno de bono naturalis, quod per Jacobum significatur, cum separaretur a bono medio, quod est Laban, quomodo illud, nempe bonum naturalis, adjungeret sibi affectiones veri, quae per Rachelem et Leam significantur; agitur nunc de applicatione affectionum veri reciproca ad bonum, haec applicatio continetur in sensu interno verborum, quae Rachel et Leah nunc dicunt; sed haec talia sunt, ut non cadant in intellectum nisi illum qui instructus est, et qui jucundum percipit in scientia talium, proinde qui pro fine habet spirituales cognitiones; caeteri nihil talia curant, et eo usque intendere mentem non possunt, qui enim pro fine habent mundana et terrestria, non abducere possunt inde sensus, et si abducerent, injucundum perciperent, nam tunc discederent et se removerent ab illis quae pro fine habent, hoc est, quae amant; experiatur quisque apud se qui talis, num scire velit, quomodo bonum se adjungit affectionibus veri, et quomodo affectiones veri se adplicant, et annon hoc scire, molestum ei, et dicturus quod talia ei non conducant, tum quod nihil de illis capiat; at si talia ei dicuntur, quae ejus negotii sunt in mundo, tametsi reconditissima sunt, et qualis alter sit quoad affectiones, tum quomodo per illas sibi illum adjungere possit, se applicando animo et dictis, hoc non modo capit, sed etiam interiora percipit: similiter qui abstrusa scientiarum indagare ex affectione studet, is intricatiora quam haec intueri amat, et quoque intuetur; at cum de spirituali bono et vero agitur, taedium sentit, et quoque aversatur: haec dicta sunt, ut sciatur qualis homo Ecclesiae hodie est. Sed quomodo se habet cum bono cum adjungit sibi vera per affectiones, et cum veris cum se applicant, non ita constare potest, cum tenetur idea seu cogitatio in bono et in vero, sed melius cum in societatibus spirituum et angelorum

per quas influunt, nam ut n: 4067 dictum est, hominis velle et cogitare inde venit, seu inde influit, et apparet sicut in illo: ex illis, nempe societatibus spirituum et angelorum, scire quomodo se res habet, est ex ipsis causis, et ex coelo angelorum, est ex finibus causarum, sunt etiam historica quae se adjungunt, et illustrant, ita apparent manifestius: in sensu interno agitur de adjunctione boni ad vera, et de applicatione horum, in naturali, Jacob enim est bonum ibi, ut saepius dictum, et mulieres ejus sunt affectiones veri; bonum, quod est amoris et charitatis, a Domino influit, et quidem per Angelos qui apud hominem, et non in alia apud hominem, quam in cognitiones quae apud illum; et quia ibi figitur bonum, tenetur cogitatio in veris quae sunt cognitionum, et inde excitantur plura quae affinia sunt et convenientia, et hoc tam diu, usque dum cogitat quod ita sit, et usque dum vult, quia ita est, ex affectione; cum hoc fit, tunc conjungit se bonum veris, et applicant se vera, in libero, omnis enim affectio facit liberum, n: 2870. 2875. 3158. 4031: sed cum hoc fit, etiam a spiritibus, qui ei adjuncti sunt, excitantur dubia, quandoque etiam negativa, sed quantum affectio praevalet, tantum ad affirmativum ducitur, et simul tunc per illa in veris confirmatur: bonum cum sic influit, non percipitur quod sit per angelos, quia influit ita interius, et in obscurum ejus, quod ei ex mundanis et corporeis est: sed sciendum, quod bonum non influat ab Angelis, sed per Angelos a Domino; hoc fatentur etiam omnes angeli, quapropter etiam sibi nunquam vindicant aliquod bonum, imo indignantur cum aliquis eis illud tribuit. Ex his nunc, ut ex ipsis causis, videri potest, quomodo se res habet cum adjunctione boni ad vera, et de horum applicatione, de quibus hic in sensu interno.

4097. An amplius nobis portio et haereditas in domo patris nostri, quod significet statum primum separationis illarum a bono per Labanem significato, constat ex significatione an amplius nobis portio et haereditas, quod sit, num amplius aliqua conjunctio; et ex significatione domus patris nostri, quod sit bonum per Labanem repraesentatum; ex his resultat, quod per illa verba significetur status primus separationis illarum a bono per Labanem significato: primus enim status est, quod in dubio teneatur mens, alter status est quod dubium per rationes

discutiatur; tertius est affirmatio; ultimus est actus, ita bonum cum veris insinuat se ab intellectuali parte in voluntariam, ac appropriatur.

4098. Annon alienae existimatae sumus ei, quia vendidit nos, quod significet quod abalienaverit illas, ut non ejus essent amplius, constat a significatione alienae existimari, quod sit abalienari; et a significatione vendere, quod sit ita abalienare ut non amplius ejus sint.

4099. Et comedit etiam comedendo argentum nostrum, quod significet verum illarum affectionum quod consumeret, si non separarentur, constat a significatione comedere, quod sit consumere; et a significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954; argentum nostrum, quod sit verum illarum affectionum, patet, per Rachelem enim et Leam repraesentantur affectiones veri, ut prius passim ostensum. Quid haec involvunt, nec sciri potest, nisi sciatur quomodo se habet cum bonis et veris quae insinuantur per bonum medium, seu nisi sciatur quales sunt societates spirituum quae inserviunt pro bono medio, societates spirituum, quae inserviunt pro bono medio, illae in mundanis sunt, at societates angelorum quae inserviunt pro introducendis affectionibus veri, non in mundanis sed in coelestibus sunt; hae binae societates agunt apud hominem qui regeneratur; quantum homo initiatur in coelestia per angelos, tantum removentur spiritus qui in mundanis sunt, et nisi removentur, dissipantur vera: mundana enim et coelestia concordant apud hominem, quando coelestia dominantur super mundana; at discordant, quando mundana dominantur super coelestia; quando concordant, tunc multiplicantur vera in naturali hominis; at quando discordant, tunc diminuuntur, imo consumuntur, quia mundana obfuscant coelestia, proinde ponunt illa in dubio; at coelestia cum dominium habent, illustrant mundana, et ponunt illa in claro, et dubia tollunt: dominium habent illa, quae prae altero amantur: ex his constare potest, quid intelligitur per quod verum affectionum consumeret, si non separarentur, quae significantur per comedit comedendo argentum nostrum.

4100. Quia omnes divitiae, quas eripuit Deus a patre nostro, nobis illae et filiis nostris, quod significet quod omnia ex

propria potentia, et nihil ab aliquo datum, influendo a Divino suo in id quod inde acciperet, constat ex illis quae supra n: 4065. 4075. 4081, dicta et explicata sunt.

4101. Et nunc omne quod dixit Deus ad te, fac, quod significet Providentiam Domini, constat a significatione omne quod dicit Deus facere, quod sit obedire; at cum praedicatur de Domino, est providere, nam non ab alio facit, sed a Se Ipso, nec Deus ad Ipsum dicit ut faciat, sed Ipse dicit, hoc est, facit a Se.

4102. Vers: 17. 18. *Et surrexit Jacob, et sustulit filios suos, et foeminas suas, super camelos. Et abduxit omnem acquisitionem suam, et omnem substantiam suam, quam comparavit, acquisitionem emtionis suae, quam comparavit in Paddan Aram, ad veniendum ad Jischakum patrem suum terram Canaan.* Surrexit Jacob, significat elevationem boni per Jacobum intellecti: et sustulit filios suos, et foeminas suas super camelos, significat elevationem veritatum et affectionum illarum, et ordinationem in communibus: et abduxit omnem acquisitionem suam, et omnem substantiam suam, quam comparavit, significat separationem veri et boni a Labanis: acquisitionem emtionis suae, significat quae ab illis aliunde: quam comparavit in Paddan Aram, significat cognitiones veri et boni in naturali: ad veniendum ad Jischakum patrem suum terram Canaan, significat ad conjungendum Divino Bono Rationalis, ut Humanum Divinum fieret.

4103. Surrexit Jacob, quod significet elevationem boni per Jacobum intellecti, constat a significatione surgere, quod involvat elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927; et a repraesentatione Jacobi, quod sit bonum naturalis, de qua saepius prius, hic bonum quod propius accedit ad Divinum, quia separandum a bono medio, seu Labane, n: 4073. Per elevationem, quae significatur per surgere, intelligitur propior accessio ad Divinum: quod ad hominem, is elevari dicitur, cum propius accedit ad coelestia, et hoc ex causa, quia coelum creditur elevatum esse seu in alto, ex apparentia ita dicitur, coelum enim, proinde illa quae sunt coeli, nempe coelestia et spiritualia, non sunt in alto, sed in interno, videatur n: 450. [?] 1735. 2148; quare homo in coelo est quoad interiora, cum in spirituali amore et fide.

4104. Et sustulit filios suos et foeminas suas super camelos, quod significet elevationem veritatum et affectionum illarum, et ordinationem in communibus, constat a significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623; a significatione foeminarum, hic Rachelis et Leae, tum ancillarum, quod sint affectiones veri, cognitionum, et scientiarum, de qua prius; et ex significatione camelorum, quod sint scientifica communia in naturali, de qua n: 3048. 3071. 3143. 3145. Qui non novit, quomodo se habet cum repraesentationibus et correspondentiis, non credere potest, quod illa verba, nempe sustulit filios suos et foeminas suas super camelos, significent talia, apparent ei enim remotiora, quam ut id spirituale involvant et in se contineant, nam cogitat de filiis, de foeminis et de camelis; at angeli, qui omnia talia spiritualiter vident et percipiunt, non cogitant de filiis, sed cum filii nominantur, de veris, et non de foeminis, sed cum foeminae nominantur, de affectionibus veri, cognitionum et scientiarum, et non de camelis, sed tunc de communibus in naturali; correspondent enim ita; talis est angelica cogitatio; et quod Mirum, talis est cogitatio Interni spiritualis hominis, cum in corpore vivit, tametsi Externus id prorsus nescit; quapropter etiam homo, qui regeneratus est, cum moritur, in similem cogitationem venit, et cum angelis cogitare et loqui potest, et hoc absque instructione, quod nequaquam fieri potuisset, nisi interior cogitatio ejus talis fuisset; quod talis sit, est ex correspondentia naturalium et spiritualium: inde constare potest, quod tametsi sensus literalis Verbi sit naturalis, usque in se, et in singulis suis contineat spiritualia, hoc est, talia quae cogitationis et inde loquelae interioris, seu spiritualis sunt, seu qualis est angelorum. Cum elevatione veritatum et affectionum illarum, et cum ordinatione illarum in communibus, ita se habet; elevantur veritates et affectiones, cum praeferuntur illa quae sunt vitae aeternae et Regni Domini, prae illis quae sunt vitae in corpore et regni mundi; cum homo pro principali et primario agnoscit illa, et pro instrumentali et secundario haec, tunc elevantur apud illum veritates et affectiones illarum; tantum enim in lucem coeli, in qua est intelligentia et sapientia, transfertur, et tantum illa quae sunt lucis mundi, sunt ei imagines et quasi

specula, in quibus illa videt: contrarium evenit, cum praefert illa quae sunt vitae corporis et regni mundi prae illis quae sunt vitae aeternae et Regni Domini, ut cum credit quod haec non sint, quia non ea videt, et quia non aliquis inde venit et nuntiavit; tum si credat, si sint, quod non pejus illi eveniat, quam aliis, et se confirmat in illis, et vivit vitam mundi, et charitatem et fidem prorsus contemnit, apud talem non elevantur veritates et affectiones illarum, sed vel suffocantur, vel rejiciuntur, vel pervertuntur; in luce enim naturali est, in quam non influit aliquid lucis coelestis; inde patet, quid per elevationem veritatum et affectionum illarum intelligitur. Quod ordinationem illarum in communibus attinet, est illa consequens; nam quantum homo praefert coelestia mundanis, tantum ad statum coeli ordinantur illa quae in naturali ejus, sic ut appareant ibi, ut dictum, sicut imagines et specula coelestium, nam sunt repraesentativa correspondentia: sunt fines qui ordinant, hoc est, Dominus per fines apud hominem; sunt enim tria, quae ordine sequuntur, nempe fines, causae, et effectus, fines producunt causas, et per causas effectus, quales itaque fines sunt, tales existunt causae, et tales inde effectus; fines sunt intima apud hominem, causae sunt media, et vocantur fines medii, et effectus sunt ultima, et vocantur fines ultimi, et effectus sunt etiam illa quae dicuntur communia, inde patet quid ordinatio in communibus, quod nempe cum illa quae sunt vitae aeternae et Regni Domini pro fine habentur, omnes fines medii seu causae, et omnes fines ultimi seu effectus, ordinentur secundum ipsum finem, et hoc in naturali quia ibi sunt effectus, seu quod idem, ibi sunt communia. Unusquisque homo qui in adulta aetate aliquo judicio pollet, scire potest, si modo expendat, quod in binis regnis sit, nempe in Regno spirituali, et in Regno naturali, tum quod Regnum spirituale sit interius, et Regnum naturale exterius, et consequenter quod praeferre possit unum alteri, seu pro fine habere unum prae altero, et inde, quod apud illum dominetur id quod pro fine habet aut praefert; si itaque pro fine habet et praefert Regnum spirituale, hoc est, illa quae sunt illius Regni, tunc pro principali et primario agnoscit amorem in Dominum et charitatem erga proximum, proinde omnia quae confirmant illa, quae vocantur fidei, nam haec sunt Regni il-

lius, et tunc disponuntur et ordinantur omnia in naturali ejus secundum illa, ut sint servientia et obedientia: at cum pro fine habet et praefert Regnum naturale, hoc est, illa quae ibi sunt, tunc extinguit illa, quae amoris in Dominum et charitatis erga proximum, et quae fidei sunt, usque adeo ut prorsus nihili faciat illa, at amorem mundi et sui, et quae amorum illorum sunt, facit omne; haec cum fiunt, ordinantur omnia in naturali ejus secundum fines illos, ita prorsus contra illa quae sunt coeli; inde in se facit infernum. Pro fine habere est amare, nam omnis finis est amoris, id enim pro fine habetur quod amatur.

4105. Et abduxit omnem acquisitionem suam, et omnem substantiam suam quam comparavit, quod significet separationem veri et boni, quae sunt a Labanis, constat a significatione abducere, quod sit separare; a significatione acquisitionis, quod sit verum; et a significatione substantiae, quod sit bonum; quam comparavit, spectat Labanem et ejus gregem, per quem illa. Quod acquisitio sit verum, et substantia sit bonum, est quia acquisitio in Lingua originali est vox quae quoque significat pecora in communi, per quae in specie vera significantur, cum per greges bona; et per substantiam facultates, ex quibus illa; cum enim in Verbo bina similis paene significationis dicuntur, tunc unum praedicatur de vero, alterum autem de bono, ob conjugium coeleste, quod est veri et boni in singulis Verbi, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712.

4106. Acquisitionem emtionis suae, quod significet quae ab illis aliunde, constat ex significatione acquisitionis, quod sint vera, de qua mox supra; et a significatione emtionis, quod sint illa quae aliunde comparata; nam acquisitiones quae emtae sunt, erant aliunde, sed usque ex illis quae comparatae sunt per gregem Labanis.

4107. Quam comparavit in Paddan Aram, quod significet cognitiones boni et veri in Naturali, constat ex significatione Paddan Aram, quod sint cognitiones boni et veri, de qua n: 3664. 3680.

4108. Ad veniendum ad Jischakum patrem suum terram Canaan, quod significet ad conjungendum Divino Bono Rationalis, ut Humanum Divinum fieret, constat a repraesentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale, de qua n: 1893. 2066.

2088. 2630; ac in specie quod sit Divinum Bonum Rationalis, n: 3012. 3194. 3210; et ex significatione terrae Canaan, quod sit Regnum coeleste Domini, de qua n: 1607. 3481, et in sensu supremo, hoc est, cum praedicatur de Domino, quod sit Divinum Humanum Ipsius, n: 3038. 3705; inde patet, quod per, ad veniendum ad Jischakum patrem suum terram Canaan, significetur ad conjungendum Divino Bono Rationalis ut Humanum *Divinum* fieret. Quod conjunctionem Rationalis et Naturalis apud hominem attinet, sciendum quod rationale sit Interni hominis, et Naturale Externi, et quod conjunctio illorum faciat humanum, et tale humanum qualis est conjunctio, et quod tunc conjunctio, quando unum agunt, et tunc unum agunt, quando naturale ministrat et inservit Rationali: hoc apud hominem nequaquam fieri potest, nisi a Domino; apud Dominum autem factum est ab Ipso.

4109. Vers: 19. 20. 21. *Et Laban iverat ad tondendum gregem suum: et furata Rachel theraphim, qui patri suo. Et furatus Jacob cor Labanis Aramaei, per quod non indicavit ei, quod fugiens is. Et fugit is, et omne quod ei, et surrexit, et transivit fluvium, et posuit facies suas montem Gilead.* Laban iverat ad tondendum gregem suum, significat statum usus et finis boni, *quod grex* Labanis: et furata Rachel theraphim, qui *patri* suo, significat mutationem status per Labanem significati quoad verum: et furatus Jacob cor Labanis Aramaei, significat mutationem status per Labanem significati quoad bonum; Laban Aramaeus est bonum tale in quo non Divinum verum et bonum, ut prius: per quod non indicavit ei, quod fugiens is, significat per separationem: et surrexit, significat elevationem: et transivit fluvium, significat statum ubi conjunctio: et posuit facies suas montem Gilead, significat bonum ibi.

4110. Laban iverat ad tondendum gregem suum, quod significet statum usus et finis boni quod grex Labanis, constat ex significatione tondere, quod sit usus, ita finis, nam usus est finis de qua sequitur; et ex significatione gregis, quod sit bonum, de qua n: 343. 2566; inde patet quod status usus et finis significetur per ire ad tondendum. Agitur nunc de separatione boni medii, quod est Laban, a bono comparato inde, quod est Jacob; sed quomodo se cum separatione habet, nec sciri potest

quam a societatibus spirituum qui in bono illo sunt, et a quibus illud apud hominem influit, de qua re ab experientia haec licet referre: sunt spiritus boni, et sunt spiritus mediae sortis, et sunt spiritus mali, qui adjunguntur homini, cum regeneratur, ob finem ut introducatur per illos in bona et vera [10] genuina, et hoc mediis angelis a Domino, sed sunt tales spiritus seu societates spirituum, qui cum regenerando non concordant, modo quoad tempus, quare cum usum praestiterant, separantur; separatio illorum fit diversimode, et aliter separatio spirituum bonorum, aliter spirituum mediae sortis, et aliter spirituum malorum; separatio spirituum bonorum fit quando id non sciunt, ex beneplacito Domini scientes quod illis bene sit ubicunque sunt, seu quocunque a Domino transferuntur; separatio autem spirituum mediae sortis fit per plura media, usque dum in libero recedunt, remittuntur enim in statum boni sui, proinde in statum usus et finis inde, ut ibi percipiant jucundum suum et beatum suum, sed quia ex consortio priori traxerunt volupe, reducuntur aliquoties, et remittuntur aliquoties, usque dum sentiunt injucundum in diutius morando, et sic in libero recedunt; spiritus autem mali quidem etiam in libero removentur, sed in libero quod illis apparet ut liberum; adjunguntur ut inducant negativa quae discutienda, ut melius confirmetur homo in veris et bonis; cumque homo incipit confirmari in illis, tunc injucundum percipiunt, et jucundum in separatione, ita ex libero quod est jucundi illorum separantur: ita se habet cum separatione spirituum apud hominem cum regeneratur, proinde ita cum mutationibus status ejus quoad bonum et verum. Quod tondere gregem, sit usum facere, patet ex eo, quod tonsio gregis in sensu interno non aliud sit quam usus, nam lana inde: quod tonsio gregis sit usus, etiam patet ab his apud Mosen „ Omne primogenitum, quod nascitur in armento tuo, et in grege tuo, sanctificabis Jehovae Deo tuo; non facies opus per primogenitum bovis tui, et *non tondebis primogenitum gregis tui;* sed coram Jehovah Deo tuo comedes illud quotannis in loco quem elegerit Jehovah " Deut: XV: 19; ubi non tondere primogenitum gregis, est non usum domesticum inde facere: quia tonsio gregis significabat usum, ideo inter officia et munia insignia tunc temporis fuit tondere gregem, et adesse tonsionibus; ut constare potest a Jehu-

dah, quod „*tonderet gregem suum*" Genes: XXXVIII: 12. 13; et ex filiis Davidis, in Libro Secundo Samuelis „Fuit post biennium dierum, et erant *Tonsores* Abschalomo in Baalchazor, quod in Ephraimo, et vocavit Abschalom omnes filios Regis, et venit Abschalom ad Regem, et dixit, *ecce quaeso tonsores servo tuo,* eat quaeso Rex, et servi sui [11] cum servo tuo" XIII: 23. 24.

4111. Et furata Rachel theraphim qui patri suo, quod significet mutationem status per Laban significati quoad verum, constat ex significatione furari hic, quod sit auferre quod charum et sanctum est, ita mutare statum; ex significatione theraphim, quod sint vera, de qua sequitur; et a significatione patris, hic Labanis, quod sit bonum per illum significatum, de qua prius; pater etiam significat bonum, n: 3703; inde patet, quod per furata Rachel theraphim qui patri suo, significetur mutatio status per Labanem significati quoad verum. Quid haec involvunt, etiam constare potest a statu spirituum, cum separantur; status spirituum quoad bonum et verum se habent secundum societates in quibus sunt, influit enim omnis cogitatio per alios, ut prius ostensum, et proxime per illos, cum quibus in societate sunt; quapropter cum removentur ab una societate, et remittuntur in aliam, status cogitationum et affectionum illorum mutantur, proinde status quoad verum et bonum; si autem remittuntur in societates discordes, tunc injucundum percipiunt, et ex injucundo coactum, quapropter inde separantur, et feruntur in societates concordes; inde est, quod mali non possint interesse et morari in societatibus bonorum, et boni non in societatibus malorum, tum quod omnes spiritus et angeli distincti sint in societates secundum affectiones, quae sunt amoris: sed unaquaevis affectio, quae amoris, multiplicia et varia in se continet, n: 3078. 3189. 4005, at unum usque est regnans, inde unusquisque in pluribus societatibus potest esse, sed connititur usque ad illam, quae est affectionis regnantis, in quam demum fertur. Quod ad bonum, quod per Labanem significatur, et ad ejus status mutationem, attinet, quamdiu illud fuit cum bono, quod per Jacobum repraesentatur, [12] fuit propius Divino, nam Jacob est illud bonum in Naturali, et quia propius Divino, etiam tunc in perfe-

ctiori statu veri et boni fuit; at cum separaretur inde, tunc in alium statum quoad verum, et quoad bonum, venit; status enim mutationes in altera vita in genere nihil aliud sunt, quam approximationes ad Divinum, et remotiones a Divino; inde nunc patet, quid per mutationem status, cum separaretur bonum per Labanem significatum, intelligitur. Quod furata Rachel theraphim qui patri suo, significet mutationem status quoad vera, est, quia per theraphim significantur dii ejus, ut patet a sequentibus, dicit enim Laban ad Jacobum, quare furatus es *deos meos*, Vers: 30, et Jacob respondit, cum quo inveniis *deos tuos*, non vivet coram fratribus nostris, Vers: 32, [13] et dii in sensu interno significant vera, quapropter etiam in Verbo Deus nominatur cum agitur de vero, videatur n: 2586. 2769. 2807. 2822. Theraphim erant idola, quae adhibebantur, cum consulerent seu interrogarent Deum, et quia responsa, quae tulerunt, erant illis vera Divina, ideo vera per illos significantur, ut apud Hoscheam „Diebus multis sedebant filii Israëlis, nullus rex, et nullus princeps, et nullum sacrificium, nec *Ephod* et *theraphim*," III: 4; ephod et theraphim pro veris Divinis, quae tulerunt per responsa, cum enim interrogabant Deum, etiam induebant ephodum, 1 Sam: XXIII: 9. 10. 11. 12. Apud Sachariam „*Theraphim loquuntur iniquitatem*, et divinatores vident mendacium, et somnia vanitatem loquuntur," X: 2, ubi etiam theraphim pro responsis, sed in illo statu pro iniquis. Et quia talia per theraphim significabantur, etiam apud quosdam fuerunt, tametsi prohibiti, ut apud Micham in libro Judicum „Michae erat domus Dei, et fecit *ephodum* et *theraphim*, et implevit manum unius de filiis, ut esset illi in sacerdotem: et dixerunt quidam ex Danitis ad fratres suos, num scitis quod in domibus his sit *Ephod* et *theraphim*, et sculptile et fusile. Cumque intrassent domum Michae, et sumerent sculptile, *Ephodum* et *theraphim*, et fusile. Et bonum fuit cor sacerdotis, et sumsit *Ephodum* et *theraphim*, et sculptile: et persequutus Micha Danis filios, dixit, Deos meos, quos feci, sumsistis, et sacerdotem, et abivistis, quid mihi amplius," XVII: 5. Cap: XVIII: 14. 18. [20.] 24. Tum apud Michal uxorem Davidis, de qua in Libro Primo Samuelis, „Michal uxor Davidis sumsit *theraphim*, et posuit in lecto, et obtexit veste: venerunt

legati Schaulis, sed ecce *theraphim* in lecto,* XIX: [13.] 14. 16: quod tamen idola fuerint, quae prohibita, patet ab illis quae dicuntur de iis 1 Sam: XV: 23. 2 Reg: XXIII: 24. Ezech: XXI: 26.

4112. Et furatus Jacob cor Labanis Aramaei, quod significet mutationem status per Labanem significati quoad bonum, constat a significatione furari, quod sit auferre quod charum et sanctum est, ita mutare statum, ut mox supra n: 4111; ex significatione cordis, quod sit illud quod procedit ex voluntate, et cum voluntas boni est quod sit bonum, de qua n: 2930. 3313. 3888. 3889; et ex repraesentatione Labanis, quod sit bonum medium, quod nunc separatur, et quia separatur, Laban nunc vocatur Aramaeus, ut quoque in Versu seq: 24, nam Laban Aramaeus est bonum tale, in quo non Divinum Bonum et Verum ut prius: causa quod id significetur, est quia Aram seu Syria separata fuit per fluvium, nempe Euphratem a terra Canaane, ita fuit extra terram Canaanem, per quam significatur in sensu interno Regnum Domini, et in sensu supremo Divinum Humanum Domini, videatur supra n: 4108: per Aram et Syriam in specie significantur cognitiones veri et boni, videatur n: 1232. 1234. 3051. 3249. 3664. 3680, et hoc ex causa, quia ibi quoque fuit Ecclesia Antiqua, et ibi reliquiae ejus manserunt diu, ut constat a Bileamo, qui fuit inde, et Jehovam novit, et quoque de Domino prophetavit; sed postquam idololatria ibi succrevit, et inde evocatus est Abram, ac repraesentativa Ecclesia instituta fuit in terra Canaane, tunc Aram seu Syria induit repraesentationem regionis extra Ecclesiam, seu separatae ab Ecclesia, proinde remotae ab illis quae sunt Regni Domini, retenta usque significatione cognitionum boni et veri. Quod Jacobus dicatur, quod furatus sit cor Labanis, per quod non indicavit ei quod fugeret, est quia de mutatione status quoad *verum* mox supra dictum, hic ideo de mutatione status quoad *bonum*, in Verbo enim ubi agitur de Vero, etiam agitur de Bono, ob conjugium coeleste, quod est veri et boni, in singulis Verbi, n: 683. 793. 801. 2516. 2712.

4113. Per quod non indicavit ei quod fugiens is, quod significet per separationem, constare potest absque explicatione. Quod Jacob furatus cor Labanis Aramaei per quod non indica-

vit ei quod fugiens is, in sensu historico intelligitur, quod Jacob deprivaverit Labanem spe possidendi omnia quae ejus erant, et in statum angustiae redegerit; Laban enim credidit, quia Jacob servivit ei, quod omnia, quae Jacobi, fierent ejus, non modo mulieres Jacobi filiae suae, et filii illarum, sed etiam greges ejus, secundum legem tunc temporis etiam notam, et quoque receptam, de qua apud Mosen « Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet, et in septimo exibit liber gratis; si dominus ejus dederit ei mulierem, et pepererit ei filios et filias, mulier et nati ejus erunt domini illius, et ille exibit cum corpore suo, » Exod: XXI: 2. 4; quod id cogitaverit, patet a Jacobi verbis in sequentibus hujus Capitis « Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami, et pavor Jischaki, fuisset mihi, quod nunc vacuum misisses me, » Vers: 42; et a Labanis « Respondit Laban, et dixit ad Jacobum, filiae filiae meae, et filii filii mei, et grex grex meus, et omne quod tu videns, mihi hoc, » Vers: 43; non considerans, quod Jacob non servus emtus fuisset, ne quidem servus, et quod ex nobiliori familia quam is, tum quod pro mercede acceperit tam mulieres, quam gregem, et sic quod illa lex non pro Jacobo esset; quia nunc Jacob per id quod fugeret, Labanem illa spe deprivavit, ac inde illum in statum angustiae redegit, dicitur quod furatus cor Labanis Aramaei, per id quod non indicavit ei quod fugiens is; at in sensu interno per illa significatur mutatio status per Labanem significati quoad bonum per separationem: de status mutatione per separationem, videantur quae mox supra n: 4111, dicta sunt.

4114. Et fugit is et omne quod ei, quod significet separationem, constat ab illis quae nunc dicta sunt, ita absque ulteriore explicatione.

4115. Et surrexit, quod significet elevationem, constat ab illis quae de significatione surgere supra n: 4103, dicta sunt.

4116. Et transivit fluvium, quod significet statum ubi conjunctio, constat a significatione fluvii, hic Euphratis, quod sit conjunctio, nempe cum Divino; quod fluvius id hic significet, est causa, quia erat terminus terrae Canaanis ab illa parte, et omnes termini terrae Canaanis repraesentabant et inde significabant id quod ultimum et quod primum esset, ultimum quia ibi desinebat, et primum quia ibi inchoabat; termini enim omnes

tales sunt, quod sint ultimi illis qui exeunt, et iidem primi illis qui intrant; quia Jacob nunc intrabat, erat fluvius ille terminus primus, proinde conjunctio, nempe in sensu supremo cum Divino; per terram enim Canaanem significatur in sensu interno Regnum coeleste Domini, n: 1607. 3481; et in sensu supremo Divinum Humanum Domini, n: 3038. 3705; inde patet, quid hic per transivit fluvium significatur. Quod omnia in terra Canaane repraesentativa fuerint secundum distantias, situs, et terminos, videatur n: 1585. 3686; ita quod fluvii qui terminabant, ut fluvius Aegypti, Euphrates, et Jordanes, n: 1866.

4117. Et posuit facies suas montem Gilead, quod significet bonum ibi, constat a significatione montis, quod sit coeleste amoris, hoc est, bonum, de qua n: 795. 1430, cum quo conjunctio, Gilead significat quale ejus: quia fluvius erat terminus, et ibi primum conjunctionis, ut dictum, ideo mons Gilead, qui erat ab hac parte Jordanis, significat bonum, cum quo primum illud conjunctionis. Terra Gilead, ubi mons, erat intra limites terrae Canaanis in lato sensu intellectae, erat cis Jordanem, et cessit Rubenitis et Gadditis, et imprimis dimidiae tribui Menasches in haereditatem; et quia haereditates eo usque se extendebant, dicitur quod intra limites terrae Canaanis in lato sensu intellectae fuerit; quod cesserit illis in haereditatem, constat apud Mosen, Num: XXXII: 1. 26 ad 41. Deut: III: 8. 10 ad 16. Jos: XIII: 24 ad 31: quapropter cum terra Canaan in uno complexu sisteretur, dicebatur a Gileade usque ad Danem, et in alio sensu a Beerschebah usque ad Danem, nam Dan etiam erat terminus, n: 1710. 3923; [14] quod a Beerschebah usque ad Danem, videatur n: 2858. 2859; quod a Gileade ad Danem, apud Mosen „ Ascendit Moses ex planitiebus Moabi super montem Nebo, caput Pisgae, qui versus Jericho, ubi ostendit illi Jehovah *terram Gileadem usque ad Danem*," Deut: XXXIV: 1: et in Libro Judicum „ *Gilead* in transitu Jordanis habitans, et Dan, cur timebit naves," V: 17. Gilead, quia erat terminus, in sensu spirituali significat primum bonum, quod est sensualium corporis, nam horum bonum seu volupe est, cui initiatur homo omnium primo qui regeneratur; in hoc sensu sumitur Gilead apud Prophetas, ut Jerem: VIII: 20. 22. Cap: XXII:

6. Cap: XLVI: 11. Cap: L: 19. Ezech: XLVII: 18. Obad: 19. Mich: VII: 14. Sachar: X: 10. [15] Psalm: LX: 8 [. 9]; et in sensu opposito, Hosch: VI: 8. Cap: XII: 12.

4118. Vers: 22. 23. 24. 25. *Et indicatum Labani in die tertio, quod fugit Jacob. Et accepit fratres suos secum, et persequutus est post eum via septem dierum; et adjunxit eum in monte Gilead. Et venit Deus ad Labanem Aramaeum in somnio noctu, et dixit ei, cave tibi, ne forte loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum. Et assequutus Laban Jacobum, et Jacob fixit tentorium suum in monte, et Laban fixit cum fratribus suis in monte Gilead.* Indicatum Labani in die tertio, significat finem: quod fugit Jacob, significat separationem: accepit fratres suos secum, significat bona loco illorum quae amisit: et persequutus post eum, significat ardorem continuatum conjunctionis: via septem dierum, significat sanctum veri: et adjunxit eum in monte Gilead, significat per id conjunctionis quoddam: et venit Deus ad Labanem Aramaeum in somnio noctu, significat perceptionem obscuram boni illius sibi relicti; et dixit ei, cave tibi, ne forte loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum, significat quod nulla communicatio amplius; et assequutus Laban Jacobum, significat conjunctionis aliquid: et Jacob fixit tentorium suum in monte, significat amoris statum in quo bonum per Jacobum nunc intellectum: et Laban fixit [16] cum fratribus suis in monte Gilead, significat statum boni in aliquo conjunctionis illius.

4119. Indicatum Labani in die tertio, quod significet finem, nempe conjunctionis, constat a significatione diei tertii, quod sit ultimum, tum completum, ita finis, de qua n: 1825 2788, et quoque principium, n: 2788, finis enim status conjunctionis, est principium status sequentis, qui est separationis, qui status etiam per diem tertium hic significatur.

4120. Quod fugit Jacob, quod significet separationem, constat a significatione fugere, quod sit separari, de qua supra n: 4113. 4114.

4121. Et accepit fratres suos secum, quod significet bona loco illorum quae amisit, constat a significatione fratrum, quod sint bona, de qua n: 2360. 3160. 3303. 3459. 3803. 3815; per fratres in sensu interno significantur illi, qui in simili bono

et vero sunt, hoc est, in simili affectione boni et veri; consociantur enim omnes in altera vita secundum affectiones, et qui consociati sunt, fraternitatem constituunt, non quod dicant se fratres, sed quod sint fratres per conjunctionem; ipsum bonum et verum in altera vita faciunt id quod in terris vocatur consanguineum et affine, quapropter correspondent: bona enim et vera in se spectata non agnoscunt alium Patrem quam Dominum, nam ab Ipso Solo illa, inde in fraternitate sunt omnes qui in bonis et veris; sed usque sunt gradus secundum qualitatem bonorum et verorum, gradus illi in Verbo significantur per fratres, sorores, generos, nurus, nepotes, neptes, et per plura familiarum nomina: in terris autem ita nominantur respective ad communes parentes, utcunque quoad affectiones discrepant, sed fraternitas illa et affinitas in altera vita dissipatur, et quisque ibi, nisi in terris in simili bono fuerint, in alias fraternitates venit; principio quidem ut plurimum conveniunt, sed brevi disjunguntur, nam lucra ibi non consociant, sed, ut dictum, affectiones, quae tunc patent, sicut in clara die, quales sunt, etiam quali affectione unus fuerat erga alium; et quia patent, et affectio unumquemvis ad suam societatem trahit, ideo dissociantur qui discordi animo fuerunt; et tum quoque utrinque obliteratur omnis fraternitas, et omnis amicitia, quae fuerat Externi hominis, et manet illa quae est Interni. Quod per accepit fratres suos secum, significentur bona loco illorum quae amisit, inde est, quia cum separatur societas una ab altera, sicut supra n: 4077. 4110. 4111, dictum, tunc venit ad aliam, proinde ad alia bona loco illorum.

4122. Et persequutus post eum, quod significet ardorem continuatum conjunctionis, constat ex significatione persequi hic, quod sit ardor continuatus conjunctionis. Agitur hic in sensu interno de separatione boni medii a bono genuino, postquam bonum medium inserviverat usui; processus separationis hic plene describitur, sed ille talis est, ut ne quidem appercipi possit ab homine quod sit, sed Angelis apparet manifeste cum innumerabilibus variis, sic enim vident et percipiunt apud hominem, qui regeneratur, omnes status illius mutationes, apud quem ut ministri adsunt, et secundum illas et per illas a Domino ducunt ad bonum, quantum homo se duci patitur; et quia

processus ille tanti usus est in coelo, ideo tam multis hic de illo agitur: inde quoque constare potest, qualis est sensus internus, quod nempe sit Verbum Angelicum.

4123. Via septem dierum, quod significet sanctum veri, constat a significatione viae, quod sit verum, de qua n: 627. 2333; et a significatione septem, quod sit sanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881, hic quod ardor conjunctionis seu se conjungendi cum sancto veri esset.

4124. Et adjunxit eum in monte Gilead, quod significet per id conjunctionis quoddam, constat ex significatione adjungere, quod sit conjunctio; et ex significatione montis Gilead, quod sit bonum quod primum conjunctionis est, de qua supra n: 4117; ita per adjunxit eum in monte Gilead, significatur conjunctionis quoddam.

4125. Et venit Deus ad Labanem Aramaeum in somnio noctu, quod significet perceptionem obscuram boni illius sibi relicti, constat a repraesentatione Labanis, quod sit bonum medium, de qua prius, qui Aramaeus dicitur, quando separatus est a bono per Jacobum repraesentato, n: 4112; et ex significatione somnii noctu, quod sit obscurum, de qua n: 2514. 2528; perceptio in obscuro illo significatur per quod venit Deus in somnio noctu.

4126. Et dixit ei, cave tibi ne forte loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum, quod significet quod nulla communicatio amplius, constat a significatione loqui a bono usque ad malum, quod sit loqui bonum et cogitare malum, et inde tandem loqui malum, et facere malum; qui enim cogitat malum, is tandem loquitur id, et facit id; qui talis est, non amplius conjunctus est cum altero, quia cogitatio est et voluntas, quae conjungunt, non autem verba; in mundo quidem verba conjungunt, sed tunc cum alter credit, quod etiam cogitet bonum et velit bonum; at in altera vita omnis cogitatio patet, nam communicatur per quandam sphaeram, quae est sphaera spiritualis, quae ab altero procedit, et manifestat quali animo, hoc est, quali voluntate et cogitatione est; quare secundum illam fit conjunctio: inde patet, quod per haec verba, ne loquaris a bono usque ad malum, in sensu interno significetur, quod nulla communicatio amplius.

4127. Et assequutus Laban Jacobum, quod significet conjunctionis aliquid, constare potest ab illis supra n: 4124.

4128. Et Jacob fixit tentorium suum in monte, quod significet amoris statum, in quo bonum per Jacobum nunc intellectum, constat a significatione tentorii, quod sit sanctum amoris, de qua n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312; et figere tentorium, quod sit status illius amoris; et a significatione montis, quod sit bonum, ut supra n: 4117, hic bonum per Jacobum nunc intellectum, de quo videatur supra n: 4073.

4129. Et Laban fixit cum fratribus suis in monte Gilead, quod significet statum boni in aliquo conjunctionis illius, constat ex repraesentatione Labanis, quod sit bonum nunc separatum a bono per Jacobum repraesentato; a significatione figere, quod sit status illius boni, non dicitur figere tentorium, quia non erat status sancti amoris nisi per aliquid conjunctionis illius; ex significatione fratrum; quod sint bona cum quibus bonum per Labanem significatum consociatum est, [17] de qua supra n: 4121; et ex significatione montis Gilead, quod sit ubi primum et ultimum conjunctionis, de qua supra n: 4117; inde patet, quod per Laban fixit cum fratribus suis in monte Gilead significetur status boni in aliquo conjunctionis illius. Quid porro haec, quae nunc explicata sunt, involvunt, non ita ad captum exponi potest, nisi ab illis quae contingunt in altera vita, quando societates spirituum et angelorum a Domino adjunguntur homini, et ab eo separantur, adjunctionis illorum et separationis processus talis est secundum ordinem ibi; momenta illius processus plene hic descripta sunt, sed illa singillatim exponere, quia prorsus ignota sunt homini, foret mera arcana loqui, supra ubi de conjunctione et separatione societatum apud hominem regenerandum actum est, aliqua dicta sunt: sed satis est, ut sciatur, quod arcana processus illius in sensu interno hic contineantur, et quidem tanta et talia, ut non possint quoad millesimam partem plene ad captum exponi.

4130. Vers: 26. 27. 28. 29. 30. *Et dixit Laban Jacobo, quid fecisti, et furatus es cor meum, et abduxisti filias meas, sicut captivas gladio. Quare occultasti ad fugiendum, et furatus es me, et non indicasti mihi, et miserim te in laetitia, et in canticis, in tympano, et in cithara. Et non permisisti mihi*

osculari filios meos, et filias meas, nunc stulte egisti faciendo. Sit Deo manus mea ad faciendum cum vobis malum, et Deus patris vestri nocte praeterita dixit ad me, dicendo, cave tibi a loquendo cum Jacobo a bono usque ad malum. Et nunc eundo ivisti, quia desiderando desideravisti ad domum patris tui, quare furatus es deos meos. Dixit Laban Jacobo, significat communicationis statum: quid fecisti, significat indignationem: et furatus es cor meum, significat quod non amplius ei bonum Divinum ut prius: et abduxisti filias meas, significat quod nec affectiones veri ut prius: sicut captivas gladio, significat quod ei ablatae: quare occultasti ad fugiendum, et furatus es me, et non indicasti mihi, significat statum si ex ejus libero separatio: et miserim te in laetitia et in canticis, significat statum in quo tunc ex proprio credidisset quod fuisset quoad vera: in tympano et in cithara, significat quoad bonum spirituale: et non permisisti osculari filios meos, et filias meas, significat disjunctionem ex statu libero secundum fidem boni illius: nunc stulte egisti faciendo, significat indignationem: sit Deo manus mea ad faciendum cum vobis malum, significat indignationis statum si ei potentia: et Deus patris vestri nocte praeterita dixit ad me, significat quod non permissum a Divino: dicendo, cave tibi a loquendo cum Jacobo a bono usque ad malum, significat inhibitionem communicationis: et nunc eundo ivisti, significat quod ex proprio se separaverit: quia desiderando desideravisti ad domum patris tui, significat desiderium conjunctionis cum Bono Divino directe influente: quare furatus es deos meos, significat indignationem ob veri amissi statum.

4131. Dixit Laban Jacobo, quod significet communicationis statum, nempe illius boni quod per Labanem, cum illo bono quod per Jacobum, nunc repraesentatur, constat a significatione dicere, quod hic sit communicatio, ut n: 3060; quia aliquid conjunctionis factum, de quo mox supra n: 4124. 4127. 4129, et nunc immediate sequitur, dixit Laban Jacobo, ideo communicatio per dicere significatur.

4132. Quid fecisti, quod significet indignationem, constat ex affectione quae in his verbis et in sequentibus Labanis, quod sint indignationis.

4133. Et furatus es cor meum, quod significet quod non

amplius ei bonum Divinum ut prius, constat a significatione furari cor, quod sit auferre quod charum et sanctum est, de qua supra n: 4112, inde quod non amplius ei bonum Divinum ut prius, per separationem.

4134. Et abduxisti filias meas, quod significet quod nec affectiones veri ut prius, ei essent, constat a significatione filiarum, hic Rachelis et Leae, quod sint affectiones veri, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819.

4135. Sicut captivas gladio, quod significet quod ei ablatae, nempe affectiones veri, constat absque explicatione: captivae gladio dicuntur, quia gladius praedicatur de vero, n: 2799: quomodo haec se habent, prius explicatum est.

4136. Quare occultasti ad fugiendum, et furatus es me, et non indicasti mihi, quod significet statum si ex ejus libero separatio, constat a significatione occultare ad fugiendum, quod sit se separare illo invito, quod fugere sit separari, videatur n: 4113. 4114. 4120; a significatione furari me, quod sit auferre quod charum et sanctum est, de qua n: 4112. 4133; et a significatione non indicare mihi, quod hic sit per separationem, de qua n: 4113; inde sequitur, quod per illa verba significetur, quod separatio illo invito facta sit, cum tamen fieri debuerit ex libero; status liberi significatur et describitur per verba quae nunc sequuntur, nempe, quod miserim te in laetitia et in canticis, in tympano et in cithara; at haec sunt verba Labanis secundum ejus fidem tunc; sed quomodo se habet cum separatione boni medii a bono genuino apud illos qui regenerantur, quod nempe fiat in libero, videatur supra n: 4110. 4111: quod ita se habeat, non apparet homini, non enim scit homo quomodo bona apud illum variantur, minus quomodo status cujusvis boni mutatur, ne quidem quomodo bonum infantiae variatur et mutatur in bonum pueritiae, et hoc in bonum succedens quod est juventutis, postea in bonum adultae aetatis, et demum in bonum senectutis; apud illos, qui non regenerantur, non [18] sunt bona quae mutantur, sed sunt affectiones et earum jucunda; at apud illos qui regenerantur, sunt mutationes status bonorum, et hoc ab infantia usque ad ultimum vitae eorum; praevidetur enim a Domino, qualem vitam homo acturus sit, et quomodo se duci a Domino passurus, et quia omnia et

singula, imo singularissima, praevidentur, etiam providentur; sed quomodo tunc se habet cum mutationibus status bonorum, homo nihil scit, et hoc imprimis ex causa, quia nullas cognitiones illius rei habet, nec hodie habere desiderat, et quia Dominus non influit immediate apud hominem, et docet, sed influit in cognitiones ejus, ita mediate, ideo is neutiquam scire potest mutationes status bonorum illorum: et quia talis est homo, quod nempe absque cognitionibus hujus rei, et praeterea pauci hodie sunt qui se regenerari patiuntur, ideo si plenius haec explicarentur, non comprehendi possent. Quod pauci hodie aliquid de bono spirituali sciant, et quoque quod pauci aliquid de libero, per experientiam ab illis qui ex Christiano Orbe in alteram vitam veniunt, notum mihi factum est; unum modo exemplum, illustrationis causa, adducere licet, erat quidam Antistes, qui prae aliis credidit se doctum, etiam pro docto agnitus ab aliis cum vixit, is quia malam vitam egerat, in tali stupida ignorantia de bono et libero, et de jucundo et beato quod inde, erat, ut non sciret minimum differentiae inter jucundum et liberum infernale, ac jucundum et liberum coeleste, imo dixit, quod nullum sit; cum talis ignorantia sit, etiam apud illos qui docti prae aliis audiunt, inde concludi potest, in quantas umbras, imo in quantas et quales vesanias, caderent illa, quae de bono et de libero hic dicerentur, de quibus in sensu interno agitur: cum tamen ita se habet, quod ne quidem una vox dicta sit in Verbo, quae non arcanum coeleste involvit, tametsi coram homine apparet sicut nullius momenti, et hoc ob defectum cognitionum, seu ob ignorantiam, in qua homo hodie de coelestibus est, et quoque vult esse.

4137. Et miserim te in laetitia et in canticis, quod significet statum in quo tunc ex proprio credidisset quod fuisset quoad vera, constat ex significatione miserim te quod sit quod se separaverit ex libero, sed quod non se separavisset, cum in illo statu esset, constat ex illis quae prius n: 4113, dicta sunt; inde patet, quod illa verba a Labane dicta sint in statu in quo tunc ex proprio credidisset quod fuisset, ex proprio enim credere est ex non vero, at ex non proprio sed ex Domino, est ex vero: quod status sit quoad vera, significatur per mittere in laetitia et in canticis; laetitia enim et cantica praedicantur de

veris: in Verbo Laetitia et Gaudium passim nominantur, et quandoque utrumque simul, at nominatur Laetitia cum agitur de Vero et ejus affectione, et gaudium cum de bono et ejus affectione; ut apud Esaiam „Ecce *Gaudium* et *Laetitia* occidere bovem, et mactare pecudem, edere carnem et bibere vinum" XXII: 13, ubi gaudium praedicatur de bono, et laetitia de vero. Apud Eundem „Clamor super vino in plateis, desolabitur omnis *Laetitia*, et exulabit omne *Gaudium*," XXIV: 11. Apud Eundem „Redempti Jehovae revertentur, et venient Zionem cum *cantu*, et *gaudium* aeternitatis super capite eorum; *gaudium* et *laetitia* assequentur, et fugient tristitia et gemitus," XXXV: 10. Cap: LI: 11. Apud Eundem „Consolabitur Jehovah Zionem, *Gaudium et Laetitia* invenietur in ea, confessio et *vox cantus*," LI: 3. Apud Jeremiam „Cessare faciam ex urbibus Jehudae, et ex plateis Hierosolymae, *vocem gaudii*, et *vocem laetitiae*, vocem sponsi et vocem sponsae, quia in vastitatem erit terra," VII: 34. Cap: XXV: 10. Apud Eundem „*Vox gaudii* et *vox laetitiae*, et vox sponsi et vox sponsae, vox dicentium, confitemini Jehovae Zebaoth," XXXIII: 11. Apud Eundem „Collecta est *Laetitia* et *exultatio* ex Carmele, et ex terra Moabi," XLVIII: 33. Apud Joëlem „Nonne coram oculis nostris cibus excisus est, e domo Dei nostri *Laetitia* et *exultatio*," I: 16. Apud Sachariam „Jejunium erit domui Jehudae in *gaudium* et in *laetitiam*, et in festa bona," VIII: 19: qui non novit, quod in Verbi singulis sit conjugium coeleste, hoc est, conjugium boni et veri, crederet quod utrumque, nempe gaudium et laetitia, unum essent, et modo dicta ob majorem emphasim rei, ita quod unum superfluum, sed non ita est, nam ne minimum vocis dictum est absque sensu spirituali; gaudium in allatis locis et quoque in aliis, praedicatur de bono, et laetitia de vero, videatur etiam n: 3118. Quod cantica etiam praedicentur de veris, constat a pluribus in Verbo locis, ubi cantica nominantur, ut Esai: V: 1. Cap: XXIV: 9. Cap: XXVI: 1. Cap: XXX: 29. Cap: XLII: 10. Ezech: XXVI: 13. Amos V: 23, et alibi. Sciendum, quod omnia quae in Regno Domini se referant vel ad bonum vel ad verum, hoc est, ad illa quae amoris sunt, et quae fidei charitatis, illa quae se referunt ad bonum, seu quae amoris sunt, vocantur coelestia, quae autem

se referunt ad verum seu quae fidei charitatis sunt, dicuntur spiritualia; quia in Verbi omnibus et singulis agitur de Regno Domini, et in supremo sensu de Domino, et Regnum Domini est conjugium boni et veri, seu est conjugium coeleste, et Ipse Dominus est in quo Conjugium Divinum, et ex quo Conjugium Coeleste, ideo in Verbi omnibus et singulis est conjugium illud, quod exstat imprimis apud Prophetas, ubi repetitiones unius rei, mutatis solum vocibus, occurrunt; at illae repetitiones nullibi sunt inanes, sed per unam expressionem significatur coeleste, hoc est, id quod amoris seu boni est, et per alteram spirituale, hoc est id quod fidei charitatis seu veri est; inde patet, quomodo conjugium coeleste, hoc est, Regnum Domini est in singulis Verbi, ac in supremo sensu ipsum Conjugium Divinum, seu Dominus.

4138. In tympano et in cithara, quod significet quoad bonum spirituale, nempe statum in quo tunc ex proprio credidisset quod fuisset quoad bonum illud, constat ex eo, quod tympanum et cithara praedicentur de bono, sed de bono spirituali, ut ex pluribus locis in Verbo constare potest; bonum spirituale est quod vocatur bonum fidei, estque charitas; bonum coeleste autem est, quod vocatur bonum amoris, estque amor in Dominum; sunt bina Regna Domini in coelis, unum vocatur Regnum coeleste Ipsius, et in illo sunt ii qui in amore in Dominum sunt, et alterum dicitur Regnum spirituale, et in illo sunt qui in charitate erga proximum sunt; haec Regna distinctissima sunt, sed usque in coelis unum agunt; de distinctis illis Regnis, seu de Coelesti et Spirituali, videantur quae prius multoties dicta sunt. Olim in Ecclesiis adhibebantur varia genera instrumentorum musicorum, sicut tympana, nablia, tibiae, citharae, decachordia, et plura alia, quaedam illorum pertinebant ad classem coelestium, quaedam autem ad classem spiritualium, haec cum nominantur in Verbo, involvunt talia, usque adeo, ut inde sciri possit, de quonam bono agitur, num scilicet de bono spirituali, vel num de bono coelesti; tympana et citharae pertinebant ad classem spiritualium, quapropter hic dicitur, quoad bonum spirituale; quod cithara praedicetur de spiritualibus, et quod per instrumenta chordacea significentur spiritualia, sed per inflatoria coelestia, videatur n: 418. 419. 420.

4139. Et non permisisti osculari [19] filios meos, et filias meas, quod significet disjunctionem ex statu libero secundum fidem boni illius, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574. 3800, inde non permittere osculari est disjunctio; ex significatione filiorum, quod sint vera, et filiarum, quod sint bona, de quibus aliquoties prius, ita disjunctio quoad vera et bona; quod ex statu libero secundum fidem boni illius, involvitur, de quo videatur prius n: 4136. 4137.

4140. Nunc stulte egisti faciendo, quod significet indignationem, constat ex affectione, quae in illis verbis.

4141. Sit Deo manus mea ad faciendum cum vobis malum, quod significet indignationis statum si ei potentia, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387; quod indignationis status sit, in quo haec dicta, et qui inde significatur, patet.

4142. Et Deus patris vestri nocte praeterita dixit ad me, quod significet quod non permissum a Divino, constare potest absque explicatione, inhibitum enim ei fuit in somnio loqui ad Jacobum a bono usque ad malum, ut quoque sequitur.

4143. Dicendo, cave tibi a loquendo cum Jacobo a bono usque ad malum, quod significet inhibitionem communicationis, constat a significatione loqui a bono usque ad malum, quod sit nulla communicatio amplius, de [qua] supra n: 4126, ita inhibitio communicationis.

4144. Et nunc eundo ivisti, quod significet quod ex proprio se separaverit, constat ex significatione ire eundo, quod sit separari; quod ex proprio, patet.

4145. Quia desiderando desideravisti ad domum patris tui, quod significet desiderium conjunctionis cum bono Divino directe influente, constat ex significatione domus patris hic, hoc est, Jischaki et Abrahami quod sit bonum directe influens; quod domus sit bonum, videatur n: 2233. 2234. 3652. [20] 3720; quod etiam pater sit bonum, n: 3703; quod Jischakus sit bonum Rationalis, n: 3012. 3194. 3210; et praeterea Abraham cum Jischako, repraesentat Bonum Divinum directe influens, et Laban bonum collaterale, seu quod non directe influit, n: 3665. 3778: bonum collaterale seu quod non directe influit, est id

bonum quod bonum medium dictum est, nam trahit hoc bonum plurima ex mundanis quae apparent ut bona, sed non sunt bona; at bonum directe influens est quod immediate a Domino, aut mediate per coelum a Domino, estque [21] bonum Divinum separatum a bono mundano tali ut modo dictum: unusquisque homo qui regeneratur, primum in bono medio est, ex causa, ut inserviat hoc pro introducendis bonis et veris genuinis, at postquam hoc inserviverat illi usui, separatur, et perducitur ad bonum quod directius influit; ita homo, qui regeneratur, per gradus perficitur: ut pro exemplo, qui regeneratur, primum credit, quod bonum quod cogitat et quod facit, sit [22] a seipso, et quoque quod aliquid mereatur, nondum enim scit, et si scit non capit, quod bonum possit aliunde influere, nec quod possit quin retribuatur, quia ex seipso id facit; nisi hoc primum crederet, nusquam faceret bonum; sed initiatur per id, tam in affectionem faciendi bonum, quam in cognitiones de bono, et quoque de merito; cumque in affectionem faciendi bonum ita perductus est, tunc incipit aliud cogitare et aliud credere, nempe quod bonum influat a Domino, et quod per bonum quod ex proprio facit, nihil mereatur et tandem cum est in affectione volendi et faciendi bonum tunc prorsus rejicit meritum, imo aversatur, et afficitur bono ex bono; cum in hoc statu est, tunc bonum directe influit. Sit [23] quoque pro exemplo amor conjugialis, bonum quod praecedit et initiat, est pulchritudo, aut convenientia morum, aut applicatio externa unius versus alterum, aut conditio utrinque par, aut conditio desiderata, haec bona sunt bona media prima amoris conjugialis; postmodum venit conjunctio animorum, quod unus velit sicut alter, et jucundum percipiat in faciendo quod alteri placet, hic status est alter et tunc priora, tametsi adsunt, usque non spectantur; demum succedit unitio quoad bonum coeleste et verum spirituale, quod nempe unus credat sicut alter, et unus afficiatur bono quo alter, cum hic status est, tunc uterque simul est in conjugio coelesti, quod est boni et veri, ita in amore conjugiali, nam amor conjugialis non aliud est, et tunc Dominus influit in affectiones utriusque sicut in unam; hoc bonum est quod directe influit, priora autem quae indirecte influxerunt inserviverant pro mediis introducendi ad hoc.

4146. Quare furatus es deos meos, [quod] significet indignationem ob veri amissi statum, constat ex illis quae de theraphim, quos Rachel abstulit, supra n: 4111, dicta et ostensa sunt.

4147. Vers: 31. 32. *Et respondit Jacob, et dixit Labani, quia timui, quia dixi, forte rapies filias tuas a mecum. Cum quo invenis deos tuos, non vivet coram fratribus nostris; lustra tibi quid mecum, et accipe tibi; et non scivit Jacob, quod Rachel furata illos.* Respondit Jacob et dixit Labani, quia timui, quia dixi, forte rapies filias tuas a mecum, significat statum si ex libero boni illius separatio facta, quod quoad affectiones veri laederetur: cum quo invenis deos tuos non vivet coram fratribus nostris, significat quod verum non ejus esset, sed quod ejus verum non subsisteret in suo bono: lustra tibi quid mecum, et accipe tibi, significat quod illius boni omnia separata: et non scivit Jacob quod Rachel furata illos, significat quod affectionis veri interioris essent.

4148. Respondit Jacob et dixit Labani, quia timui, quia dixi, forte rapies filias tuas a mecum, quod significet statum si ex libero boni illius separatio facta, quod quoad affectiones veri laederetur, constat ex illis quae praecedunt, ubi de separatione ex libero a parte boni per Labanem [24] significati, actum est, quibus hic respondetur, singula verba involvunt in sensu interno arcana coelestia, quae exponi nequeunt ob causam de qua mox supra n: 4136: quod significetur status si ex libero boni illius separatio facta esset, patet; et quod tunc affectiones veri laederentur, significatur per forte rapies filias tuas a mecum, per filias enim, hic Rachelem et Leam, significantur affectiones veri, ut prius multoties ostensum: quomodo haec se habent, a nunc sequentibus melius constare potest.

4149. Cum quo invenis deos tuos, non vivet coram fratribus nostris, quod significet quod verum non ejus esset, et quod ejus verum non subsisteret in suo bono, constat a significatione deorum, hic theraphim, quod sint vera, de qua n: 4111, at vera non boni per Labanem significati, sed affectionis, quae per Rachelem repraesentatur; quia per deos hic illa vera significantur, ideo memoratur quod Rachel illos furata, et de illis in sequentibus plus agitur, quod non memoratum, nisi illud fa-

ctum involvisset arcana, quae solum patent in sensu interno; et quia vera illa, de quibus hic agitur, non boni per Labanem significati essent, sed affectionis veri, quae per Rachelem repraesentatur, ideo per illa verba, nempe cum quo invenis deos tuos, non vivet coram fratribus nostris, significatur quod verum non ejus esset, et quod ejus verum non subsisteret in suo bono. Cum arcano hoc ita se habet; omne bonum spirituale habet sua vera, nam ubi id bonum, ibi vera; bonum in se spectatum unum est, sed varium fit per vera; vera enim comparari possunt fibris, quae organum quoddam corporis componunt, secundum formam fibrarum fit organum, proinde ejus operatio, quae, nempe operatio, fit per vitam quae per animam influit, et vita a bono quod a Domino; inde est, quod bonum, tametsi unum, usque apud unumquemvis varium sit, et tam varium, ut nusquam omnimode simile apud unum ut apud alterum; inde etiam est, quod unius verum nusquam subsistere possit in alterius bono; omnia enim vera apud unumquemvis qui in bono est, communicant inter se, et faciunt quandam formam, quare transferre unius verum in alterum non potest, sed cum transfertur, tunc transit in formam ejus qui recipit, et induit aliam faciem; sed hoc arcanum est altioris indaginis, quam ut paucis exponi possit; inde est quod unius mens nusquam alterius prorsus similis sit, sed quot homines, tot alii quoad affectiones et cogitationes; tum quod universum coelum consistat ex formis angelicis, quae in perpetua varietate sunt, quae in formam coelestem a Domino dispositae unum agunt; omne enim unum nusquam ex iisdem componitur, sed ex variis in forma, quae unum secundum formam faciunt: inde nunc patet, quid intelligitur per quod ejus verum non subsisteret in suo bono.

4150. Lustra tibi, quid mecum, et accipe tibi, quod significet quod illius boni omnia separata, constat ex sensu illorum verborum, qui est, quod nihil quod tuum est sit apud me, hoc est, quod nihil quod boni per Labanem significati sit in bono quod Jacobus, proinde quod illius boni omnia separata.

4151. Et non scivit Jacob quod Rachel furata illos, quod significet quod affectionis veri interioris essent, constat ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; et a significatione furari,

quod sit auferre quod charum et sanctum est, de qua n: 4112. 4113. 4133; supra per quod Rachel furata theraphim seu deos Labanis significata est mutatio status per Laban repraesentati quoad verum, videatur n: 4111, mutatio illa status hic et in nunc sequentibus ulterius describitur, quae inde fuit, quod bonum per Labanem repraesentatum, postquam separatum a bono quod Jacob, in alium statum per separationem venit; vera enim quae apparuerunt ei ut sua, quando bona conjuncta fuerunt, appercepta sunt quasi ablata; haec causa est, quod Laban de illis conquestus, et quod in tentoriis scrutatus, et non invenerit; vera enim quae per theraphim in bono sensu significantur, n: 4111, non fuerunt ejus, sed affectionis veri quae est Rachel. Haec quomodo se habent, nec constare potest, nisi ex illis quae contingunt in altera vita; quae enim ibi contingunt prope hominem, illa apparent homini sicut in illo; paene similiter se habet cum spiritibus in altera vita; societates spirituum, quae in bono medio sunt, cum in societate sunt cum angelis, tunc apparet illis prorsus quasi vera et bona, quae angelorum sunt, sint sua, imo nec aliter sciunt; at cum separantur, tunc appercipiunt, quod non ita sit; quapropter etiam conqueruntur, credentes quod ablata ab illis cum quibus in societate fuerunt; haec sunt quae significantur in sensu interno hic in mox sequentibus per theraphim: in genere se ita habet quod nusquam alicui sit bonum et verum, quod suum est, sed quod omne bonum et verum influat a Domino, tam immediate, quam mediate per societates angelicas; sed quod usque appareat sicut bonum et verum sit suum; et hoc ex causa, ut illa approprientur homini, usque dum in illum statum venit ut sciat, dein agnoscat, et tandem credat, quod non ejus sint, sed Domini; notum etiam est ex Verbo, et inde in Orbe Christiano, quod omne bonum et omne verum sit a Domino, et quod nihil boni sit ab homine, imo doctrinalia Ecclesiae, quae ex Verbo, dictant, quod homo ne quidem conari possit bonum a se, ita non velle, proinde non facere, nam facere bonum est ex velle bonum, et quoque quod omne fidei sit a Domino, sic ut homo ne minimum credere possit, nisi hoc influat a Domino; haec dictant doctrinalia Ecclesiae, et haec docent praedicationes; sed quod pauci, imo paucissimi, credant, quod ita se habeat, constare potest ex eo,

quod autument omne vitae esse in se, et vix aliqui, quod vita influat; omne vitae hominis consistit in facultate, quod cogitare possit, et quod velle possit, si enim facultas cogitandi et volendi aufertur, nihil vitae remanet; et ipsissimum vitae consistit in cogitare bonum et velle bonum, tum in cogitare verum, et velle id quod cogitat verum esse; cum haec secundum doctrinalia quae ex Verbo, non hominis sunt, sed Domini, et quod influant a Domino per coelum, inde potuissent illi qui aliquo judicio pollent, et qui reflectere possunt, concludere, quod omne vitae influat: similiter se habet cum malo et falso, secundum doctrinalia quae ex Verbo, est quod diabolus continue conetur seducere hominem, et quod continue insufflet malum, inde etiam dicitur, cum aliquis grande facinus commisit, quod se passus sit seduci a diabolo; hoc quoque verum est, sed usque pauci si ulli credunt; sicut enim omne bonum et verum est a Domino, ita est omne malum et falsum ab inferno, hoc est, a diabolo, nam infernum est diabolus; inde etiam constare potest, quod sicut omne bonum et verum, ita quoque omne malum et falsum influat, proinde etiam cogitare malum et velle malum; cum haec quoque influunt, concludi potest ab illis qui aliquo judicio pollent, et reflectere possunt, quod omne vitae influat, tametsi apparet sicut in homine sit: quod ita sit, multoties ostensum est spiritibus, qui recens e mundo in alteram vitam venerunt; sed quidam eorum dixerunt, si etiam omne malum et falsum influat, quod nihil mali et falsi illis attribui possit, et quod in culpa non sint, quia aliunde; sed responsum tulerunt, quod appropriaverint illud sibi per id, quod crediderint se ex se cogitare et ex se velle, at si credidissent, sicut res se habet, quod tunc non illa sibi appropriavissent; nam tunc etiam credidissent quod omne bonum et verum a Domino, et si hoc credidissent, quod se duci passi fuissent a Domino, et sic in alio statu fuissent; et tunc malum quod intravisset in cogitationem et voluntatem, non affecisset illos, quippe non exivisset malum, sed exivisset bonum, nam quae intrant non afficiunt, sed quae exeunt, secundum Domini verba apud Marcum Cap: VII: 15. At scire hoc multi possunt, sed pauci credere; qui mali sunt, etiam hoc scire possunt, sed usque non credunt, nam in proprio volunt esse, et hoc amant usque adeo, ut cum illis

ostenditur quod influat omne, in anxietatem veniant, et summopere flagitent, ut in proprio suo liceat eis vivere, et si id illis auferretur, quod non amplius vivere possent; ita credunt etiam illi qui sciunt. Haec dicta sunt, ut sciatur, quomodo se res habet cum societatibus Spirituum, quae in bono medio sunt, cum conjunctae sunt aliis, et cum ab illis separatae sunt, quod nempe cum conjunctae sunt, non aliter sciant, quam quod bona et vera sua sint, cum tamen non sua sunt.

4152. Vers: 33. 34. 35. *Et venit Laban in tentorium Jacobi, et in tentorium Leae, et in tentorium ambarum ancillarum, et non invenit; et exivit e tentorio Leae et venit in tentorium Rachelis. Et Rachel accepit theraphim, et posuit illos in stramento Cameli, et sedit super illis; et contrectabat Laban omne tentorium, et non invenit. Et dixit ad patrem suum, ne succenseatur in oculis Domini mei, quia non possum surgere a coram te, quia via foeminarum mihi; et scrutatus est, et non invenit theraphim.* Venit Laban in tentorium Jacobi, et in tentorium Leae, et in tentorium ambarum ancillarum, et non invenit, significat quod in sanctis illorum non talia vera essent: et exivit e tentorio Leae, et venit in tentorium Rachelis, significat sanctum illius veri: et Rachel accepit theraphim, significat vera naturalia interiora quae a Divino: et posuit illos in stramento cameli, significat quod in scientificis: et sedit super illis, significat quod interiora: et contrectabat Laban omne tentorium et non invenit, significat quod ibi non esset quod ejus proprium: et dixit ad patrem suum, significat ad bonum: ne succenseatur in oculis Domini mei, quia non possum surgere a coram te, significat quod revelari non possint: quia via foeminarum mihi, significat quod adhuc inter immunda: et scrutatus est, et non invenit theraphim, significat quod ejus non essent.

4153. Venit Laban in tentorium Jacobi, et in tentorium Leae, et in tentorium ambarum ancillarum, et non invenit, quod significet quod in sanctis illorum non talia vera essent, constat a significatione tentorii, quod sit sanctum, de qua n: 414. 1102. 2145. 2152. 3210. 3312. 4128, hic sancta, quia tentoria, nempe Jacobi, Leae, et ancillarum; quod non illa vera ibi, significatur per theraphim, qui ibi non inventi; quod theraphim in bono sensu sint vera, videatur supra n: 4111; per

Jacobum repraesentatur bonum naturalis, per Leam affectio veri externi, et per ancillas affectiones externae, de quibus prius; et quia vera, de quibus hic agitur, non erant externa sed interna, ideo non in eorum tentoriis, hoc est, sanctis, inventa sunt; sed erant in tentorio Rachelis, hoc est, in sancto affectionis veri interioris, per Rachelem enim affectio veri interioris repraesentatur.

4154. Et exivit e tentorio Leae, et venit in tentorium Rachelis, quod significet sanctum illius veri, constat ex illis quae mox supra dicta sunt. Cum veris se habet, sicut cum bonis, quod exteriora et interiora sint: est enim Internus homo et Externus; Interni hominis bona et vera sunt quae vocantur bona et vera interna, et Externi hominis bona et vera dicuntur bona et vera externa; Interni hominis bona et vera sunt triplicis gradus, qualia sunt in tribus coelis; Externi hominis bona et vera etiam sunt triplicis gradus, et correspondent internis; sunt enim bona et vera media inter Internum et Externum hominem, seu mediantia, nam absque mediis seu mediantibus non datur communicatio; sunt bona et vera propria naturalis hominis, quae bona et vera externa appellantur; et sunt quoque bona et vera sensualia, quae sunt corporis, ita extima; haec bona et vera triplicis gradus pertinent ad Externum hominem, et correspondent totidem bonis et veris Interni hominis, ut dictum, de quibus, ex Divina Domini Providentia, alibi: bona et vera cujusvis gradus inter se distinctissima sunt, et minime confunduntur; quae interiora sunt, sunt componentia, et quae exteriora, sunt composita; haec tametsi inter se distinctissima sunt, usque non apparent homini ut distincta; qui sensualis homo est, non videt aliter, quam quod omnia interiora, imo ipsa interna, sint modo sensualia, ex sensualibus enim videt, ita ab extimis; ab extimis interiora nusquam possunt, sed extima ab interioribus; qui naturalis homo est, hoc est, qui ex scientificis cogitat, is non aliter scit, quam quod naturalia, ex quibus cogitat, sint intima, cum tamen sunt externa; interior homo, qui ex analyticis detectis ex scientificis naturalibus judicat et concludit, similiter credit quod illa intima hominis sint, quia ut intima ei apparent, sed usque sunt infrá rationalia, ita respective ad genuina rationalia sunt exteriora seu inferiora; ita se habet cum captu hominis; sunt

haec, de quibus nunc dictum, Naturalis seu Externi hominis in triplici gradu; sed illa quae sunt Interni hominis, etiam in triplici gradu, ut dictum, sunt, qualia in tribus coelis. Ex his quae nunc dicta sunt, constare potest, quomodo se habet cum veris, quae significantur per theraphim, quod non inventi sint in tentoriis Jacobi, Leae et ancillarum, sed in tentorio Rachelis, hoc est, in sancto affectionis veri interioris. Omne verum, quod a Divino, est in sancto, nam non aliter potest esse, quia verum quod a Divino, est sanctum; sanctum dicitur ab affectione, hoc est, ab amore, qui a Domino influit, et facit ut homo afficiatur vero.

4155. Et Rachel accepit theraphim, quod significet vera naturalia interiora quae a Divino, constat ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua prius; et a significatione theraphim, quod sit vera quae a Divino, n: 4111, ita vera interiora, quae qualia et ubi, mox supra n: 4154, dictum est.

4156. Et posuit illos in stramento cameli, quod significet quod in scientificis, constat ex significatione stramenti cameli, quod sint scientifica; n: 3114; stramentum vocantur, tam quia cibus camelis, quam quia crassa et inordinata sunt respective; ideo etiam scientifica significantur per implexa arborum et sylvae, n: 2831; quod cameli sint scientifica communia, quae naturalis hominis, videatur n: 3048. 3071. 3143. 3145. Quod scientifica sint crassa et inordinata respective et ideo significentur per stramentum, et quoque per implexa, ut dictum, non apparet coram illis qui in solis scientificis sunt, et inde audiunt eruditi; credunt hi, quod quantum homo scit, seu quantum scientiae possidet, tantum sapiat; sed quod aliter se res habeat, constare mihi potuit ab illis in altera vita, qui dum vixerunt in mundo, in solis scientificis fuerunt, et inde captarunt nomen et famam Eruditi, quod quandoque multo stupidiores sint illis, qui nullas scientias calluerunt; causa quoque detecta est, quod nempe scientifica sint quidem media sapiendi, sed quod etiam sint insaniendi; qui in vita boni sunt, illis sunt scientifica media sapiendi, sed qui in vita mali sunt, illis sunt illa media insaniendi, nam per scientifica confirmant non solum vitam mali, sed etiam principia falsi, et hoc arroganter et cum persuasione, quia

se credunt sapere prae aliis, inde fit, quod rationale suum destruant; rationali enim non gaudet is, qui ex scientificis ratiocinari potest, et quandoque ad apparentiam sublimius quam alii, est modo fatuum lumen quod solertiam illam producit; sed is rationali pollet qui perspicere potest, quod bonum sit bonum, et verum verum, proinde quod malum sit malum, et falsum falsum; at qui bonum spectat ut malum, et malum ut bonum, tum qui verum ut falsum et falsum ut verum, is neutiquam dici potest rationalis, sed potius irrationalis, utcunque potest ratiocinari; apud illum qui perspicue videt quod bonum sit bonum, et quod verum sit verum, et vicissim quod malum sit malum et falsum sit falsum, influit lux e coelo, et intellectuale ejus illustrat, et facit ut rationes, quas intellectu videt, sint totidem radii lucis illius; eadem lux quoque illuminat scientifica, ut confirment, ac praeterea disponit illa in ordinem ac in formam coelestem; qui autem contra bonum et verum sunt, ut sunt omnes qui in vita mali, lucem illam coelestem non admittunt, sed solum delectantur lumine suo fatuo; quod talis natura est, ut videat, sicut qui in tenebris maculares strias videt in pariete, et inde per phantasias facit omnis generis imagines, quae tamen non imagines sunt, nam superveniente luce diei apparet quod solum maculares striae sint: Inde constare potest, quod scientifica sint media sapiendi, et quoque sint media insaniendi; hoc est, quod sint media rationale perficiendi, et sint media rationale destruendi; qui itaque rationale destruxerunt per scientifica, illi in altera vita multo stupidiores sunt illis qui nullas scientias calluerunt. Quod scientifica sint crassa respective, patet ex eo, quod sint naturalis seu externi hominis, et quod rationale, quod per illa excolitur, sit spiritualis seu interni hominis; quantum illa inter se differunt et distant quoad puritatem, sciri potest ex illis quae de binis memoriis n: 2469 ad 2494, dicta et ostensa sunt.

4157. Et sedit super illis, quod significet quod interiora, ita sub illa in stramento cameli; per stramentum cameli, significantur, ut mox supra dictum, scientifica; illa vera, quae per theraphim significantur, non fuerunt scientifica, sed in illis; se enim habet cum veris triplicis gradus, de quibus mox supra n: 4154, quod interiora sint in exterioribus, se enim ordine ita reponunt.

4158. Et contrectabat Laban omne tentorium, et non invenit, quod significet quod ibi non esset quod ejus proprium, constat ex serie rerum in sensu interno, ita absque ulteriore explicatione.

4159. Et dixit ad patrem suum, quod significet ad bonum, constat a significatione patris, quod sit bonum, de qua n: 3703; et a repraesentatione Labanis, qui hic pater, quod sit bonum medium, de qua prius.

4160. Ne succenseatur in oculis Domini mei, quia non possum surgere a coram te, quod significet quod revelari non possint, constare etiam potest a serie rerum in sensu interno, proinde absque ulteriore explicatione; surgere enim foret detegere, proinde revelare vera, quae per theraphim significantur; ita non posse surgere, significat quod revelari non possent.

4161. Quia via foeminarum mihi, quod significet quod adhuc inter immunda, constat a significatione viae foeminarum, quod sit immundities, et quoque quod inde immunda illa super quae sedit, Levit: XV: 19 ad 31; ita quod inter immunda: vera interiora dicuntur inter immunda esse, cum inter scientifica, quae nondum correspondent, seu quae discordant; talia removentur, cum homo mundatur, hoc est, cum regeneratur.

4162. Et scrutatus est, et non invenit theraphim, quod significet quod ejus non essent, nempe quod vera illa non Labanis, constat a significatione scrutari et non invenire; haec in sensu externo historico involvunt, quod quidem Labanis essent, sed abscondita, at in sensu interno, quod non ejus essent; quod theraphim sint vera a Divino, videatur n: 4111. Quomodo haec se habent, nempe quod vera illa non boni per Labanem significati essent, sed affectionis veri interioris, constare potest ab illis, quae supra n: 4151, dicta sunt. Ex his nunc patet, quodnam arcanum in his, quae de theraphim memorantur, reconditum latet. Quod per theraphim significentur vera ex Divino, est causa, quia illi qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt, variis nominibus insigniverunt Divinum seu Dominum, et hoc secundum diversa quae in effectibus apparuerunt, sicut nomine Dei Schaddai a tentationibus, in quibus Dominus pugnat pro homine, et post quas dein benefacit, videatur n: 1992. 3667; Providentiam Ipsius, ne homo ex se intret in mysteria fidei, voca-

runt Cherubos, n: 308; Vera Divina, quae tulerunt per responsa, dixerunt theraphim; reliqua attributa Divina etiam singularibus nominibus vocarunt; sed qui sapientes inter illos fuerunt, per omnia illa nomina non intellexerunt, quam unicum Dominum; simplices autem totidem imagines repraesentativas Divini illius sibi fecerunt; et cum cultus Divinus incepit verti in idololatriam, totidem deos sibi finxerunt; inde tot idololatriae, etiam inter gentiles, qui numerum auxerunt: at quia antiquis temporibus Divina per nomina illa intellecta sunt, aliqua retenta sunt, sicut Schaddai, et quoque Cherubi, tum theraphim, et in Verbo significantur per illa talia quae dicta sunt; quod per theraphim vera Divina, quae ex responsis, patet apud Hoscheam Cap: III: 4.

4163. Vers: 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. *Et succensuit Jacobo, et jurgatus est in Labanem, et respondit Jacob, et dixit Labani, quae praevaricatio mea, quod peccatum meum, quod insequutus es post me. Quia contrectasti omnia vasa mea, quid invenisti ab omnibus vasis domus tuae, pone huc coram fratribus meis et fratribus tuis, et dijudicent inter ambos nos. His viginti annis ego tecum; oves tuae, et caprae tuae, non abortiverunt; et arietes gregis tui non comedi. Discerptum non adduxi ad te, ego indemnificavi id, e manu mea requisivisti id, furatum die et furatum nocte. Fui, in die comedit me aestus, et frigus in nocte, et expulsus somnus meus ab oculis meis. His mihi viginti annis in domo tua servivi tibi, quatuordecim annis in duabus filiabus tuis, et sex annis in grege tuo, et mutavisti mercedem meam decem modis. Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami, et pavor Jischaki, fuisset mihi, quod nunc vacuum misisses me; miseriam meam, et fatigationem volarum mearum, vidit Deus, et dijudicavit nocte praeterita.* Succensuit Jacobo, et jurgatus est in Labanem, significat Zelum naturalis: et respondit Jacob et dixit Labani, quae praevaricatio mea, quod peccatum meum, quod insequutus es post me, significat quod non ex malo separaverit se: quia contrectasti omnia vasa mea, quid invenisti ab omnibus vasis domus tuae, significat quod nulla vera boni ejus propria fuissent, sed omnia data: pone huc coram fratribus meis, et fratribus tuis, et dijudicent inter ambos nos, significat quod ex

justo et aequo sit judicium: his viginti annis ego tecum, significat proprium: oves tuae et caprae tuae non abortiverunt, significat statum ejus quoad bonum et bonum veri: et arietes gregis tui non comedi, significat verum boni quod ex illius nihil sumserit: discerptum non adduxi ad te, significat quod malum non sua culpa apud illud bonum: ego indemnificavi id, significat quod bonum inde: e manu mea requisivisti id, significat quod ab Ipso: furatum die et furatum nocte, significat malum meriti similiter; fui, in die comedit me aestus, et frigus in nocte, et expulsus somnus meus ab oculis meis, significat tentationes: his mihi viginti annis in domo tua servivi tibi, significat proprium: quatuordecim annis in duabus filiabus tuis, significat primam periodum ut sibi acquireret inde affectiones veri: et sex annis in grege tuo, significat ut dein bonum: et mutavisti mercedem meam decem modis, significat statum ejus ad se, cum sibi applicaret bona illa: nisi Deus patris mei, Deus Abrahami, et Pavor Jischaki, fuisset mihi, significat nisi Divinum et Divinum Humanum: quod nunc vacuum misisses me, significat quod sibi omnia vindicavisset: miseriam meam, et fatigationem volarum mearum vidit Deus, et dijudicavit nocte praeterita, significat quod omnia ab Ipso propria potentia.

4164. Succensuit Jacobo, et jurgatus est in Labanem, quod significet Zelum naturalis, constat a significatione succensere seu irasci, et inde jurgari, quod sit Zelus; et a repraesentatione Jacobi, quod sit bonum naturalis, de qua prius: quod succensere seu irasci, et inde jurgari, sit Zelus, inde est, quia in coelo seu apud angelos non datur ira, sed loco irae Zelus; ira enim differt a Zelo, quod in ira sit malum, sed in Zelo bonum; seu quod qui in ira est, intendat alteri, cui irascitur, malum, sed qui in Zelo est, intendat alteri, erga quem Zelum habet, bonum; quapropter etiam qui in Zelo est, momento potest bonus esse, et in ipso actu bonus esse erga alios, non autem qui in ira; tametsi zelus in externa forma similis apparet irae, est usque in forma interna prorsus dissimilis.

4165. Et respondit Jacob et dixit Labani, quae praevaricatio mea, quod peccatum meum, quod insequutus es post me, quod significet quod non ex malo separaverit se, constat ex significatione praevaricationis et peccati, quod sit malum; inse-

qui, quod sit propter quod separaverit se, patet, ita quod non ex malo separaverit se.

4166. Quia contrectasti omnia vasa mea, quid invenisti ab omnibus vasis domus tuae, quod significet quod nulla vera ejus propria fuissent, sed omnia data, constat a significatione vasorum domus, quod sint vera propria; quod vasa sint vera, videatur n: 3068. 3079. 3316. 3318; inde quod vasa domus sint vera propria, patet; contrectare illa et non invenire est quod nulla ejus fuissent, consequenter quod omnia data: haec quomodo se habent, videatur n: 4151.

4167. Pone huc coram fratribus meis et fratribus tuis, et dijudicent inter ambos nos, quod significet quod ex justo et aequo sit judicium, constat ex significatione fratrum, quod sint bona, de qua n: 2360. 3803. 3815. 4121; quod fratres mei et fratres tui, sint justum et aequum, sequitur; quod dijudicent inter ambos nos, sit judicium, patet. Quod fratres mei et fratres tui sint justum et aequum, inde est, quia agitur hic de Naturali; in naturali enim id proprie vocatur justum et aequum, quod in spirituali dicitur bonum et verum: sunt apud hominem bina plana, super quibus fundantur coelestia et spiritualia, quae a Domino; unum planum est interius, alterum est exterius; ipsa plana non aliud sunt quam Conscientia, absque planis, hoc est, absque Conscientia, nusquam aliquid Coeleste et spirituale, quae a Domino, figi potest, sed transfluit sicut aqua per cribrum, quapropter illi qui absque tali plano sunt, seu absque Conscientia, non sciunt quid conscientia, imo nec credunt quod sit aliquod spirituale ac coeleste: planum interius seu conscientia interior, est ubi bonum et verum in genuino sensu, nam bonum et verum influens a Domino agit illam: planum autem exterius est conscientia exterior, et est ubi justum et aequum in proprio sensu, nam justum et aequum morale et civile, quod etiam influit, agit illam: est etiam planum extimum, quod quoque apparet sicut conscientia, sed non est conscientia, nempe agere justum et aequum propter se et mundum, hoc est, propter sui honorem seu famam, et propter mundi opes et possessiones, tum propter timorem legis; haec tria plana sunt, quae regunt hominem, hoc est, per quae Dominus regit hominem; per planum interius, seu per conscientiam boni et veri spiritua-

lis, regit Dominus illos qui regenerati sunt; per planum exterius, seu per conscientiam [25] justi et aequi, hoc est, per conscientiam boni et veri moralis et civilis, regit Dominus illos, qui nondum regenerati sunt, sed qui regenerari possunt, et quoque regenerantur, si non vita corporis, usque in altera vita: sed per planum extimum quod apparet instar conscientiae et tamen non est conscientia, regit Dominus omnes reliquos, etiam malos, hi absque hoc regimine ruerent in omnia nefaria et vesana, et quoque cum absque vinculis illius plani sunt, etiam ruunt; quique non regi se patiuntur per illa, aut vesani sunt, aut puniuntur secundum leges. Haec tria plana unum agunt apud regeneratos, nam influit unum in alterum, ac interius disponit exterius: primum planum, seu conscientia boni et veri spiritualis, est in rationali hominis; alterum vero planum, seu conscientia boni et veri moralis et civilis, hoc est, justi et aequi, est in naturali hominis. Ex his nunc patet, quid justum et aequum, quae significantur per fratres, nempe justum per fratres meos, et aequum per fratres tuos; justum enim et aequum dicitur, quia agitur de naturali homine, nam de eo proprie illa praedicantur.

4168. His viginti annis ego tecum, quod significet proprium, constat ex significatione viginti, quod sit bonum reliquiarum, n: 2280; hae autem, nempe reliquiae, cum praedicantur de Domino, non aliud sunt quam Ipsius proprium, n: 1906; viginti anni significant proprii status, quod anni sint status, videatur n: 487. 488. 493. 893: quae continentur in Jacobi verbis ad Labanem, in sensu supremo agunt de proprio in naturali, quod Dominus sibi propria potentia acquisivit, et quidem de proprii illius variis statibus.

4169. Oves tuae et caprae tuae non abortiverunt, quod significet statum ejus quoad bonum et bonum veri, constat a significatione ovis, quod sit bonum, de qua sequitur; et a significatione caprae, quod sit bonum veri, de qua n: 3995. 4006; per bonum simpliciter dictum, intelligitur bonum voluntatis, per bonum veri autem bonum intellectus; bonum voluntatis est ex bono facere bonum, bonum autem intellectus est ex vero facere bonum: haec apparent illis, qui bonum faciunt ex vero, quod unum sint, sed usque inter se multum differunt; bonum enim

facere ex bono, est ex perceptione boni, perceptio boni non datur apud alios quam apud coelestes; at bonum facere ex vero, est ex scientia et inde intellectu, sed absque perceptione quod ita sit, solum quod sic instructus sit ab aliis, aut a se per facultatem suam intellectualem concluserit, quod ita sit, hoc potest fallax verum esse, sed usque si finem boni habet, tunc quod ex vero illo facit, ut bonum fit. Quod oves significent bona, constare potest a pluribus locis in verbo, quorum haec solum licet afferre; apud Esaiam, „Afflictus est, et non aperuit os suum, sicut pecus ad mactationem ducitur, et sicut *Ovis* coram tonsoribus, et non aperuit os suum" LIII: 7, de Domino, ubi comparatur ovi non ex vero sed ex bono. Apud Matthaeum „Jesus dixit ad duodecim quos emisit: in viam gentium non abitote, et in urbem Samaritanorum ne ingredimini, abite potius ad *oves perditas domus Israëlis*" X: 5. 6; gentes ad quas non abirent, pro illis qui in malis, quod gentes sint mala, videatur n: 1259. 1260. 1849; urbes Samaritanorum pro illis qui in falsis; oves pro illis qui in bonis. Apud Johannem „Jesus post resurrectionem dixit ad Petrum, pasce agnos meos; secundum dixit, pasce *oves meas;* tertio dixit, *pasce oves meas*" XXI: 15. 16. 17; agni pro illis qui in innocentia; oves primo loco pro illis qui in bono ex bono; oves tertio loco, pro illis qui in bono ex vero. Apud Matthaeum „Cum veniet Filius hominis in gloria sua, statuet *oves a dextris*, hircos a sinistris; et dicit illis qui a dextris, venite benedicti Patris mei, ut haereditatem possidete paratum vobis regnum a fundatione mundi; nam esurivi, et dedistis Mihi quod ederem; sitivi et potastis Me; peregrinus fui et collegistis Me; Nudus fui et induistis Me; aegrotus fui et visitastis Me; in custodia fui et venistis ad Me: in quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis" XXV: 31 ad 40; ibi quod ovis pro bonis, hoc est, pro illis qui in bono sunt, manifeste patet; omnia genera bonorum charitatis ibi continentur in sensu interno, de quibus ex Divina Domini Misericordia, alibi; per hircos significantur in specie illi qui in fide et in nulla charitate sunt; similiter apud Ezechielem „Vos, mi grex, dixit Dominus Jehovih, ecce Ego judicans inter pecudem et pecudem, inter *Arietes ovium,* et inter *hircos,*" XXXIV: 17; quod hirci sint in specie illi qui in fide nullius charitatis sunt, constare

potest ex significatione hircorum, quod sint, in bono sensu, illi qui in vero fidei, et inde in aliqua charitate, sed in opposito, illi qui in fide nullius charitatis, ratiocinantur de salute, ex principiis, quod fides salvet; quod etiam apparet ex illis quae Dominus de hircis dicit apud Matthaeum in loco citato; qui autem in nullo vero fidei, et simul in nullo bono charitatis sunt, illi absque tali judicio, nempe absque convictione quod in falso sint, feruntur in infernum.

4170. Et arietes gregis tui non comedi, quod significet verum boni quod ex illius nihil sumserit, constat ex significatione arietum, quod sint vera boni; oves enim significant bona, inde arietes quia sunt ovium, vera boni; et ex significatione comedere, quod sit appropriare sibi, de qua n: 3168. 3513. 3596. 3832, ita sumere, nam quod ab alio appropriatur, hoc ab illo sumitur.

4171. Discerptum non adduxi ad te, quod significet quod malum non sua culpa apud illum bonum, constat a significatione discerpti, quod sit mors illata ab alio, ita malum non sua culpa: mala, quae apud hominem, plures origines habent, prima origo est ex haereditario per continuas derivationes ab avis et atavis in patrem, et a patre, in quo sic mala cumulata sunt, ad semet; altera origo est ex actuali, quod nempe homo sibi ipsi acquirit per vitam mali, hoc malum homo partim ex haereditario, sicut ex oceano malorum, desumit, et in actum mittit, partim superaddit a se plura, inde proprium quod homo sibi acquirit: sed actuale hoc malum, quod homo proprium facit, diversas quoque origines habet, in genere duas, nempe unam, quod malum recipiat ab aliis absque sua culpa; alteram, quod accipiat a semet, ita sua culpa; quod homo recipit ab aliis absque sua culpa, est quod in Verbo significatur per discerptum, at quod accipit a semet, ita sua culpa, in Verbo significatur per cadaver; inde est, quod sicut in Antiqua Ecclesia, etiam in Judaica, prohibitum fuerit edere sponte mortuum seu cadaver, et quoque discerptum; de quibus ita apud Mosen „Omnis Anima, quae edit *cadaver* et *discerptum*, inter indigenam et peregrinum, lavabit vestes suas, et abluet se aquis, immunda erit usque ad vesperam, et munda erit; et si non lavaverit, et carnem suam non abluerit, portabit iniquitatem suam," Levit:

XVII: 15. 16. Apud Eundem „*Cadaver* et *Discerptum* non comedet, ad polluendum se eo, Ego Jehovah," Levit: XXII: 8; discerptum pro malo quod ex falso, quod infertur a malis, qui sunt ferae in sylva quae discerpunt, infernales enim in Verbo comparantur feris. Apud Eundem „Viri sanctitatis eritis Mihi, ideo *carnem in agro discerptam* non comedetis, canibus projicietis eam," Exod: XXII: 30. Apud Ezechielem „Propheta ad Jehovam; Anima mea non polluta est, et *Cadaver* et *Discerptum* non edi a pueritia mea huc usque, et non venit in os meum caro abominationis," IV: 14. Apud Eundem „Ullum *Cadaver* aut *Discerptum* de ave et de bestia non comedent sacerdotes," XLIV: 31, [26] de Regno Domini, quod ibi Nova Terra. Ex his constare potest, quid discerptum in sensu interno: ut tamen ulterius pateat, quid Discerptum, sit pro exemplo; qui boni vitam agit, seu qui ex bene velle alteri bene facit, is si ab alio, qui in malo est, se persuaderi patitur, quod vita boni nihil faciat ad salutem, ex causa quia omnes in peccatis nati sunt, et quia nemo ex se velle bonum potest, proinde nec facere, et quod ideo medium salvans provisum sit, quod dicitur Fides, et sic quod per fidem salvari possit absque vita boni, et hoc etiamsi fidem receperit in ultima mortis hora; si talis, qui in vita boni vixit, se persuaderi patitur, et dein vitam non curat, et quoque contemnit, is discerptus dicitur; discerptum enim praedicatur de bono, cui falsum insinuatur, inde bonum non amplius vivum fit. Sit etiam pro exemplo, Conjugiale, quod aliquis in principio pro coelesti habet, sed postmodum se persuaderi patitur unus vel uterque qui in conjugio, quod sit modo propter ordinem in mundo, et propter educationem et distinctam curam liberorum, ac propter haereditates; et praeterea quod Conjugii vinculum non aliud sit, quam quale est pacti, quod ab utroque, si ex consensu, dissolvi aut relaxari possit, ac ita postquam persuasionem illam recepit, nihil coeleste de conjugio cogitat; si inde lascivia, tunc fit tale quod dicitur discerptum; ita in caeteris. Quod mali sint qui discerpunt, et quidem per ratiocinia ab externis, in quae interna insinuari nequeunt propter vitam mali, constare potest ab his, apud Jeremiam „Percussit magnates leo de sylva, lupus desertorum devastavit eos, pardus vigilans super urbes eorum, *omnis exiens*

ab illis discerpetur, quia multiplicatae sunt praevaricationes eorum, validae factae aversiones eorum, » V: 5. 6; et apud Amos » Edomus persequutus est fratrem suum gladio, et perdidit miserationes suas, et *discerpit ad perpetuum* ira sua, et furorem suum servat jugiter, » I: 11. 12.

4172. Ego indemnificavi id, quod significet quod bonum inde, constat a significatione indemnificare, quod sit bonum reddere, hic bonum inde. Cum malo culpae et malo non culpae, quae significantur per cadaver et discerptum, de quibus mox supra, ita se habet; malum culpae, seu malum quod homo per actualem vitam sibi contraxit, et quoque confirmavit cogitatione usque ad fidem et persuasionem, non potest emendari, sed hoc manet in aeternum; at malum non culpae, quod homo non confirmavit cogitatione, et non sibi intus persuasit, hoc quidem manet, sed modo haeret in externis, non enim penetrat ad interiora, ac internum hominem pervertit; tale malum est, per quod bonum, nam internus homo, qui nondum affectus est et consensit, potest videre id in externo quod malum sit, et sic potest id removeri; et quia internus homo id potest videre, ideo simul tunc clarius videre potest bonum, ex opposito enim apparet bonum clarius quam ex non opposito, et quoque sensibilius dein bono afficitur; hoc nunc est, quod intelligitur per bonum inde.

4173. E manu mea requisivisti id, quod significet quod ab Ipso, constat a significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387, ita quod ab Ipso; quod enim a sua potentia est, hoc ab Ipso est.

4174. Furatum die et furatum nocte, quod significet malum meriti similiter, constat ex significatione furati seu furti, quod sit malum meriti: malum meriti est, cum homo tribuit sibi bonum, et autumat quod a se, ac ideo mereri vult salutem; hoc malum est, quod in sensu interno significatur per furtum. Sed cum hoc malo ita se habet, principio omnes qui reformantur putant quod bonum sit a se, et inde quod per bonum, quod faciunt, mereantur salutem; nam autumare quod per bonum, quod faciunt, mereantur salutem, inde venit, quod autument bonum esse a se, unum enim cohaeret cum altero; sed qui regenerari se patiuntur, non confirmant hoc cogitatione, aut sibi

persuadent quod ita sit, sed successive dissipatur; quamdiu enim homo in externo homine est, ut sunt omnes in principio reformationis, non potest aliter quam ita cogitare, at cogitat solum ab externo homine; sed cum externus homo cum suis concupiscentiis removetur, ac internus incipit operari, hoc est, cum Dominus per internum hominem influit cum luce intelligentiae, ac illustrat inde externum hominem, tunc aliter credere incipit, ac sibi bonum non tribuit, sed Domino: inde patet quid malum meriti, quod hic intelligitur per quod bonum similiter, ac per malum non culpae, de quo prius. At vero, si homo cum ad adultam aetatem pervenit, confirmat id cogitatione, et sibi prorsus persuadet, quod mereatur per bonum, quod facit, salutem, hoc malum radicitus haeret, et non emendari potest, vindicant enim sibi id quod Domini est, et sic non recipiunt bonum quod continue influit a Domino, sed illico, cum influit, derivant id in se, et in suum proprium, proinde id conspurcant: haec mala sunt, quae in proprio sensu significantur per furta, videatur n: 2609.

4175. Fui, in die comedit me aestus, et frigus in nocte, et expulsus somnus meus ab oculis meis, quod significet tentationes, constat a significatione aestus et frigoris, quod sit id quod amoris nimium est, et quod ejus nihil est, ita duo extrema; dies significat statum fidei seu veri, qui tunc in summo, et nox statum nullius fidei seu veri, n: 221. 935. 936; et a significatione somni expulsi ab oculis, quod sit continue seu absque requie; quia talia sunt, quae in tentationibus, ideo per illa verba hic tentationes in genere significantur. Quod aestus significet nimium amoris, est quia ignis et calor spiritualis est amor, et vicissim frigus spirituale est nullus amor; ipsa enim vita hominis non est nisi amor, nam absque amore homo prorsus nihil vitae habet, imo, si reflectat homo, scire potest, quod omnis ignis et calor vitalis, qui in corpore, sit inde; at frigus non significat privationem omnis amoris, sed privationem amoris spiritualis et coelestis, et privatio ejus est, quae vocatur mors spiritualis; homo quando illo amore privatur, accenditur amore sui et mundi, hic amor est respective frigus, et quoque fit frigus, non solum apud hominem cum in corpore vivit, sed etiam cum in alteram vitam venit; cum in corpore vivit, si ei amor

sui et mundi aufertur, frigescit ita, ut vix aliquid vitae habeat, similiter si adigeretur ad cogitandum sancte de coelestibus et Divinis; in altera vita, quando est inter infernales, in igne seu aestu cupiditatum est, ast si approximat ad coelum, ignis ille et aestus vertitur in frigus, eo intensius quo propius accedit, cum aucto in simili gradu cruciatu: hoc frigus est quod intelligitur per stridorem dentium, qui illis qui [in] inferno, Matth: VIII: 12. Cap: XIII: 42. 50. Cap: XXII: 13. Cap: XXIV: 51. Cap: XXV: 30. Luc: XIII: 28.

4176. His mihi viginti annis in domo tua servivi tibi, quod significet proprium, constat a significatione viginti, quod sit bonum reliquiarum, de qua n: 2280, quod bonum cum praedicatur de Domino, est quod Sibi Ipsi acquisivit, n: 1906, ita *Ipsius* proprium; et ex significatione servire, quod sit, cum praedicatur de Domino, propria potentia, de qua n: 3975. 3977.

4177. Quatuordecim annis in duabus filiabus tuis, quod significet primam periodum, ut sibi acquireret inde affectiones veri, constat a significatione quatuordecim seu binarum septimanarum, quod sint prima periodus; septimanae enim in Verbo non aliud significant quam integram periodum, magnam vel parvam, videatur n: 2044. 3845; binae septimanae cum sicut una nominantur, similiter, numerus enim duplicatus et in se multiplicatus non tollit significationem; inde patet quid hic quatuordecim seu binae septimanae; et a significatione binarum filiarum, hic Rachelis et Leae, quod sint affectiones veri, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; et praeterea quod filiae sint affectiones, n: 2362.

4178. Et sex annis in grege tuo, quod significet ut dein bonum, constat a significatione sex, quod sit pugna et labor, de qua n: 720. 737. 900, hic reliquum pugnae et laboris, ita dein; et ex significatione gregis, quod sit bonum, de qua n: 343. 2566. 3518.

4179. Et mutavisti mercedem meam decem modis, quod significet statum ejus ad se, cum sibi applicaret bona illa, constat a significatione mercedis, cum praedicatur de Domino, quod sit a Semet, de qua n: 3996. 3999, ita cum Sibi applicaret bona; et ex significatione mutare illam, quod sit status istius

boni quod per Labanem significatur, ad se; decem modi quod sint plurima mutatio, [videatur] n: 4077.

4180. Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami, et pavor Jischaki, fuisset mihi, quod significet nisi Divinum et Divinum Humanum, constat a significatione Dei patris, cum praedicatur de Domino; quod sit Divinum quoad Bonum, quod Pater sit Divinum Bonum, et Filius Divinum Verum, videatur n: 2803. 3704, hic Divinum Bonum utriusque Essentiae; a significatione Dei Abrahami, quod sit Ipsum Divinum quod Divina Essentia vocatur, quod Abraham repraesentet Dominum quoad Ipsum Divinum, n: 2011. 3439; et ex significatione pavoris Jischaki, quod sit Divinum Humanum; Pavor dicitur, quia est Divinum Verum quod intelligitur, nam Divinum Verum secum habet timorem, pavorem, et terrorem, apud illos qui non in bono sunt, non autem Divinum Bonum, hoc nullum terret; similiter in sequentibus hujus Capitis « Juravit Jacob in Pavorem patris sui Jischaki, » Vers: 53; Laban enim quia tunc separatus a Jacobo, hoc est, Bonum medium separatum a Bono Divino, in tali statu fuit, ut malum inferre vellet, sicut patet ab illis, quae de Labane dicuntur; ideo, quia tunc talis, dicitur Pavor Jischaki: quod Pavor Jischaki significet Deum Jischaki, cuivis constare potest, et quoque quod in illo statu. Quod Jischakus repraesentet Divinum Humanum Domini, et quidem quoad Divinum Rationale, videatur n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 3012. 3194. 3210. 3973 pr. [26] Cum hoc, quod Divinum Verum quod a Domino, secum pavorem habeat apud illos qui non in bono sunt, non autem Divinum Bonum, ita se habet; Sanctum, quod a Domino, in se habet Divinum Bonum et Divinum Verum, haec continue a Domino procedunt, inde Lux quae est in coelis, et inde lux quae in mentibus humanis, [27] consequenter inde sapientia et intelligentia, nam hae luci illi insunt; sed lux illa seu sapientia et intelligentia afficit omnes secundum receptionem; qui in malo sunt, non recipiunt Divinum Bonum, nam in nullo amore et charitate sunt, omne enim bonum est amoris et charitatis; sed Divinum Verum recipi potest, etiam a malis, at modo ab Externo illorum homine non ab Interno: se habet hoc sicut calor et lux, quae a Sole, calor spiritualis est amor, ita bonum, lux autem spiritualis est

fides, ita verum; cum calor a sole recipitur, tunc arbores et flores vegetant, producunt folia, flores, fructus aut semina, hoc fit tempore veris et aestatis, at cum calor a sole non recipitur, sed solum lux, tunc nihil vegetat, at omne vegetativum torpescit, sicut fit tempore autumni et hyemis; ita quoque se habet cum calore spirituali et luce spirituali, quae a Domino, si homo est instar veris seu aestatis, tunc recipit bonum quod est amoris et charitatis, et producit fructus, at si homo est instar autumni et hyemis, tunc non recipit bonum amoris et charitatis, proinde non producit fructus, sed usque recipere potest lucem, hoc est, scire illa quae fidei seu veri sunt; lux hyemalis simile facit, nam sistit similiter colores et pulchritudines, et illas conspicuas facit, sed cum differentia, quod non penetret versus interiora, quia non ibi calor, inde nulla vegetatio: cum itaque bonum non recipitur, sed modo lux, tunc est sicut in objectis calor non recipitur, modo formae imago et formositas a luce, inde intus est frigus, et ubi frigus intus, ibi torpor omnium ibi, et quasi corrugatio et horripilatio cum illuc lux se indit; haec sunt quae in vivis faciunt timorem, pavorem et terrorem: per hanc comparationem aliquatenus comprehendi potest, quomodo se habet cum timore, pavore, et terrore, qui apud malos, quod nempe illa non sint a Divino Bono, sed a Divino Vero, et quod tunc sint, quando non recipiunt Divinum Bonum, et tamen recipiunt Divinum Verum; tum quod Divinum Verum absque Bono, non penetrare possit versus interiora, sed modo haereat in extremis, hoc est, in Externo homine, ac ut plurimum in ejus sensuali; et quod inde appareat homo in externa forma quandoque pulcher, cum tamen in interna sit foedus: inde quoque constare potest, qualis fides apud perplures sit, quam dicunt salvare absque bonis operibus, hoc est, absque bene velle et bene agere. Quia a Divino Humano procedit Divinum Verum, non autem ab Ipso Divino, ideo Divinum Humanum est, quod hic significatur per Pavorem Jischaki, nam, ut dictum, Divinum Verum est, quod terret, non autem Divinum Bonum: quod a Divino Humano Domini procedat Divinum Verum, non autem ab Ipso Divino, est arcanum hactenus non detectum; cum hoc ita se habet; antequam Dominus venit in mundum, tunc Ipsum Divinum influxit in universum Coelum, et

quia tunc Coelum constabat quoad maximam partem a Coelestibus, hoc est, ab illis qui in bono amoris fuerunt, per influxum illum, ex Omnipotentia Divina producebatur Lux, quae in coelis, et inde sapientia et intelligentia; at postquam humanum genus se removit a bono amoris et charitatis, tunc non amplius per Coelum produci potuit lux illa, proinde non sapientia et intelligentia, quae penetraret usque ad genus humanum, quapropter ex necessitate ut salvaretur, Dominus in mundum venit, ac Humanum in Se Divinum fecit, ut Ipse quoad Divinum Humanum fieret Lux Divina, et sic universum coelum et universum mundum illuminaret: fuerat Ipsa Lux ab aeterno, nam ab Ipso Divino per Coelum illa Lux; ac Ipsum Divinum erat quod suscepit Humanum, et Hoc Divinum fecit, et cum Hoc Divinum factum est, tunc ab Illo non modo illuminare potuit ipsum coelum coeleste, sed etiam coelum spirituale, et quoque genus humanum, quod recepit et recipit Divinum Verum in bono, hoc est, in amore in Ipsum et in charitate erga proximum, ut patet apud Johannem „Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius; qui non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt," I: 12. [13.] Ex his, quae nunc dicta sunt, constare potest, quid per haec apud Johannem significantur „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est: In Ipso vita erat, et vita erat Lux hominum: erat Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum," I: 1. 2. 3. 4. 9 seq: Verbum ibi significat Divinum Verum: quod autem Dominus quoad utramque Essentiam sit Divinum Bonum, at quod ab Ipso procedat Divinum Verum, videatur n: 3704; Divinum enim Bonum non recipi potest ab homine, ne quidem ab Angelo, sed solum a Divino Humano Domini, quod intelligitur per haec Verba apud Johannem „Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, Qui in sinu Patris est, Ille exposuit," I: 18; sed recipi potest Divinum Verum, at quale dari potest apud hominem qui recipit; in quo vero habitare potest Divinum Bonum, cum differentia secundum receptionem. Talia arcana sunt, quae obveniunt Angelis, cum ab homine leguntur haec

verba „Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami, et Pavor Jischaki, fuisset mihi;" inde patet, quantum coeleste inest Verbo, et singulis Verbi, tametsi nihil ejus apparet in sensu literae; et inde quoque patet, qualis sapientia Angelica est prae sapientia humana; et quod Angeli in arcanissimis sint, cum homo ne quidem scit, quod aliquod arcanum insit: sed haec, quae memorata sunt, modo paucula sunt, in his enim arcanis Angeli vident et percipiunt innumerabilia, imo respective indefinita, quae nusquam possunt edici, quia loquela humana non est adaequata illis exprimendis, nec mens humana capax recipiendi.

4181. Quod nunc vacuum misisses me, quod significet quod sibi omnia vindicavisset, constat a significatione vacuum mittere, quod sit omnia illi auferre, ita omnia sibi vindicare.

4182. Miseriam meam, et fatigationem volarum mearum vidit Deus, et dijudicavit nocte praeterita, quod significet quod omnia ab Ipso propria potentia, constat a significatione miseriae et fatigationis volarum hic, quod sint tentationes; et quia Dominus per tentationes et victorias univit Divinum Humano, et Hoc quoque Divinum fecit, et id ex propria potentia, ideo per eadem haec verba, haec significantur; quod Dominus per tentationes et victorias univerit Divinum Humano, et Hoc Divinum fecerit ex propria potentia, videatur n: 1661. [28] 1737. 1813. 1921. 2776. 3318 f: vola seu manus, quod sint potentia, n: 878. 3387, proinde volae meae aut manus meae, propria potentia: vidit Deus, et dijudicavit, significat Divinum Domini, quod nempe Divinum quod in Ipso, et quod Ipsius, id fecerit.

4183. Vers: 43. *Et respondit Laban, et dixit ad Jacobum, filiae filiae meae, et filii filii mei, et grex grex meus, et omne quod tu videns, mihi hoc; et filiabus meis quid faciam illis hodie, aut filiis illarum, quos pepererunt.* Respondit Laban et dixit ad Jacobum, significat perceptionis statum obscurum: filiae filiae meae, et filii filii mei, et grex grex meus, significat quod omnes affectiones veri, omnia vera et bona essent ejus: et omne quod tu videns, mihi hoc, significat omne perceptivum et intellectuale: et filiabus meis, quid faciam illis hodie, aut filiis illarum quos pepererunt, significat quod illa vindicare sibi non ausus sit.

4184. Respondit Laban et dixit ad Jacobum, quod significet perceptionis statum obscurum, constat a significatione respondere et dicere, quod sit perceptio; quod dicere in historicis Verbi sit percipere, videatur n: 1898. 1919. 2080. 2862. 3509. 3395; quod perceptionis status obscurus sit, constat ab illis quae Laban hic dicit, quod nempe filiae, filii, et grex essent illius, cum tamen non illius essent; et in sensu interno, quod bonum medium omnia bona [et] vera sibi vindicaret; de his quae dicuntur a Labane, videantur quae prius n: 3974. 4113.

4185. Filiae filiae meae, et filii filii mei, et grex grex meus, quod significet quod omnes affectiones veri, omnia vera et bona, ejus essent, constat a significatione filiarum, hic Rachelis et Leae, quod sint affectiones veri, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; ex significatione filiorum, quod sint vera; de qua n: 489. 491. 533. 1147. 3373; et ex significatione gregis, quod sint bona, de qua n: 343. 1565. 2566; quod sibi illa vindicaret, sicut ejus essent, patet, nam dixit, filiae filiae meae, et filii filii mei, et grex grex meus.

4186. Et omne quod tu videns, mihi hoc, quod significet omne perceptivum et intellectuale, constat a significatione videre, quod sit percipere et intelligere, de qua n: 2150. 3863, ita quod omne perceptivum et intellectuale veri et boni ejus esset. Haec quomodo se habent, prius dictum est, et illustratum per illa quae in altera vita fiunt, quod nempe spiritus, cumprimis mediae sortis, cum sunt in societate quadam angelica, tunc non aliter sciant, quam quod affectiones boni et veri, quae a societate influunt, sint illorum; talis enim est communicatio affectionum et cogitationum in altera vita, et quantum cum illa societate conjuncti sunt, quod tantum id putent; iidem, cum separantur inde, indignantur, et cum in statum indignationis, etiam in statum obscurum veniunt, de qua supra n: 4184, in quo statu, quia non perceptionem interiorem habent, vindicant sibi bona et vera, quae societatis angelicae sunt, et per communicationem, de qua dictum, habuerunt; hic status est, qui in hoc Versu describitur: praeterea per multam experientiam mihi scire datum est, quomodo affectiones boni et veri communicantur aliis; spiritus illius sortis aliquoties apud me fuerunt, et cum per affectionis quid conjuncti essent, tunc non aliter sci-

verunt, quam quod mea illorum essent: et informatus, quod simile fiat apud omnes homines; quilibet enim homo apud se habet spiritus, qui ut primum veniunt ad hominem, ac intrant in ejus affectionem, non aliter norunt, quam quod omnia, quae hominis sunt, nempe omnia affectionis et cogitationis ejus, sint illorum; ita conjunguntur homini spiritus, per quos homo a Domino regitur, n: 2488; de quibus ab ipsa experientia in sequentibus, ad finem Capitum, dicetur.

4187. Et filiabus meis quid faciam illis hodie, aut filiis illarum quos pepererunt, quod significet quod illa vindicare sibi non ausus sit, constat ex significatione filiarum, quod sint affectiones veri, et filiorum quod sint vera, de quibus mox supra n: 4186; quod illa sibi vindicare non ausus sit, significatur per *quid faciam illis hodie*, et patet ex illis quae praecedunt, quod nempe Deus dixerit ad illum in somnio „Cave tibi ne forte loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum" Vers: 24.

4188. Vers: 44. 45. 46. *Et nunc ito, pangamus foedus ego et tu, et sit in testem inter me et inter te. Et accepit Jacob lapidem, et erexit illum in statuam. Et dixit Jacob fratribus suis, colligite lapides, et acceperunt lapides, et fecerunt acervum, et comederunt ibi super acervo.* Nunc ito, pangamus foedus ego et tu, et sit in testem inter me et inter te, significat conjunctionem Divini Naturalis cum bonis operum, in quibus illi qui a latere, seu gentes: et accepit Jacob lapidem, et erexit illum in statuam, significat verum tale et inde cultum: et dixit Jacob fratribus suis, significat illos qui in bono operum: colligite lapides, et acceperunt lapides, et fecerunt acervum, significat vera ex bono: et comederunt ibi super acervo, significat appropriationem ex bono Divino.

4189. Nunc ito, pangamus foedus ego et tu, quod significet conjunctionem Divini Naturalis cum bonis operum, in quibus illi qui a latere seu gentes; constat ex significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021; ex repraesentatione Labanis hic, qui est ego, quod sint bona operum, de qua sequitur; et ex repraesentatione Jacobi, qui hic est tu, quod sit Divinum Naturale. Quod per Labanem hic significentur bona operum, in quibus illi qui a latere, seu gentes, est causa, quia nunc separatus

Laban a Jacobo, hoc est, bonum medium a bono Divino Naturalis; non amplius repraesentare potest bonum medium; sed quia servivit pro medio, ideo repraesentat aliquod bonum, et quidem bonum a latere, seu bonum collaterale; quod Laban antequam Jacobo ita conjunctus esset, repraesentaverit bonum collaterale, videatur n: 3612. 3665. 3778, proinde bonum a latere; at quale id bonum sit, in sequentibus dicetur: cum Labane similiter se habet, ac cum Lotho et Jischmaële; Lothus quamdiu fuit cum Abrahamo, repraesentavit Dominum quoad sensualem externum hominem, n: 1428. 1434. 1547. 1597. 1598. 1698; at cum separatus est ab Abrahamo, repraesentavit illos qui in externo cultu, sed usque in charitate, n: 2317. 2324. 2371. 2399, tum plures status Ecclesiae successive, n: 2422. 2459. Jischmaël pariter, quamdiu is fuit cum Abrahamo, repraesentavit primum Rationale Domini, n: 1893. 1949. 1950. 1951; at dein cum separatus est, repraesentavit spirituales, n: 2078. 2691. 2699. 3263. 3268: ita quoque se habet cum Labane; causa est, quia, tametsi separatio facta, usque remanet conjunctio, sed non illa quae prius; inde est, quod Laban hic, et in nunc sequentibus, repraesentet bona operum, qualia sunt apud illos qui a latere sunt, hoc est, apud gentes; a latere dicuntur gentes seu in bono collaterali, quia extra Ecclesiam sunt; qui intra Ecclesiam in bono et vero sunt, non in linea collaterali sunt, sed in linea directa, nam illis Verbum est, et per Verbum communicatio directa cum coelo, et per coelum cum Domino, non autem gentibus, nam hae Verbum non habent, nec norunt Dominum; inde est quod dicuntur a latere; sed intelliguntur gentes, quae in bonis operum, hoc est, quae in externis, in quibus intus est bonum charitatis; haec sunt quae vocantur bona operum, non autem bona opera, nam bona opera dari possunt absque bonis intus, non autem bona operum.

4190. Et accepit Jacob lapidem, et erexit illum in statuam, quod significet verum tale, et inde cultum, constat ex significatione lapidis, quod sit verum, de qua n: 643. 1298. 3720; et ex significatione statuae, quod sit cultus inde seu ex vero, de qua n: 3727; inde patet, quod per illa verba significetur verum tale, et inde cultus; verum tale dicitur, quale nempe apud

gentes; gentes enim, tametsi non sciunt de Verbo, proinde de Domino, usque habent externa vera qualia Christiani; sicut quod sancte colendum Numen, quod festa observanda, quod honorandi parentes, quod non furandum, quod non adulterandum, quod non occidendum, et quoque quod non concupiscenda alterius, ita qualia vera sunt decalogi, quae etiam pro normis sunt intra Ecclesiam; qui inter illos sapiunt, eadem non modo observant in externa forma, sed etiam in interna, cogitant enim quod talia non solum sint contra religiosum illorum, sed etiam contra bonum commune, ita contra debitum internum quod homini, proinde contra charitatem, tametsi non ita sciunt quid fides; in obscuro illis est [29] quoddam conscientiae, contra quod facere non volunt, imo quidam non possunt; inde constare potest, quod Dominus, illorum interiora, quae in obscuro sunt, regat, et sic quod facultatem illis impertiatur recipiendi vera interiora, quae etiam recipiunt in altera vita, videantur quae de gentibus n: 2589 ad 2604, ostensa sunt. Aliquoties cum Christianis in altera vita loqui datum de statu et sorte gentium extra Ecclesiam, quod facilius illi recipiant vera et bona fidei, quam Christiani, qui non secundum praecepta Domini vixerunt; et quod Christiani crudeliter de illis cogitent, quod nempe omnes, qui extra Ecclesiam sunt, damnati sint, et hoc ex recepto canone, quod extra Dominum nulla salus; et quod hoc verum sit, sed quod Gentes, quae in charitate mutua vixerunt, ac justum et aequum ex quadam conscientia egerunt, facilius in altera vita recipiant fidem, et agnoscant Dominum, quam qui intra Ecclesiam, et non in tali charitate vixerunt; tum quod Christiani in falso sint, quod credant, quod illis solis coelum quia Librum Verbi habent, scriptum in charta non autem in cordibus, et quod sciant Dominum, et Ipsum non Divinum credant quoad Humanum, imo nec agnoscant quam sicut communem hominem quoad alteram Ipsius Essentiam, quam Humanam naturam vocant; ac ideo, cum sibi et suis cogitationibus relicti sunt, ne quidem Ipsum adorant; et sic quod illi sint qui extra Dominum, quibus non salus.

4191. Et dixit Jacob fratribus suis, quod significet illos, qui in bono operum, constat ex repraesentatione Jacobi, quod sit Divinum Naturale Domini, de qua prius; et ex significatione

fratrum, quod sint bona, de qua n: 3815. 4121, hic illi qui in bonis operum, qui quod Gentes sint supra n: 4189, ostensum; omnes enim, qui in bono sunt, cum Divino Domini conjuncti sunt, et propter conjunctionem a Domino vocantur fratres, ut apud Marcum „Jesus circumspiciens circumcirca, qui circum Ipsum sedebant, dixit, ecce mater mea, et *fratres mei;* quisquis namque fecerit voluntatem Dei, hic *frater meus*, et soror mea, et mater mea" III: 31 [. 34. 35]: omnis conjunctio est per amorem et charitatem, quod unicuivis constare potest, nam conjunctio spiritualis non aliud est quam amor et charitas; quod amor in Dominum sit conjunctio cum Ipso, patet; et quod charitas erga proximum pariter, constat a Domini verbis apud Matthaeum „In quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis" XXV: 40; hic de operibus charitatis agitur.

4192. Colligite lapides, et acceperunt lapides, et fecerunt acervum, quod significet vera ex bono, constat ex significatione lapidum, quod sint vera, de qua mox supra n: 4190; et ex significatione acervi, quod sit bonum; quod acervus significet bonum, est inde, quia olim, antequam struebant altaria, fecerunt acervos, et super illis comederunt, in testem quod conjungerentur amore; sed postea, cum repraesentativa antiquorum sancta haberentur, pro acervis aedificabant altaria, et quoque ex lapidibus sed ordinatius dispositis, Jos: XXII: 28. 34. inde simile significatur per acervum, quod per altare, nempe bonum amoris, et per lapides ibi vera fidei.

4193. Et comederunt ibi super acervo, quod significet appropriationem ex bono Divino, constat ex significatione comedere, quod sit communicatio, conjunctio, et appropriatio, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3596. 3832; et ex significatione acervi, quod sit bonum, de qua mox supra n: 4192, hic bonum Divinum.

4194. Vers: 47. 48. 49. 50. *Et vocavit illum Laban Jegar Sahadutha; et Jacob vocavit illum Galeed. Et dixit Laban, acervus hic testis inter me et inter te hodie, propterea vocavit nomen illius Galeed. Et Mizpah, quia dixit, spectet Jehovah inter me et inter te, quia latebimus vir a socio suo. Si affligas filias meas, et si accipias foeminas super filias meas, nullus vir nobiscum, vide, Deus testis inter me et inter te.*

Vocavit illum Laban Jegar Sahadutha, significat quale ejus a parte boni per Labanem repraesentati: et Jacob vocavit illum Galeed, significat quale a parte boni Divini Naturalis: et dixit Laban, acervus hic testis inter me et inter te hodie, propterea vocavit nomen illius Galeed, significat quod ita erit in aeternum, inde quale ejus iterum: [30] et Mizpah, quia dixit, spectet Jehovah inter me et inter te, significat [31] praesentiam Divini Naturalis Domini: quia latebimus vir a socio suo, significat separationem respective ad illa quae sunt Ecclesiae: si affligas filias meas, et accipias foeminas supra filias meas, nullus vir nobiscum, significat affectiones veri quod mansurae intra Ecclesiam: vide, Deus testis inter me et inter te, significat confirmationem.

4195. Vocavit illum Laban Jegar Sahadutha, quod significet quale ejus a parte boni per Labanem repraesentati, constat a significatione vocare, et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 2009. 2724. 3421; Jegar Sahadutha, significat acervum testimonii in idiomate Syriae, unde Laban. Acervi tales antiquitus fuerunt in signum, aut in testem, ac postmodum etiam in cultum; hic in signum et in testem, in signum quod ibi esset terminus, et testis quod ibi foedus pactum, et quod nullus eorum transiret illum ad malum faciendum alteri, ut quoque constat a Labanis verbis „Testis acervus hic, et testis statua, si ego non transibo ad te acervum hunc, et si tu non transibis ad me acervum hunc, et statuam hanc ad malum," Vers: 52; inde patet, quid Jegar Sahadutha, seu acervus testimonii, involvit; sed in sensu interno significat quale boni ex veris a parte Labanis, hoc est, a parte illorum qui in bonis operum sunt, hoc est, a parte gentium.

4196. Et Jacob vocavit illum Galeed, quod significet quale a parte boni Divini Naturalis, constat a repraesentatione Jacobi, quod sit Divinum Naturale Domini, de qua saepius prius; Galeed significat acervum et testem, seu acervum testem, in idiomate Hebraeo seu Canaanis, unde Jacob; quid acervus testis in sensu interno, nunc sequitur.

4197. Et dixit Laban, acervus hic testis inter me et inter te hodie, propterea vocavit nomen illius Galeed, quod significet quod ita erit in aeternum, inde quale ejus iterum, constat

a significatione acervi, quod sit bonum, de qua supra n: 4192; et a significatione testis, quod sit confirmatio boni per verum, de qua sequitur; ex significatione hodie, quod sit aeternum, de qua n: 2838. 3998; et a significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 2009. 2724. 3421; ipsum quale continetur in nomine Galeed; nam antiquitus nomina imposita quale continebant, n: 340. 1946. 2643. 3422; inde patet, quid per, dixit Laban, acervus hic testis inter me et inter te hodie, propterea vocavit nomen illius Galeed, significatur, quod nempe testificatio conjunctionis boni hic per Labanem significati cum Bono Divino Naturalis Domini, proinde conjunctio Domini per bonum cum gentibus, nam hoc bonum est, quod per Labanem nunc repraesentatur, n: 4189; vera illius boni sunt quae testificant de conjunctione; at bonum illorum, quamdiu vivunt in mundo, est a latere, quia non habent vera Divina; sed usque illi, qui in bono illo, hoc est, in mutua charitate vivunt, tametsi illis non vera Divina directa ex fonte Divino, hoc est, ex Verbo, usque bonum non habent clausum, sed tale ut aperiri possit, quod etiam aperitur in altera vita, cum instruuntur ibi in veris fidei, et de Domino; aliter apud Christianos, qui horum sunt in mutua charitate, et magis qui in amore in Dominum, illi, cum vivunt in mundo, in bono directo sunt, quia in veris Divinis, quapropter intrant in coelum absque tali instructione, si non in veris illorum falsa fuerint, quae prius discutienda; at Christiani, qui non in charitate vixerunt, illi clauserunt sibi coelum, et perplures adeo, ut aperiri nequeat; nam sciunt vera et negant, et quoque obfirmant se contra illa, si non ore, usque corde. Quod Laban vocaverit acervum suo idiomate primum Jegar Sahadutha, et dein idiomate Canaanis Galeed, cum tamen utrumque paene similis significationis est, est applicationis causa, ac inde conjunctionis; idiomate Canaanis loqui, seu labio Canaanis, est applicare se ad Divinum, per Canaanem enim significatur Regnum Domini, ac in supremo sensu Dominus, n: 1607. 3038. 3705, ut patet apud Esaiam „ In die illo erunt quinque urbes in terra Aegypti *loquentes labiis Canaanis,* et jurantes Jehovae Zebaoth; in die illo erit altare Jehovae in medio terrae Aegypti, et statua apud terminum ejus Jehovae, et erit *in signum* et *in*

testem Jehovae Zebaoth in terra Aegypti," XIX: 18. 19. 20. Quod Testis sit confirmatio boni per verum, et veri a bono; et quod inde Testimonium sit bonum a quo verum, et verum quod ex bono, constare potest a Verbo alibi; quod Testis sit confirmatio boni per verum, et veri a bono, ab his locis; apud Jehoschuam „Dixit Jehoschua ad populum, *Testes vos in vos*, quod *vos elegeritis* Jehovam ad serviendum Ipsi, et dixerunt *Testes*; et nunc removete Deos alienigenae, qui in medio vestri, et inclinate cor vestrum ad Jehovam Deum Israëlis, et dixerunt populus ad Jehoschuam, Jehovae Deo nostro serviemus, et voci Ipsius obediemus. Et excidit Jehoschua foedus cum populo in die hoc, et posuit illi statutum et judicium in Schechemo, et scripsit Jehoschua verba illa in libro legis Dei, et accepit *lapidem* magnum, et erexit illum ibi sub quercu, quae in sanctuario Jehovae: et dixit Jehoschua ad omnem populum, *ecce lapis hic erit nobis in testem*, quia ille audivit omnia dicta Jehovae, quae loquutus est cum nobis, et *erit vobis in testem*, ne abnegetis Deum vestrum," XXIV: 22. 23. 24. 25. 26. 27; quod testis ibi sit confirmatio, patet, et quidem confirmatio foederis, proinde conjunctionis, nam foedus significat conjunctionem n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021, et quia conjunctio cum Jehovah seu Domino non datur quam per bonum, nec datur bonum quod conjungit, quam quod quale suum habet a vero, inde sequitur quod testis sit confirmatio boni per verum; bonum ibi est conjunctio cum Jehovah seu Domino per quod eligerent Ipsum ad serviendum Ipsi, verum per quod confirmatio erat lapis, quod lapis sit verum, videatur n: 643. 1298. 3720, in supremo sensu Lapis est Ipse Dominus, quia ab Ipso omne Verum, quapropter etiam vocatur Lapis Israëlis, Genes: XLIX: 24, et quoque dicitur, ecce Lapis hic erit nobis in testem, quia ille audivit omnia dicta Jehovae quae loquutus est cum nobis. Apud Johannem „*Dabo duobus Testibus meis*, ut prophetent dies 1260, induti saccis; hi sunt duae Oleae, et duo candelabra, quae coram Deo terrae stantia; et si quis eos voluerit damno afficere, ignis exhibit ex ore eorum, et comedet hostes eorum: hi habent potestatem claudendi coelum: cum vero absolverint *Testimonium* suum, bestia, quae ascendit ex abysso, faciet bellum cum illis, et vincet illos,

et occidet illos; post vero tres dies et dimidium, spiritus vitae a Deo intravit in illos, ut constiterint super pedes suos," Apoc: XI: 3. 4. 5. 6. 7. 11; quod duo testes hic sint bonum et verum, hoc est, bonum in quo verum, et verum quod ex bono, utrumque confirmatum in cordibus, patet ex eo quod dicatur, quod duo testes sint duae oleae et duo candelabra, quod olea sit tale bonum, videatur n: 886, duae oleae pro bono coelesti et pro bono spirituali, bonum coeleste est amoris in Dominum, et bonum spirituale est charitatis erga proximum; candelabra sunt illorum bonorum vera, quod constabit, ubi, ex Divina Domini Misericordia, de candelabris agendum; quod illis, nempe bonis et veris, potestas sit claudere coelum et aperire coelum, videatur Praefatio ad Cap: XXII: Genes: quod bestia ex abysso seu inferno, occidet illos, significat vastationem boni et veri intra Ecclesiam; et quod spiritus vitae a Deo intravit in illos, ut constiterint super pedes suos, significat novam Ecclesiam. Quod sicut acervi antiquitus ponebantur in testes, postmodum altaria, constat apud Jehoschuam „Dixerunt Rubenitae et Gadditae, videte figuram Altaris Jehovae, quod fecerunt patres nostri, non pro holocausto, et non pro sacrificio, sed *Testis illud inter nos et inter vos:* et vocarunt filii Rubenis et filii Gadis, *Altare*, quod *Testis illud inter nos*, quod Jehovah Deus," XXII: 28. 34; Altare est bonum amoris, et in supremo sensu Ipse Dominus; n: 921. 2777. 2811; testis pro confirmatione, in sensu interno, boni per verum. Quia per Testem significatur confirmatio boni per verum, ac veri a bono, ideo per testem in supremo sensu significatur Dominus, quia Ipse est Divinum Verum confirmans, ut apud Esaiam „Pangam vobis foedus aeternitatis, misericordias Davidis veras, en *Testem populis dedi illum*, principem et praecipientem populis," LV: 4; apud Johannem „Et a Jesu Christo, qui est *Testis fidelis*, primogenitus ex mortuis, et princeps regum terrae," Apoc: I: 5: apud Eundem „Haec dicit *Testis fidelis et verus*, principium creaturae Dei," Apoc: III: 14. Quod mandatum sit in Ecclesia Repraesentativa, quod omne verum stabit super ore duorum aut trium testium, non super unius, Num: XXXV: 30. Deut: XVII: 6. 7. Cap: XIX: 15. Matth: XVIII: 16, fundatur in Lege Divina, quod unum verum non confirmet bonum, sed

plura vera, unum enim verum absque nexu cum aliis non est confirmans, sed cum plura sunt, nam ex uno potest videri alterum, unum non parit aliquam formam, ita non aliquid quale, sed plura in serie connexa; sicut enim unus tonus non parit aliquem concentum, minus harmoniam, ita nec unum verum; haec sunt, super quibus fundatur illa lex, tametsi in externa forma apparet fundata in statu civili, sed unum non est contra alterum; sicut praecepta Decalogi, de quibus n: 2609. Quod *Testimonium* sit bonum a quo verum, et verum quod ex bono, sequitur inde, et quoque constat ex eo, quod decem praecepta decalogi super tabulis lapideis scripta dicantur una voce Testimonium, ut apud Mosen „Jehovah dedit Mosi, cum absolvisset loqui cum eo in monte Sinai, *duas tabulas Testimonii*, tabulas lapidis, scriptas digito Dei," Exod: XXXI: 18. Apud Eundem „Descendit Moses e monte, et *duae tabulae Testimonii* in manu ejus, tabulae scriptae a duobus lateribus ejus," [Exod:] XXXII: 15. Et quia tabulae illae in Arca positae sunt, arca dicitur Arca Testimonii, de quo apud Mosen „Jehovah ad Mosen, *dabis in Arcam Testimonium*, quod dabo tibi," Exod: XXV: 16. 21: Moses accepit et *dedit Testimonium in Arcam*" Exod: XL: 20: apud Eundem „Conveniam tibi, et loquar tecum desuper Propitiatorio ab inter duos cherubos, qui *super arca Testimonii*," Exod: XXV: 22: apud Eundem „Tegit nubes suffimenti Propitiatorium, quod *super Testimonio*," Levit: XVI: 13: apud Eundem „Baculi duodecim Tribuum relicti sunt in Tentorio conventus, *coram Testimonio*," Num: XVII: 19; quod inde arca quoque dicta sit arca testimonii, praeter in loco citato Exod: XXV: 22, videatur etiam Exod: XXXI: 7. Apoc: XV: 5; praecepta decalogi ideo Testimonium dicta sunt, quia erant foederis, ita conjunctionis inter Dominum et inter hominem, quae conjunctio non existere potest, nisi homo illa praecepta custodiat non solum in externa forma, sed etiam in interna, quid interna forma illorum praeceptorum, videatur n: 2609, quapropter est bonum confirmatum per verum, et verum derivatum a bono, quod per Testimonium significatur; quia ita est, etiam Tabulae dictae sunt Tabulae foederis, et arca arca foederis: inde nunc patet, quid per Testimonium in genuino sensu significatur in Verbo, [32] ut Deut: IV: 45. Cap:

VI: 17. 20. Esai: VIII: 16. II Reg: XVII: 15. Psalm: XIX: 8. Ps: XXV: 10. Ps: LXXVIII: 5. 6. Ps: XCIII: 5. Ps: CXIX: 1. 2. 23. 24. 59. 79. 88. 138. 167. Ps: CXXII: 3. 4. Apoc: VI: 9. Cap: XII: 17. Cap: XIX: 10.

4198. Et Mizpah, quia dixit, spectet Jehovah inter me et inter te, quod significet praesentiam Divini Naturalis Domini, nempe in bono, quod nunc per Labanem repraesentatur, constat a significatione spectare seu Speculari, quod sit praesentia, qui enim spectat alterum, aut ex alto speculo videt illum, is praesens est apud illum visu; praeterea videre, cum praedicatur de Domino, est Praevidentia et Providentia, n: 2837. 2839. 3686. 3854. 3863, ita quoque praesentia, sed per Praevidentiam et Providentiam. Quod praesentiam Domini attinet, est Dominus praesens apud unumquemvis, sed secundum receptionem; nam a Domino solo est vita unius cujusvis; qui recipiunt praesentiam Ipsius in bono et vero, in vita intelligentiae et sapientiae sunt; at qui recipiunt praesentiam Ipsius non in bono et vero, sed in malo et falso, in vita insaniae et stultitiae sunt, at usque in facultate intelligendi et sapiendi; quod in hac usque sint, constare potest ex eo, quod in externa forma sciant mentiri et simulare bonum et verum, et per illam captare homines; quod nusquam foret, nisi in facultate fuissent. Praesentiae quale significatur per Mizpah, hic quale apud illos qui in bonis operum, seu apud Gentes, quae hic repraesentantur per Labanem; Nomen Mizpah enim in Lingua originali a spectare dictum est.

4199. Quia latebimus vir a socio suo, quod significet separationem respective ad illa quae sunt Ecclesiae, constat a significatione latere hic, quod sit separatio; et a significatione viri a socio, quod sint illi qui intra Ecclesiam, et qui extra; illi dicuntur latere, quia separati sunt quoad bonum et verum, ita respective ad illa quae sunt Ecclesiae.

4200. Si affligas filias meas, et accipias foeminas supra filias meas, nullus vir nobiscum, quod significet affectiones veri quod mansurae intra Ecclesiam, constat a significatione filiarum, hic Rachelis et Leae, quod sint affectiones veri, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; a significatione foeminarum, quod sint affectiones veri non genuini, ita quae non sunt Ecclesiae; affectiones enim veri faciunt Ecclesiam, ita accipere foe-

minas supra illas, significat quod non alias affectiones quam veri genuini; [33] a significatione nullus vir nobiscum, quod sit cum latebit vir a socio, hoc est, cum separati, de qua mox supra n: 4199; inde patet quod per illa verba significetur, quod affectiones veri genuini mansurae intra Ecclesiam, non conspurcandae cum veris non genuinis.

4201. Vide Deus testis inter me et inter te, quod significet confirmationem, hic a Divino, constat a significatione testis, quod sit confirmatio, de qua mox supra n: 4197. [34]

4202. Vers: 51. 52. 53. *Et dixit Laban Jacobo, ecce acervus hic, et ecce statua quam erexi inter me et inter te. Testis acervus hic, et testis statua, si ego non transibo ad te acervum hunc, et si tu non transibis ad me acervum hunc et statuam hanc, ad malum. Deus Abrahami, et Deus Nachoris judicent inter nos, Deus patris eorum: et juravit Jacob in pavorem patris sui Jischaki.* Dixit Laban Jacobo, ecce acervus hic, et ecce statua quam erexi inter me et inter te, significat conjunctionem: testis acervus hic, et testis statua, significat confirmationem: si ego non transibo ad te acervum hunc, et si tu non transibis ad me acervum hunc et statuam hanc ad malum, significat limitem quantum a bono influere possit: Deus Abrahami et Deus Nachoris judicent inter nos, significat Divinum in utrumque: Deus patris eorum, significat a Supremo Divino: et juravit Jacob in pavorem patris sui Jischaki, significat confirmationem a Divino Humano, quod Pavor dicitur in illo statu.

4203. Dixit Laban Jacobo, ecce acervus hic, et ecce statua quam erexi inter me et inter te, quod significet conjunctionem, constat ab illis quae supra dicta sunt; erant enim acervus et statua in signum et in testem, quod foedus pactum, hoc est, quod amicitia, ita in sensu interno quod conjunctio.

4204. Testis acervus hic et testis statua, quod significet confirmationem, constat a significatione testis, quod sit confirmatio, nempe boni per verum quod est statua, et veri a bono quod est acervus, de qua supra n: 4197.

4205. Si ego non transibo ad te acervum hunc, et si tu non transibis ad me acervum hunc et statuam hanc, ad malum, quod significet limitem quantum a bono influere possit, constat

a significatione transire hic, quod sit influere; a significatione acervi, quod sit bonum, de qua n: 4192; et a significatione statuae, quod sit verum, de qua n: 3727. 3728. 4090; et quod utrumque tam acervus quam statua essent in signum aut in testem, ibid: hic in signum limitis; quia de conjunctione agitur, ex serie fluit, quod in sensu interno sit limes, quantum a bono influere possit. Quod conjunctio fiat per bonum, et quod bonum influat secundum receptionem, supra dictum est; receptio autem boni non dari potest aliter quam secundum vera, nam vera sunt in quae bonum influit, est enim bonum agens et verum recipiens, quapropter vera omnia sunt vasa recipientia, n: 4166; quia vera sunt in quae bonum influit, sunt vera quae limitant influxum boni; hoc intelligitur hic per limitem quantum a bono influere possit. Quomodo cum hoc se habet, paucis dicendum est; vera apud hominem, quaecunque et qualiacunque sunt, intrant in memoriam ejus per affectionem, hoc est, per jucundum quoddam quod est amoris; absque affectione seu absque jucundo quod est amoris, nihil potest intrare apud hominem, quia in illis est vita ejus; haec quae intrarunt, reproducuntur quando simile jucundum recurrit, una cum pluribus aliis quae se associarunt seu conjunxerunt, tum quoque cum idem verum reproducitur a semet vel ab alio, tunc quoque affectio seu jucundum quod fuerat amoris cum intravit, pariter excitatur, nam conjuncta cohaerent: inde constare potest, quomodo se habet cum affectione veri, verum quod intravit cum affectione boni, reproducitur cum affectio similis recurrit, et quoque affectio cum verum simile: inde etiam patet, quod nusquam aliquod verum cum genuina affectione possit implantari, ac interius radicari, nisi homo sit in bono, nam genuina affectio veri est ex bono, quod est amoris in Dominum, et charitatis erga proximum: bonum hoc influit a Domino, at non figitur quam in veris, nam in veris est hospitium boni, concordant enim; inde quoque patet, quod qualia sunt vera, talis sit receptio boni; vera apud Gentes, quae in mutua charitate vixerunt, talia sunt, ut bonum a Domino influens etiam in illis hospitari possit, sed quamdiu in mundo vivant, non ita prout apud Christianos, qui vera ex Verbo habent, et in charitate spirituali inde vivunt, videantur n: 2589 ad 2604.

4206. Deus Abrahami et Deus Nachoris judicent inter nos, quod significet Divinum in utrumque, nempe in bonum quod illis qui intra Ecclesiam, et in bonum quod illis qui extra Ecclesiam, constat a significatione Dei Abrahami, quod sit Divinum Domini spectans illos qui intra Ecclesiam: et ex significatione Dei Nachoris, quod sit Divinum Domini spectans illos qui extra Ecclesiam; inde patet, quod per illa significetur Divinum in utrumque. Quod Deus Abrahami sit Divinum Domini spectans illos qui intra Ecclesiam, est quia Abraham repraesentat Divinum Domini, consequenter id quod a Domino directe venit, n: 3245. 3778, inde illi qui intra Ecclesiam in specie intelliguntur per filios Abrahami, Joh: VIII: 39; et quod Deus Nachoris sit Divinum Domini spectans illos qui extra Ecclesiam, est quia Nachor repraesentat Ecclesiam gentium, et filii ejus illos ibi qui in fraternitate sunt, n: 2863. 2864. 3052. 3778. 2868; ideo quoque hic Laban, qui filius Nachoris, repraesentat bonum a latere, quale est gentibus a Domino. Quod tam varia Domini repraesententur, non est inde, quod varia in Domino sint, sed quod Divinum Ipsius varie ab hominibus recipiatur; se habet hoc sicut vita quae apud hominem, haec influit et agit in varia corporis organa sensoria et motoria, inque varia membra et viscera, ac ubivis varietatem sistit, aliter enim videt oculus, aliter audit auris, aliter sentit lingua, tum aliter se movet brachium et manus, et aliter lumbi et pedes, aliter agit pulmo et aliter cor, tum aliter hepar et aliter ventriculus, et sic porro, sed usque est una vita quae omnia tam varie agit, non quod ipsa vita aliter agat, sed quia aliter recipitur, est enim forma cujusvis secundum quam determinatur actio.

4207. Deus patris eorum, quod significet a Supremo Divino, constat a significatione Dei patris, quod sit supremum Divinum, pater enim in Verbo, ubi dicitur, in sensu interno significat bonum, videatur n: 3703, et quod Pater Domini, seu cum Pater a Domino nominatur, sit Divinum Bonum quod in Ipso, n: 3704; Divinum Bonum est Supremum Divinum, Divinum autem Verum [35] est, quod a Divino Bono, et quoque Filius nominatur. Praeterea per patrem hic intelligitur Therachus, qui fuit pater utriusque, nempe Abrahami et Nachoris, qui quod repraesentet communem stirpem Ecclesiarum,

videatur n: 3778, inde Abraham repraesentat in sensu respectivo genuinam Ecclesiam, et Nachor Ecclesiam gentium, ut mox supra n: 4206, dictum.

4208. Et juravit Jacob in pavorem patris sui Jischaki, quod significet confirmationem a Divino Humano, quod Pavor dicitur in illo statu, constat a significatione jurare, quod sit confirmatio, de qua n: 2842. 3375; et ex significatione pavoris Jischaki, quod sit Divinum Humanum Domini, de qua n: 4180; quod juramenta fierent per Divinum Humanum Domini, n: 2842. Quod hic dicatur, Deus Abrahami, Deus Nachoris, Deus patris eorum seu Therachi, et Pavor Jischaki patris Jacobi, est quia filii Therachi totidem agnoscerent deos, fuerunt enim idololatrae, n: 1353. 1356. 1992. 3667; et peculiare fuit in illa domo, quod unaquaevis familia suum deum coleret, inde hic dicitur Deus Abrahami, Deus Nachoris, Deus patris eorum, et pavor Jischaki; familiae tamen Abrahami injunctum fuit, ut agnoscerent Jehovam pro suo Deo; sed usque Ipsum non agnoscebant aliter quam sicut alium Deum, per quem se distinguerent a gentibus, ita quoad solum nomen; quapropter etiam toties desciverunt ad alios deos, ut constare potest ab historicis Verbi; causa fuit, quia solum in externis erant, quid interna prorsus non sciebant, nec scire volebant; ipsa ritualia Ecclesiae eorum respective ad illos non fuerunt aliter quam idololatrica, quia separata erant ab internis, omne enim rituale Ecclesiae separatum ab interno est idololatricum; at usque potuit genuinum Ecclesiae per illos repraesentari, nam repraesentationes non spectant personam sed rem, n: 665. 1097 f. 1361. 3147. verum ut repraesentativa Ecclesia existeret, et sic aliqua communicatio Domini per coelum cum homine, teneri debuerunt imprimis in eo, ut agnoscerent Jehovam, si non corde usque ore, repraesentativa enim apud illos non exibant ab internis sed ab externis, et sic se communicabant, aliter ac in Ecclesia genuina, in qua per interna fit communicatio; quapropter etiam cultus eorum Divinus nihil animas eorum affecit, hoc est, beatos fecit in altera vita, sed solum faustos in mundo: ut itaque in externis tenerentur, ideo tot miracula apud illos, quae nusquam exstitissent, si in internis fuissent; et ideo toties cogebantur per punitiones, per captivitates et per minas ad cultum,

cum tamen nemo cogitur ad cultum internum a Domino, sed ille per liberum implantatur, n: 1937. 1947. 2874. [36] 2875. 2876 ad 2881. 3145. 3146. 3158. 4031; principale externum erat, ut Jehovam confiterentur, nam Jehovah erat Dominus, qui in omnibus Ecclesiae illius repraesentabatur; quod Jehovah esset Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3035.

4209. [Vers: 54. 55.] *Et sacrificavit Jacob sacrificium in monte, et vocavit fratres suos ad comedendum panem, et comederunt panem, et pernoctaverunt in monte. Et mane surrexit Laban in matutino, et osculatus filios suos, et filias suas, et benedixit illis, et reversus Laban ad locum suum.* Sacrificavit Jacob sacrificium in monte, significat cultum ex bono amoris: et vocavit fratres suos ad comedendum panem, significat adpropriationem boni a Domini Divino Naturali: et comederunt panem, significat effectum: et pernoctaverunt in monte, significat tranquillitatem: et mane surrexit Laban in matutino, significat illustrationem illius boni a Divino Naturali Domini: et osculatus filios suos, et filias suas, significat agnitionem veritatum illarum et affectionum earundem: et benedixit illis, significat gaudium inde: et ivit et reversus Laban ad locum suum, significat finem repraesentationis per Labanem.

4210. Sacrificavit Jacob sacrificium in monte, quod significet cultum ex bono amoris, constat ex significatione sacrificii, quod sit cultus, de qua n: 922. 923. 2180; et ex significatione montis, quod sit bonum amoris, de qua n: 795. 796. 1430: sacrificium significat cultum, quia sacrificia et holocausta fuerunt principalia omnis cultus in Ecclesia repraesentativa postera seu Hebraea: in montibus etiam sacrificabant, ut quoque passim ex Verbo constat, quia montes ex altitudine significabant illa quae alta essent, ut sunt illa quae coeli, ac coelestia vocantur, et inde in supremo sensu significabant Dominum, Quem Altissimum vocarunt; ex apparentia ita putarunt, nam quae interiora sunt, apparent sicut altiora, prout coelum apud hominem, hoc interius est in illo, at usque autumat homo, quod in alto sit; inde est, quod ubi altum in Verbo dicitur, in sensu interno significetur interius; in mundo non aliter sciri potest, quam quod coelum sit in alto, tam ex eo, quod coelum quoque dicatur illud aspectabile quod circum circa in alto est, quam

quia homo in tempore et loco est, et sic cogitat ex ideis quae inde, et quoque ex eo, quod pauci sciant quid interius, et adhuc pauciores quod ibi non locus nec tempus; inde est, quod secundum ideas cogitationis hominis loquutum sit in Verbo; si non secundum illas, sed secundum ideas angelicas, tunc homo ne hilum percepisset, sed quisque mirabundus stetisset, quid illud, et num aliquid, et sic rejecisset sicut quoddam, in quo nihil intellectui simile foret.

4211. Et vocavit fratres suos ad comedendum panem, quod significet appropriationem boni a Domini Divino Naturali, constat a significatione fratrum, quod sint illi, qui nunc foedere, hoc est, amicitia conjuncti essent, et in sensu interno, qui in bono et vero, quod hi fratres dicantur, videatur n: 367. 2360. 3303. 3459. 3803. 3815. 4121. 4191; ex significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513, f. 3832; quod comestiones et convivia apud Antiquos significarent appropriationem et conjunctionem per amorem et charitatem, n: 3596; et a significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 276. 680. 1798. 3478. 3735, ac in supremo sensu Dominus, n: 2165. 2177. 3478. 3813: quia Panis in supremo sensu significat Dominum, idcirco significat omne sanctum quod ab Ipso, hoc est, omne bonum et verum, et quia non est aliud bonum, quod est bonum, quam quod est amoris et charitatis, ideo Panis significat amorem et charitatem; sacrificia olim nec aliud significabant, quapropter illa una voce vocabantur panis, videatur n: 2165, et quoque ex carne sacrificiorum comedebatur, ut repraesentaretur convivium coeleste, hoc est, conjunctio per bonum quod amoris et charitatis: hoc nunc est, quod significatur per Sacram Coenam, nam haec successit loco sacrificiorum, et conviviorum ex sanctificatis; estque haec, nempe Sacra Coena, externum Ecclesiae, quod internum in se habet, et per internum conjungit hominem qui in amore et charitate est, cum coelo, et per coelum cum Domino; nam etiam in Sacra Coena comedere significat appropriationem, panis amorem coelestem, et vinum amorem spiritualem, et hoc usque adeo, ut cum homo in sancto est cum edit, in coelo non aliud percipiatur. Quod dicatur appropriatio boni a Domini Divino Naturali, est quia agitur de bono Gentium, bonum enim gentium

est quod nunc per Labanem repraesentatur, n: 4189; conjunctio hominis cum Domino, non est cum Ipso Supremo Divino Ipsius, sed cum Divino Humano Ipsius, nam homo de Supremo Divino Domini nullam prorsus ideam potest habere, sed transcendit ita ejus ideam, ut prorsus pereat et nulla fiat, verum de Divino Humano Ipsius ideam habere potest; quisque enim conjungitur per cogitationem et affectionem, de quo aliquam ideam habet, non autem de quo nullam habere potest; cum cogitatur de Humano Domini, tunc, si sanctitas inest ideae, cogitatur etiam de sancto, quod a Domino implet coelum, ita quoque de coelo, nam coelum in suo complexu refert unum hominem, et hoc a Domino, n: 684. 1276. 2996. 2998. 3624 ad 3649; inde est, quod conjunctio non dari queat cum Supremo Divino Domini, sed cum Divino Humano Ipsius, et per Divinum Humanum cum Supremo Divino Ipsius; inde est quod dicatur apud Johannem, „Quod Deum nemo vidit unquam, quam Unigenitus Filius" I: 18, et quod non aditus detur ad Patrem, quam per Ipsum; tum quod Ille sit Mediator; hoc manifeste potest sciri ex eo, quod omnes illi intra Ecclesiam, qui dicunt quod credant Supremum Ens, ac Dominum contemnunt, sint qui nihil prorsus credunt, ne quidem quod Coelum sit, nec quod infernum, et qui naturam colant; et quoque si ab experientia instrui velint, constabit quod mali imo pessimi idem dicant. Sed homo de Humano Domini cogitat varie, unus homo aliter quam alter, et unus sanctius quam alter; qui intra Ecclesiam sunt, possunt cogitare quod Humanum Ipsius Divinum sit, et quoque quod unus sit cum Patre, sicut Ipse dicit, quod Pater in Ipso, et Ipse in Patre; at qui extra Ecclesiam, hoc non possunt, tam quia non sciunt aliquid de Domino, quam quia de Divino non aliunde ideam habent, quam ex imaginibus, quas oculis vident, et ex idolis quae possunt tangere; sed usque conjungit se Dominus cum illis per bonum charitatis et obedientiae illorum in crassa illorum idea; inde est, quod hic dicatur, quod illis appropriatio boni sit a Domini Divino Naturali; se enim habet conjunctio Domini cum homine secundum statum cogitationis et inde affectionis ejus; qui in sanctissima idea de Domino sunt, et simul in cognitionibus et affectionibus boni et veri, quales possunt esse illi qui intra Ecclesiam, conjuncti sunt cum Domino

quoad Divinum Rationale Ipsius; at qui non in tali sanctitate sunt, nec in tali idea interiore et affectione, et tamen in bono charitatis, conjuncti sunt cum Domino quoad Divinum Naturale Ipsius; qui adhuc crassiorem sanctitatem habent, illi conjunguntur Domino quoad Divinum Sensuale Ipsius; haec conjunctio est quae repraesentatur per serpentem aeneum, quod a morsu serpentum revixerint illi qui aspexerunt illum, Num: XXI: 9; in hac conjunctione sunt illi inter gentes, qui idola colunt, et usque secundum religiosum suum in charitate vivunt. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per appropriationem boni a Domini Divino Naturali, quae significatur per quod Jacob vocaverit fratres ad comedendum panem.

4212. Et comederunt panem, quod significet effectum, nempe amicitiam in sensu externo, conjunctionem per bonum et verum in Naturali in sensu supremo.

4213. Et pernoctaverunt in monte, quod significet tranquillitatem, constat a significatione pernoctare, quod sit pacem habere, de qua n: 3170, ita tranquillitatem; quod pernoctarent in uno loco illi qui foedus inierunt, etiam rituale fuit, quia pernoctatio in uno loco significabat, quod nulla amplius hostilitas; in sensu interno, quod tranquillitas et pax, nam qui conjuncti sunt quoad bonum et verum, in tranquillitate sunt, et in pace; quare hic dicitur in monte, quia per montem significatur bonum amoris et charitatis, n: 4210, nam bonum amoris et charitatis dat pacem; quid pax et tranquillitas, videatur n: 92. 93. 1726. [37] 2780. 3170. 3696. 3780.

4214. Et mane surrexit Laban in matutino, quod significet illustrationem illius boni a Divino Naturali Domini, constat a significatione mane surgere in matutino, quod sit illustratio, de qua n: 3458. 3723; et ex repraesentatione Labanis, quod sit bonum quale est gentium, de qua n: 4189; quod illustratio hujus boni sit a Divino Naturali Domini, quae hic intelligitur, patet a serie. Quod illustrationem attinet, est illa omnis a Domino, et per bonum quod apud hominem; talis etiam est illustratio, quale est bonum. Credunt plerique, quod illi illustrati sint, qui ratiocinari possunt de bono et vero, et de malo et falso, ac quod in illustrationis statu eo majori sint, quo subtilius et acutius possunt de [38] illis loqui, et simul confirmare per

plura scientifica, et quoque illa quae loquuntur verosimilia facere per comparativa imprimis ex sensualibus, et per alios persuasorios modos; hi tamen usque possunt in nulla illustratione esse, tametsi in facultate imaginativa et perceptiva sunt; haec facultas est duplex, una quae venit a luce coeli, altera quae a lumine fatuo, utrumque apparet in externa forma simile, sed in interna est prorsus dissimile; quod a luce coeli, hoc in bono est, hoc est, apud illos qui in bono sunt; hi ex bono possunt videre verum, ac scire sicut in clara die num ita sit, vel non ita sit; ast quod ex lumine fatuo, hoc in malo est, hoc est, apud illos qui in malo sunt; quod ratiocinari possint de illis, est quia in facultate aliqua sciendi illa sunt, sed in nulla affectione faciendi; quod id non sit in illustratione esse quisque capere potest: cum Lumine fatuo ita se habet in altera vita, qui in tali fuerunt in mundo, in simili sunt in altera vita, et ratiocinantur ibi de bono et vero, et de malo et falso, et quidem multo perfectius et excellentius quam in vita corporis, nam cogitationes illorum non retrahuntur et impediuntur ibi a curis quae sunt corporis et mundi, nec ita terminantur in illis sicut dum in corpore et mundo fuerunt; sed apparet illico, non coram illis, sed coram bonis spiritibus et angelis, quod ratiocinia eorum sint luminis fatui, et quod lux coeli, quae apud illos influit, illico vertatur in tale lumen, quod quae apud illos lux coeli vel suffocetur, sicut cum lux solis in opacum quoddam illabitur, et fit nigrum; vel quod reflectatur, quod fit apud illos qui in principiis falsi sunt; vel pervertatur, sicut cum lux solis in objecta tetra et sordida influit, et facit tetros colores, et quoque tetros odores; ita se habet cum illis qui in lumine fatuo sunt et credunt se prae caeteris illustratos esse, eo quod intelligenter et sapienter ratiocinari possint, et tamen male vivunt; quinam illi sunt, et quales, apparet a singulis quae loquuntur, dummodo non mentiuntur bonum fallendi causa; qui Dominum negant aut contemnunt, et apud se subsannant illos qui ipsum confitentur, inter tales sunt: qui adulteria amant, et rident illos qui conjugia credunt sancta, et nusquam violanda, etiam inter tales sunt: qui Ecclesiae praecepta et doctrinalia credunt plebis causa esse, ut teneantur etiam per illa in vinculis, ac apud se illa nihili faciunt, similiter inter tales sunt: qui naturae tribuunt omnia, et

illos simplices credunt ac debilis judicii, qui Divino illa vindicant, pariter inter tales sunt; qui omnia et singula suae prudentiae adscribunt, et dicunt quod Supremum Ens sit, quod in communi aut in universali aliquid regit, sed nihil in particulari aut singulari, et in hac opinione se confirmarunt, etiam tales sunt; ita in caeteris: tales in lumine fatuo sunt, etiam in altera vita, et quoque inter similes ratiocinantur acute, sed cum approximant ad aliquam societatem coelestem, tunc lumen illud extinguitur, et fit tenebricosum, consequenter obscuratur eorum cogitatio ita ut ne quidem cogitare possint, stringuntur enim ibi a luce coeli, quae, ut dictum, apud illos vel suffocatur, vel reflectitur, vel pervertitur, quare se praecipitant abinde, et conjiciunt ad infernum, ubi tale lumen. Ex his constare potest, quid illustratio vera, quod nempe sit ex bono quod a Domino, et quid illustratio falsa, quod nempe sit ex malo quod ab inferno.

4215. Et osculatus filios suos et filias suas, quod significet agnitionem veritatum illarum, et affectionum earundem, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574, proinde agnitio, ubi enim conjunctio per bonum et verum, ibi est agnitio eorum; ex significatione filiorum, quod sint vera seu veritates, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3773; et a significatione filiarum, hic Rachelis et Leae, quod sint affectiones earundem, hoc est, veritatum, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819. Quod osculari significet conjunctionem ex affectione, est ex correspondentia; datur enim Correspondentia Coeli cum omnibus organis et membris corporis, de qua ad finem Capitum; datur Correspondentia internorum cum omnibus faciei, inde elucet animus ex vultu, et interior animus seu mens ex oculis; datur etiam Correspondentia cogitationum et affectionum cum actionibus et gestibus corporis, quod cum omnibus voluntariis notum est et quoque cum involuntariis; humiliatio enim cordis producit genuflexionem, quae est gestus corporis externus, humiliatio adhuc major ac interior prostrationem ad terram, laetitia animi et gaudium mentis cantum et ovationem, tristitia et luctus internus lachrymationem et planctum, Conjunctio autem ex affectione osculationem; inde patet, quod tales externi actus, quia

correspondent, sint signa internorum, et quod in illis ut in signis sit internum, a quo quale suum accipiunt; at apud illos, qui interna mentiri volunt per externa, talia quoque pro signis sunt, sed simulationis, hypocriseos, et doli, ut osculationes, quisque enim per illas vult significare quod amet alterum ex corde, novit enim quod osculationes sint inde, et quod sint conjunctionis ex affectione, et quod per illas persuadere velit proximo, quod amet illum propter bonum in illo, cum tamen sit propter se, ac sui honorem et lucrum, ita non propter bonum, sed propter malum, nam qui se spectat ut finem, non ut finem intermedium ad bonum, et cum altero conjungi vult quoad finem illum, in malo est.

4216. Et benedixit illis, quod significet gaudium inde, constat a significatione benedicere, quod sit fausta vovere, de qua n: 3185, ita testari gaudium cum abit.

4217. Et ivit et reversus Laban ad locum suum, quod significet finem repraesentationis per Labanem, constat a significatione reverti ad locum suum, quod sit redire ad priorem statum; quod locus sit status, videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387. 3404; inde est quod per illa verba significetur finis repraesentationis per Labanem. Ex his, quae ostensa sunt, constare potest, quod omnia et singula in Verbo contineant interiora; et quod interiora talia sint; quae adaequata perceptioni Angelorum qui apud hominem; ut pro exemplo, cum in Verbo dicitur Panis, Angeli non sciunt quid panis materialis, sed quid panis spiritualis, ita pro pane percipiunt Dominum, Qui quod Panis vitae [39] sit, Ipse docet apud Johannem Cap: VI: 33. 35, et quia Dominum, percipiunt illa quae a Domino, proinde Amorem Ipsius erga universum Genus humanum, et tunc simul percipiunt amorem reciprocum hominis in Dominum, nam haec in una idea cogitationis et affectionis cohaerent; non absimiliter cogitat homo, qui in sancto est, cum Panem Sacrae Coenae accipit, nam cogitat tunc non de pane, sed de Domino et de Ipsius Misericordia, et de illis quae amoris in Ipsum sunt, et charitatis erga proximum, quia de poenitentia et emendatione vitae, sed hoc cum varietate secundum sanctitatem, in qua est non modo quoad cogitationem, sed etiam quoad affectionem; inde patet, quod panis in Verbo non sistat ideam alicujus panis

apud Angelos, sed sistat ideam amoris, cum innumerabilibus quae amoris sunt: similiter vinum, cum hoc in Verbo legitur, et quoque in Sacra Coena accipitur, tunc Angeli nihil cogitant de Vino, sed de charitate erga proximum; et quia ita, et inde nexus hominis cum coelo, et per coelum cum Domino, ideo Panis et Vinum Symbola facta sunt, ac uniunt hominem, qui in sancto vitae est, cum Coelo, et per coelum cum Domino: similiter se habet cum singulis quae in Verbo, quapropter Verbum est Medium uniens hominis cum Domino, quod nisi Medium uniens foret, non potuisset Coelum influere apud hominem, nam absque medio nulla unitio, sed removeret se ab homine; quod si removeretur, non potuisset amplius aliquis duci ad bonum, ne quidem ad bonum corporeum et mundanum, sed vincula omnia, etiam externa, forent rupta; Dominus enim regit hominem qui in bono est per vincula interna, quae sunt conscientiae, qui autem in malo est, solum per vincula externa, quibus ruptis unusquisque insaniret, qualiter insanit qui absque timore legis est, absque timore vitae, et absque timore jacturae honoris et lucri, ac inde famae, haec enim sunt vincula externa; sic genus humanum periret: inde constare potest, cur Verbum, et quale Verbum: quod Ecclesia Domini, ubi est Verbum, sit instar Cordis et instar Pulmonum; et Ecclesia Domini ubi non est Verbum, sit instar reliquorum Viscerum, quae a Corde et Pulmonibus vivunt, videatur n: 637. 931. 2054. 2853.

Continuatio de Maximo Homine et de Correspondentia.

4218. *In Partibus, quae praecedunt, ad finem Capitum memorata sunt, quae videre et percipere datum est in Mundo Spirituum et in Coelis Angelorum; et denique actum est de Maximo Homine et Correspondentia: ut plene sciatur, quomodo se habet cum homine, et quod ille in nexu sit cum Coelo, non modo quoad Cogitationes et affectiones, sed etiam quoad formas organicas tam interiores quam exteriores, et quod absque nexu illo ne quidem momento subsistere possit, licet in hac*

parte continuare illa quae de Correspondentia cum Maximo Homine, ad finem Capitum mox praecedentium incepta sunt.

4219. *Ut sciatur in genere, quomodo se habet cum Maximo Homine, tenendum, quod universum Coelum sit Maximus Homo, et quod Coelum Maximus Homo nominatur, quia* [40] *correspondet Divino Humano Domini; Solus enim Homo est Dominus, et quantum angelus et spiritus, tum quantum homo qui in terris ab Ipso habet, tantum etiam sunt homines; non credat aliquis, quod homo sit homo ex eo, quod facies ei humana sit, et corpus ei humanum, et quod ei cerebrum, et quoque viscera et membra; haec sunt communia cum Animalibus brutis, quare etiam haec sunt quae moriuntur et fiunt cadaver; sed homo est homo, quod cogitare et velle possit sicut homo, ita recipere illa quae sunt Divina, hoc est, quae sunt Domini; per haec homo se distinguit a bestiis et feris; et quoque homo fit talis homo in altera vita, qualiter illa in vita corporis per receptionem ei appropriata sunt.*

4220. *Qui in vita corporis Divina, quae sunt Domini, receperant, hoc est, qui amorem Ipsius erga universum Genus humanum, proinde qui charitatem erga proximum, et qui amorem reciprocum in Dominum, illi in altera vita donantur intelligentia et sapientia, et felicitate ineffabili, nam fiunt Angeli, ita vere homines; at qui in vita corporis Divina quae sunt Domini, non receperant, hoc est, non amorem erga genus humanum, minus amorem reciprocum in Dominum, sed solum Semet amarunt, imo coluerunt, et consequenter, pro fine habuerunt illa quae sunt sui et mundi, illi in altera vita, post exactos breves curriculos vitae ibi, privantur omni intelligentia, et fiunt stupidissimi, ac sunt ibi inter infernales stupidos.*

4221. *Ut scirem quod ita sit, cum talibus, qui ita vixerunt, loqui datum est, et quoque cum uno quem etiam in vita corporis novi; ille dum vixit, quicquid proximo fecit bonum, propter se fecit, nempe sui honoris et sui lucri causa, reliquos contemsit, et quoque odio habuit; Deum quidem confessus est ore, non tamen agnovit corde: cum loqui cum illo daretur, exhalabat ab illo sphaera sicut corporea, loquela ejus erat non sicut spirituum, sed sicut hominis adhuc vivi; nam loquela spirituum distinguit se ab humana in eo, quod illa sit*

plena ideis, seu quod spirituale ei insit, ita vivum quod non exprimi potest, haec autem non ita; talis sphaera exhalabat ab illo, et percipiebatur in singulis quae loquebatur; apparebat ibi inter viles, et dictum, quod qui tales sunt, successive fiant quoad cogitationes et affectiones tam crassi et stupidi, ut non stupidior aliquis in mundo: locum habent sub clunibus, ubi infernum illorum est; inde quoque prius apparuit quidam, non specie qua spiritus, sed specie qua homo crasse corporeus, in quo tam parum ex vita intelligentiae quae propria est humana, ut dicas stupiditatem in effigie; inde patebat, quales illi fiunt, qui in nullo amore sunt erga proximum, nec erga publicum, minus erga Regnum Domini, sed solum in amore sui, et se solum in singulis spectant, imo se adorant ut deos, et sic quoque volunt ab aliis adorari, in omnibus quae agunt id intendendo.

4222. *Quod Correspondentiam Maximi hominis cum illis quae apud hominem, attinet, illa est cum omnibus et singulis ejus, nempe cum ejus organis, membris et visceribus, et quidem in tantum, ut non detur aliquod organum et membrum in corpore, nec aliqua pars in organo et membro, ne quidem aliqua particula partis, cum qua non correspondentia sit; notum est, quod unumquodvis organum et unumquodvis membrum in corpore, consistat ex partibus, et ex partium partibus; sicut Cerebrum, hoc in communi consistat a Cerebro proprie dicto, a Cerebello, a Medulla oblongata, et Medulla spinali, nam haec est continuatio aut quasi appendix; Cerebrum autem proprie dictum consistit a pluribus membris, quae sunt partes ejus, nempe a Membranis, quae dura mater et pia mater vocantur, a Corpore calloso, a corporibus striatis, a ventriculis et cavis, a glandulis minoribus, a septis, in genere a substantia cineritia et a substantia medullari, praeter a sinubus, vasis sanguineis et plexibus; similiter se habet cum organis sensoriis et motoriis corporis, et cum visceribus, quod ex anatomicis satis notum est: omnia illa in communi et in particulari correspondent exactissime Maximo Homini, ac ibi totidem quasi coelis; Coelum enim Domini similiter distinctum est in minores coelos, et hi in adhuc minores, et hi in minimos, tandem in Angelos, quorum unusquisque est exiguum Coelum correspon-*

dens Maximo: Coeli illi sunt distinctissimi inter se, unumquodvis pertinens ad commune suum, et communes coeli ad communissimum seu totum, quod est Maximus Homo.

4223. *Sed cum correspondentia ita se habet, quod quidem Coeli memorati correspondeant ipsis formis organicis Corporis humani, quapropter dictum, quod illae societates, aut illi Angeli, pertineant ad provinciam Cerebri, vel ad provinciam Cordis, vel ad provinciam Pulmonum, vel ad provinciam Oculi, et sic porro; sed usque principaliter correspondent functionibus illorum viscerum vel organorum; se habet hoc, sicut ipsa illa organa seu viscera, quod functiones cum formis illorum organicis unum constituant; non enim concipi potest aliqua functio nisi a formis, hoc est, a substantiis, sunt enim substantiae subjecta a quibus; sicut pro exemplo, non concipi potest visus absque oculo, non respiratio absque pulmone, oculus est forma organica ex qua et per quam visus, et pulmo est forma organica ex qua et per quam respiratio, ita quoque in reliquis: sunt itaque functiones, quibus societates coelestes principaliter correspondent, et quia sunt functiones, etiam sunt formae organicae, quibus correspondent, nam unum ab altero individuum est, et inseparabile, usque adeo, ut sive dicas functionem sive formam organicam per quam et ex qua functio, simile sit; inde est, quod Correspondentia sit cum organis, membris et visceribus, quia est cum functionibus, quapropter cum producitur functio, etiam excitatur organum; ita quoque se habet in omnibus et singulis quae homo agit, cum is hoc aut illud, et cum ita aut aliter agere vult, et hoc cogitat, tunc organa se movent convenienter; ita secundum intentionem functionis seu usus; est enim usus qui imperat formis. Inde quoque patet, quod antequam formae organicae corporis exstiterint, usus fuerit, et quod usus produxerit et adaptaverit illas sibi, non vicissim; cum autem formae productae sunt, aut organa adaptata, procedunt inde usus, et tunc apparet sicut formae seu organa prius sint quam usus, cum tamen non ita sit; influit enim usus a Domino, et hoc per coelum, secundum ordinem et secundum formam, secundum quam coelum ordinatum est a Domino, ita secundum correspondentias, sic*

existit homo, et sic subsistit; inde iterum patet, unde sit, quod homo quoad omnia et singula correspondeat coelis.

4224. *Formae organicae non solum sunt illae, quae apparent coram oculo, et quae detegi possunt per microscopia, sed etiam sunt formae organicae adhuc puriores quae nusquam aliquo oculo nudo, nec artificiali detegi possunt, hae illae formae sunt interiores; sicut formae quae sunt visus interni, et quae denique sunt intellectus, hae sunt imperscrutabiles, sed usque sunt formae, hoc est, substantiae; non enim potest aliquis visus, ne quidem intellectualis existere, quam ab aliquo; hoc etiam notum est in Orbe erudito, quod nempe absque substantia, quae subjectum, non sit aliquis modus, seu aliqua modificatio, seu aliquid quale quod se active manifestat; formae illae puriores seu interiores quae imperscrutabiles, sunt quae sensus internos sistunt, et quoque affectiones interiores producunt: cum illis formis, quia cum illarum sensibus et horum affectionibus, correspondent coeli interiores: sed quia de illis, et de correspondentia illorum, plura sunt quae mihi detecta, illa non possunt clare exponi nisi de singulis in specie agatur, quapropter etiam in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, licet continuare illa, quae de Correspondentia hominis cum Maximo Homine, in priori Parte inchoata sunt; ut tandem sciat homo, non ex aliqua ratiocinatione, minus ex aliqua hypothesi, sed ab ipsa experientia, quomodo se cum illo habet, et cum Interno ejus homine, qui anima ejus vocatur, et denique cum conjunctione ejus cum coelo, et per coelum cum Domino, consequenter unde homo est homo, et per quae distinguitur a bestiis; et porro quomodo homo semet ipsum a conjunctione illa separat, et se cum inferno conjungit.*

4225. *In antecessum dicendum, quinam sunt intra Maximum Hominem, et quinam sunt extra illum; omnes qui in amore in Dominum, et in charitate erga proximum sunt, et ei bonum faciunt ex corde secundum bonum apud illum, et qui conscientiam justi et aequi habent, illi sunt intra Maximum Hominem, sunt enim in Domino, proinde in Coelo; at omnes qui in amore sui et in amore mundi sunt, et inde in concupiscentiis, ac solummodo propter leges, sui honorem, et opes mundi, et propter famam inde, bonum faciunt, ita qui inte-*

rius immisericordes sunt, in odio et vindicta contra proximum sui et mundi causa, et delectantur ejus damnis, quando sibi non favet, illi sunt extra Maximum Hominem, sunt enim in inferno; hi non correspondent aliquibus organis et membris in corpore, sed vitiis et morbis eis inductis variis, de quibus etiam, ex Divina Domini Misericordia, ab experientia in sequentibus. Qui extra Maximum Hominem sunt, hoc est, extra coelum, illi non possunt intrare in illum, vitae enim sunt contrariae; imo si aliquo modo intrant, quod fit quandoque a talibus, qui lucis angelos in vita corporis mentiri edocti sunt, sed cum illuc veniunt, quod quandoque permittitur ex causa ut sciant quales sunt, sed admittuntur modo ad primum introitum, hoc est, ad illos qui simplices adhuc sunt, et nondum ad plenum instructi, tunc illi qui sicut lucis angeli intrant, vix aliquibus momentis ibi morari possunt, quia ibi est vita amoris in Dominum et amoris erga proximum; et quia ibi nihil correspondet vitae illorum, vix possunt respirare, quod spiritus et angeli quoque respirent, videatur n: 3884 *ad* 3893, *inde incipiunt angi, nam respiratio se habet secundum liberum vitae, et quod mirum, vix tandem possunt se movere, sed fiunt sicut qui in gravedine sunt, angore et cruciatu occupante interiora, quapropter se inde ejiciunt praecipites, et hoc usque ad infernum, ubi respiratio illis et mobilitas, inde est quod vita in Verbo per mobilitatem repraesentetur: Qui autem in Maximo Homine sunt, illi in respirationis libero sunt, cum in bono amoris; sed usque distincti sunt secundum boni quale et quantum, inde tot coeli sunt, qui in Verbo vocantur Mansiones,* Joh: XIV: 2; *estque unusquisque in suo coelo in sua vita, et habet influxum ab universo coelo, quisque ibi est centrum influxuum omnium, inde in perfectissimo aequilibrio, et hoc secundum formam stupendam coeli, quae a Solo Domino, ita cum omni varietate.*

4226. *Quandoque conquesti sunt recentes spiritus, qui interius mali fuerunt cum in mundo vixerunt, sed exterius apparentiam boni aucuparunt per opera quae fecerunt aliis sui et mundi causa, quod non admittantur in coelum, illi enim non aliam opinionem de coelo habuerunt, quam admissionis ex gratia; sed illis quandoque responsum est, quod nulli negetur coelum, et si cupiunt, quod admittendi, etiam aliqui admissi*

in societates coelestes proximas quae ad introitum, sed cum illuc venerunt, ex contrarietate et repugnantia vitae, perceperunt, ut dictum, respirationis cessationem, angorem, et cruciatum sicut infernalem, et se dejecerunt inde; dicentes dein, quod coelum illis infernum esset, et quod nusquam crediderint coelum tale esse.

4227. *Sunt plures ex utroque sexu, qui tales in vita corporis fuerunt, ut ubicunque potuerint, quaesiverint arte et dolo subjugare sibi aliorum animos fine imperandi, cumprimis apud potentes et divites, ut soli essent qui sub nomine illorum regerent; quique clam egerunt, et removerunt alios, imprimis probos, et hoc variis modis, quidem non vituperando, quia probitas semet defendit, sed per modos alios, eorum consilia pervertendo, vocando simplicia, et quoque mala, attribuendo infortunia si quae fiunt, praeter alia similia: qui tales fuerunt in vita corporis, etiam tales sunt in altera vita, nam unumquemque sequitur vita sua; per vivam experientiam ab hujuscemodi, cum apud me fuerunt, id comperii, quia similiter tunc agebant, sed adhuc solertius et ingeniosius, nam spiritus subtilius agunt quam homines, quia a nexibus cum corpore et a vinculis cum crassis sensationum modis, soluti sunt; illi ita subtiles erant, ut aliquoties non perceperim quod intentio seu finis imperandi illis esset; et cum inter se loquebantur, cavebant ne audirem et id perciperem, sed ab aliis qui audiverunt mihi dictum, quod nefanda essent consilia eorum, et quod per magicas artes, ita per opem a diabolica turba studerent pervenire ad finem suum; neces proborum pro nihilo aestimabant; Dominum, sub quo imperare se velle dicebant, vilipendebant, Ipsum modo ut alium hominem spectando, cui cultus sicut apud alias gentes, quae homines deos fecerunt et coluerunt, ab antiquo manens, et cui contradicere, quia nati in illo cultu, et famam laederent, non ausi fuerint: de illis id dicere possum, quod cogitationes et voluntatem hominum, qui similes sunt, obsideant, ac apud illos se insinuent eorum affectioni et intentioni, sic ut illi nequaquam scire possint, absque Domini Misericordia, quod tales spiritus adsint, et quod in societate talium sint. Hi spiritus correspondent vitiosis sanguinis purioris apud hominem, qui sanguis spiritus animalis vocatur, quem*

vitiosa intrant absque ordine, et ubicunque se diffundunt, sunt sicut venena quae frigus inducunt, et torporem nervis et fibris, ex quibus erumpunt morbi gravissimi et fatales. Cum tales in consortio agunt, internoscuntur per id, quod modo quadrupedo, ut ita dicatur, agant, et quod insideant parti posteriori capitis sub cerebello ad sinistrum; qui enim sub occipitio agunt, clandestine magis quam alii operantur, et qui ad partem tergalem, imperare cupiunt. Ratiocinati sunt mecum de Domino, et dicebant, quod mirum sit quod non audiat preces quando precantur, et sic quod non opituletur supplicantibus, sed respondere datum, quod non audiri possent, quia pro fine habent talia quae contraria sunt saluti generis humani, et quia precantur pro semet contra omnes, et cum ita precantur quod claudatur coelum, qui enim in Coelo sunt solum attendunt ad fines precantium; haec quidem non agnoscere volebant, sed usque nihil potuerunt respondere. Erant viri hujus sortis, et illi cum foeminis in consortio, qui dicebant, quod a foeminis plura consilia possent capere, quia citiores et solertiores perspiciendi talia essent; admodum delectantur consortio illarum, quae scorta fuerunt. Tales ut plurimum ad secretas artes et magicas in altera vita se applicant, nam magicae artes in altera vita sunt perplures, quae in mundo prorsus ignotae sunt, ejuscemodi, ut primum in alteram vitam veniunt, se applicant, et discunt fascinare illos apud quos sunt, imprimis sub quibus regnare cupiunt; nefaria non abhorrent. De inferno illorum, quale est, et ubi sunt quando non in mundo spirituum, alibi dicetur. Ex his constare potest, quod vita sua unumquemque maneat post mortem.

4228. *Continuatio de Maximo Homine, et de Correspondentia, ad finem Capitis sequentis; ubi de Correspondentia cum Sensibus in genere.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

4229. In Parte Tertia inceptum est explicare illa quae Dominus apud Matthaeum Capite XXIV praedixerat de Ultimo Judicio; et explicatio illa praemissa est ante ultima Capita ibi, et cum explicatione continuatum est usque ad Versum 31 illius Evangelistae, videantur n: 3353 ad 3356. n: 3486 ad 3489. n: 3650 ad 3655. n: 3897 ad 3901. n: 4056 ad 4060: quis sensus internus omnium illorum in summario patet ab illis quae ibi explicata sunt, quod nempe praedictum sit de successiva Vastatione Ecclesiae, et tandem de Instauratione Novae, hoc ordine, I. Quod non inciperent scire quid bonum et verum, sed litigarent de illis. II. Quod contemnerent illa. III. Quod non corde agnoscerent. IV. Quod prophanarent. V. Et quia adhuc permansurum verum fidei, et bonum charitatis apud quosdam, qui Electi vocantur, describitur status fidei tunc. VI. Et dein status charitatis. VII. Ac demum agitur de initio novae Ecclesiae, quae intelligitur per verba, quae ultimo explicata sunt, nempe per haec „ Et emittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos Ipsius a quatuor ventis, ab extremo coelorum usque ad extremum illorum, » Vers: 31, per quae quod initium Novae Ecclesiae intellectum sit, videatur n: 4060 ad finem.

4230. Quando finis veteris Ecclesiae ac principium Novae adest, tunc est Ultimum Judicium; quod illud tempus sit quod per Ultimum Judicium in Verbo intelligitur, videatur n: 2117

ad 2133. 3353. 4057; et quoque per Adventum Filii Hominis: de ipso Adventu nunc agitur, de quo Discipuli Dominum quaesiverunt, dicentes „Dic nobis quando ista fient, imprimis quodnam signum tui adventus, et consummationis saeculi,“ Vers: 3, Cap: XXIV: apud Matthaeum: jam itaque sequuntur explicanda, quae Dominus de ipso tempore Adventus sui, et Consummationis saeculi, quae est Ultimum Judicium, praedixit; sed ante hoc Caput solum illa quae continentur in Versibus 32. 33. 34. 35, quae sunt haec „*Ab autem ficu discite parabolam, quando jam ramus ejus fit tener, et folia enata, scitis quod prope aestas. Sic et vos, quando videritis haec omnia, scitote quod prope sit ad fores. Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiunt. Coelum et Terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*“ Horum verborum sensus internus est, qui sequitur.

4231. *Ab autem ficu discite parabolam, quando ramus ejus fit tener, et folia enata, scitis quod prope aestas*, significat primum Ecclesiae novae; ficus est bonum naturalis, ramus est affectio ejus; et folia sunt vera, parabola ex qua discerent est quod illa significentur: qui non novit sensum internum Verbi, nusquam scire potest, quid comparatio Adventus Domini cum ficu, ac ejus ramo et foliis involvit; sed quia omnia comparativa in Verbo etiam significativa sunt, n: 3579, sciri potest inde, quid illa; ficus ubicunque nominatur in Verbo in sensu interno significat bonum naturalis, videatur n: 217, quod ramus sit affectio ejus, inde est, quia affectio a bono propullulat sicut ramus a suo trunco, quod folia sint vera, videatur n: 885: inde nunc patet quid parabola illa involvit, nempe cum Ecclesia Nova a Domino creatur, quod tunc omnium primo appareat bonum naturalis, hoc est, bonum in externa forma cum ejus affectione et veris; per bonum naturalis non intelligitur bonum in quod homo nascitur, seu a parentibus trahit, sed bonum quod spirituale est quoad originem, in hoc nemo nascitur, sed inducitur a Domino per cognitiones boni et veri; quapropter antequam homo in hoc bono est, nempe in bono spirituali, non est homo Ecclesiae, utcunque apparet ex bono connato, quod sit. *Sic et vos, quando videritis haec omnia, scitote quod prope sit ad fores*, significat cum illa apparent, quae significan-

tur in sensu interno per verba quae proxime supra Vers: 29. 30. 31, dicta sunt, et per haec de ficu, quod tunc consummatio Ecclesiae, hoc est, Ultimum Judicium, ac Adventus Domini; proinde quod tunc rejiciatur Ecclesia vetus, et instauretur nova: ad fores dicitur, quia bonum naturalis et ejus vera sunt prima, quae insinuantur homini, cum regeneratur et fit Ecclesia. *Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiunt*, significat gentem Judaicam, quod non sicut aliae gentes exstirpabitur, causa videatur n: 3479. *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, significat Ecclesiae prioris interna et externa quod peritura, sed quod Verbum Domini mansurum; quod Coelum sit internum Ecclesiae, et terra externum ejus, videatur n: 82. 1411. 1733. 1850. 2117. 2118. 3355 f: quod verba Domini sint [non] modo illa quae nunc de adventu Ipsius et Consummatione saeculi dicta sunt, sed etiam omnia quae in Verbo, patet: haec immediate post illa quae de Gente Judaica, dicta sunt, quia Gens Judaica conservata est propter Verbum, ut constare potest ex loco citato n: 3479. Ex his nunc patet, quod hic de inchoamentis Novae Ecclesiae praedictum sit.

CAPUT XXXII.

1. Et Jacob ivit ad viam suam; et occurrerunt in eum Angeli Dei.

2. Et dixit Jacob, sicut vidit illos, castra Dei haec et vocavit nomen loci illius Machanaim.

3. Et misit Jacob nuntios coram se ad Esau fratrem suum terram Seir, agrum Edomi.

4. Et praecepit illis, dicendo, ita dicetis Domino meo Esavo, ita dicit servus tuus Jacob, cum Labane peregrinatus sum, et moratus usque nunc.

5. Et fuit mihi bos et asinus, grex et servus et ancilla, et mitto ad indicandum domino meo, ad inveniendum gratiam in oculis tuis.

6. Et reversi sunt nuntii ad Jacobum, dicendo, venimus ad fratrem tuum ad Esavum, et etiam vadit obviam tibi, et quadringenti viri cum eo.

7. Et timuit Jacob valde, et angustia fuit ei, et dimidiavit populum qui cum eo, et gregem, et armentum, et camelos, in duo castra.

8. Et dixit, si venerit Esau ad castra una, et percusserit illa, et erunt castra relicta ad evasionem.

9. Et dixit Jacob, Deus patris mei, Abrahami, et Deus patris mei Jischaki, Jehovah, dicens ad me, revertere ad terram tuam, et ad nativitatem tuam, et benefaciam tecum.

10. Minor sum prae omnibus misericordiis, et prae omni veritate, quae fecisti cum servo tuo, quia in baculo meo transivi Jordanem hunc, et nunc sum in duo castra.

11. Eripe me quaeso e manu fratris mei, e manu Esavi, quia timeo ego eum, forte veniat, et percutiat me, matrem super filios.

12. Et, Tu dixisti, benefaciendo benefaciam tecum, et ponam semen tuum, sicut arenam maris, quae non numeratur prae multitudine.

13. Et pernoctavit ibi in nocte illa, et accepit de veniente in manum suam munus Esavo fratri suo.

14. Capras ducentas, et capros viginti, oves ducentas et arietes viginti.

15. Camelas lactantes et filios illarum triginta, Juvencas quadraginta et Juvencos decem, asinas viginti et pullos decem.

16. Et dedit in manum servorum suorum, catervam catervam seorsim; et dixit ad servos suos, transite ante me, et spatium ponatis inter catervam et inter catervam.

17. Et praecepit primo, dicendo, quod occurrerit tibi Esau frater meus, et interrogaverit te, dicendo, cui tu, et quo vadis, et cui illa ante te.

18. Et dices, servo tuo Jacobo, munus hoc missum domino meo Esavo, et ecce etiam is post nos.

19. Et praecepit etiam secundo, etiam tertio, etiam omnibus euntibus post catervas, dicendo, secundum verbum hoc loquemini ad Esavum, in inveniendo vos eum.

20. Et dicetis etiam, ecce servus tuus Jacob post nos, quia

dixit, expiabo facies ejus in munere eunte ante me, et postea videbo facies ejus, forte suscipiet facies meas.

21. Et transivit munus super ante eum, et is pernoctavit in nocte illa in castris.

22. Et surrexit in nocte illa, et accepit binas foeminas suas, et binas ancillas suas, et undecim natos suos, et transivit transitum Jabbok.

23. Et accepit illos, et transire fecit illos fluvium, et transire fecit quae sibi.

* * * *

24. Et remansit Jacob solus is, et luctatus vir cum eo, usque ascendere auroram.

25. Et vidit quod non praevaleret ei, et tetigit volam femoris ejus, et luxata vola femoris Jacobi in luctando illo cum eo.

26. Et dixit, mitte me, quia ascendit aurora, et dixit, non mittam te quin benedixeris mihi.

27. Et dixit ad eum, quid nomen tuum, et dixit, Jacob.

28. Et dixit, non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël, quia ut princeps contendisti cum Deo, et cum hominibus, et praevaluisti.

29. Et interrogavit Jacob et dixit, indica quaeso nomen tuum, et dixit quare hoc interrogas ad nomen meum, et benedixit ei ibi.

30. Et vocavit Jacob nomen loci Peniel, quia vidi Deum facies ad facies, et liberata anima mea.

31. Et exortus ei sol, sicut transivit Penuel, et is claudicans super femore suo.

32. Propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti, qui super vola femoris usque ad diem hunc, quia tetigit in vola femoris, Jacobi nervum emoti.

CONTENTA.

4232. Agitur hic in sensu interno de inversione status in Naturali, ut bonum primo loco sit, verum secundo; hic de implantatione veri in bono, Vers: 1 ad 23. Et de luctis tentationum, quae tunc sustinendae, Vers: 24 ad 32. Agitur etiam si-

mul de Gente Judaica, quod Gens illa, tametsi nihil Ecclesiae recipere posset, usque repraesentaret illa quae Ecclesiae sunt.

SENSUS INTERNUS.

4233. Vers: 1. 2. *Et Jacob ivit ad viam suam; et occurrerunt in eum Angeli Dei. Et dixit Jacob, sicut vidit illos, castra Dei haec, et vocavit nomen loci illius Machanaim.* Jacob ivit ad viam suam, significat successivum veri ut conjungeretur bono spirituali et coelesti: et occurrerunt in eum angeli Dei, significat illustrationem a bono: et dixit Jacob, sicut vidit illos, castra Dei haec, significat coelum: et vocavit nomen loci illius Machanaim, significat quale status.

4234. Jacob ivit ad viam suam, quod significet successivum veri, ut conjungeretur bono spirituali et coelesti, constat ex repraesentatione Jacobi, quod hic sit verum naturalis; quid Jacob repraesentaverit, prius dictum est, quod nempe Naturale Domini; et quia agitur in sensu interno, ubi historice de Jacobo, de Domino, quomodo Ipse Naturale suum Divinum fecit, ideo Jacob primum repraesentavit verum ibi, et dein verum cui adjunctum est bonum collaterale, quod erat Laban, et postquam hoc adjunxit, tunc repraesentavit Jacob bonum tale, sed tale bonum non est bonum Divinum in Naturali, sed est bonum medium, per quod recipere potuit Bonum Divinum; tale bonum repraesentavit Jacob cum recederet a Labane, sed usque id bonum in se est verum, cui inde facultas se conjungendi cum Bono Divino in Naturali: tale verum est, quod Jacob nunc repraesentat: Bonum autem cum quo conjungeretur, repraesentatur per Esavum, quod Esavus sit Divinum Bonum Divini Naturalis Domini, videatur n: 3300. 3302. 3494. 3504. 3527. 3576. 3599. 3669. 3677; de illa ipsa conjunctione, nempe veri Divini cum Bono Divino Divini Naturalis Domini in sensu supremo nunc agitur; nam postquam Jacob recessit a Labane, et ad Jordanem venit, ita ad primum ingressum in terram Canaanem, ingreditur repraesentare conjunctionem illam, terra enim Canaan in sensu interno significat coelum, et in supremo

sensu Divinum Humanum Domini, n: 3038. 3705; inde est, quod per illa verba „Et Jacob ivit ad viam suam" significetur successivum veri, ut conjungeretur bono spirituali et coelesti. Sed haec talia sunt, quae nequaquam possunt plene ad captum exponi; causa est, quia communissima hujus rei in orbe erudito etiam Christiano, ignota sunt; vix enim scitur quid Naturale apud hominem, et quid rationale, et quod illa inter se prorsus distincta sint; et quoque vix scitur quid verum spirituale et quid bonum ejus, quodque haec quoque distinctissima sint; et adhuc minus, quod, cum homo regeneratur, verum conjungatur cum bono, distincte in Naturali, et distincte in Rationali, et haec per innumerabilia media; imo ne quidem notum est, quod Dominus Humanum suum Divinum fecerit, secundum ordinem secundum quem Dominus etiam regenerat hominem; cum itaque communissima illa ignota sunt, non potest aliter quam quod obscura appareant quae de illis dicuntur; sed usque dicenda sunt, quia aliter non potest explicari Verbum quoad sensum internum; ad minimum inde constare potest, quae et qualis sapientia Angelica est, nam Verbi sensus internus est principaliter pro Angelis.

4235. Et occurrerunt in eum Angeli Dei, quod significet illustrationem a bono, constat a significatione Angelorum Dei, quod sit aliquid Domini, hic Divinum quod in Domino, nam in Domino fuit Ipsum Divinum quod Pater vocatur; ipsa Essentia vitae, quae apud hominem dicitur anima, fuit inde, et fuit Ipse, illud Divinum est quod in communi sermone vocatur Natura Divina, potius Essentia Divina Domini; quod per Angelos Dei in Verbo aliquid Divini Domini significetur, videatur n: 1925. 2319. [1] 2821. 3039. 4085: per quod Angeli Dei occurrerunt in eum, significatur in sensu proximo influxus Divini in Naturale, inde illustratio, nam omnis illustratio est ab influxu Divini. Quia de inversione status in Naturali Domini, ut bonum primo loco esset, et verum secundo, et hic de implantatione veri in bono ibi, agitur n: 4232, [2] et id absque illustratione a Divino non fieri potuit, ideo hic primum agitur de illustratione a bono, in quo verum implantaretur.

4236. Et dixit Jacob, Castra Dei haec, quod significet coelum; quod castra Dei significent coelum, est quia exercitus

significat vera et bona, n: 3448, ac vera et bona sunt a Domino disposita secundum ordinem coelestem; inde dispositio secundum exercitus est castrametatio, ac ipse ordo coelestis, qui est coelum, sunt castra; haec castra seu hic ordo talis est, ut nullatenus infringi ab inferno possit, tametsi continuus conatus inferno est infringendi illum, inde quoque ordo ille seu coelum dicuntur castra, ac vera et bona, hoc est, Angeli, qui secundum ordinem illum dispositi sunt, vocantur exercitus; ex his nunc patet, unde castra Dei significant coelum: Ipse ille ordo est, qui repraesentabatur per Castrametationes filiorum Israëlis in deserto, ita ipsum coelum, et ipsa cohabitatio ibi secundum tribus dicebantur castra; Tabernaculum, quod in medio, et circum quod castrametabantur, repraesentabat Ipsum Dominum: quod sic castrametarentur filii Israëlis, videatur Num: I: 1 ad f. et Cap: XXXIII: 2 ad 56; [3] quod circum Tabernaculum secundum Tribus, nempe versus Orientem Jehudas, Jisaschar et Sebulon, versus meridiem Ruben, Schimeon, Gad, versus occidentem Ephraim, Menasche, Benjamin, versus septentrionem Dan, Ascher et Naphthali, ac Levitae in medio juxta Tabernaculum, Num: II: 2 seq: quod per Tribus significentur omnia bona et vera in complexu, videatur n: 3858. 3862. 3926. 3939. 4060: inde est, quod Bileamus, cum videret Israëlem habitantem juxta tribus, et veniret super eum tunc spiritus Dei, ediderit enuntiatum, dicendo, „*Quam bona sunt tabernacula tua, Jacobe, habitacula tua Israël, sicut valles plantantur, sicut horti juxta fluvium,*" Num: XXIV: 2. 3. 5. 6; quod per prophetica illa, non populus qui Jacob et qui Israël nominabatur, intellectus sit, patet manifeste, sed quod coelum Domini, quod repraesentabatur. Inde etiam alibi in Verbo ordinationes illorum in deserto, seu castrametationes secundum Tribus, dictae sunt Castra; et per castra ibi in sensu interno significatur Ordo coelestis, et per castrametationem dispositio secundum ordinem illum, nempe secundum ordinem, in quo sunt bona et vera in coelo, ut Levit: IV: 12. Cap: VIII: 17. Cap: XIII: 46. [4] Cap: XIV: 8. Cap: XVI: 26. 28. Cap: XXIV: 14. 23. Num: II: Cap: V: 4 seq: [5] Cap: V: 2 ad 6. Cap: IX: 17 ad f. Cap: X: 1 ad 11. 25. [6] Cap: XI: 31. 32. Cap: XII: 14. 15. Cap: XXXI: 19 ad 25. Deut: XXIII: 10.

11. 12. 13. 14. 15. Quod Castra Dei sint Coelum, etiam constare potest apud Joëlem „Coram Ipso commota est terra, contremuerunt coeli, sol et luna atrati sunt, et stellae collegerunt splendorem suum, et Jehovah dedit vocem suam *coram Exercitu suo*, quia *multa* valde *Castra Ipsius*, quia numerosus faciens verbum Ipsius," II: 10. 11. Apud Sachariam „*Castrametabor* ad domum meam *de Exercitu* prae transeunte et prae abeunte, ne transeat super illos exactor," IX: 8. Apud Johannem „Gogus et Magogus ascenderunt super planitiem terrae, et circumdederunt *castra sanctorum*, et civitatem delectam; sed ascendit ignis a Deo, et consumsit eos," Apoc: XX: 9; Gogus et Magogus pro illis qui in cultu externo separato ab interno, et facto idololatrico, n: 1151; planities terrae pro vero Ecclesiae, quod planities sit verum quod doctrinalis, n: 2450, et quod terra sit Ecclesia, n: 556. 662. 1066. 1067. 1850. 2117. 2118. 3355; castra sanctorum pro coelo seu Regno Domini in terris, quod est Ecclesia. Quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque castra, et ibi significant mala et falsa, proinde infernum, ut apud Davidem „Si mali *metabuntur* contra me *castra*, non timebit cor meum," Psalm: XXVII: 3. Apud Eundem „Deus dispersit *ossa castrametantium* contra me, pudefecisti, quia Deus rejecit illos," Psalm: LIII: 6. Per „*castra Aschuris*, in quibus percussit Angelus Jehovae centum et octoginta et quinque millia," Esai: XXXVII: 36, nec aliud intellectum est; pariter per „*Castra Aegyptiorum*," Exod: XIV: 19. 20.

4237. Et vocavit nomen loci illius Machanaim, quod significet quale status, constat a significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 3421; et a significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. Machanaim in Lingua originali significat bina castra, et bina castra significant utrumque coelum seu utrumque Regnum Domini, nempe Coeleste et Spirituale, ac in Supremo sensu Divinum coeleste et Divinum spirituale Domini; inde patet, quod quale status Domini cum Naturale Ipsius illustraretur a bono spirituali et coelesti, significetur per Machanaim: sed illud, nempe quale status, non describi potest, quia Divini Status, qui fuerunt Domino, cum Humanum in Se Divinum fecit,

non in aliquem captum humanum cadunt, ne quidem in Angelicum, solum per apparentias illustratas a luce coeli quae a Domino, et per status regenerationis hominis, nam regeneratio hominis est imago glorificationis Domini, n: 3138. [7] 3212. 3296. 3490.

4238. Vers: 3. 4. 5. *Et misit Jacob nuntios coram se ad Esau fratrem suum terram Seir, agrum Edomi. Et praecepit illis, dicendo, ita dicetis domino meo Esavo, ita dicit servus tuus Jacob, cum Labane peregrinatus sum, et moratus usque nunc. Et fuit mihi bos et asinus, grex et servus et ancilla, et mitto ad indicandum domino meo ad inveniendum gratiam in oculis tuis.* Misit Jacob nuntios coram se ad Esau fratrem suum, significat communicationem primam cum bono coelesti: terram Seir, significat bonum coeleste naturale: agrum Edomi, significat verum inde: et praecepit illis dicendo, ita dicetis domino meo Esavo, significat agnitionem primam boni, quod superiori loco esset: cum Labane peregrinatus sum, et moratus usque nunc, significat quod imbuerit bonum per Labanem significatum: et fuit mihi bos et asinus, grex et servus et ancilla, significat acquisitiones suo ordine ibi: et mitto ad indicandum domino meo, ad inveniendum gratiam in oculis tuis, significat instructionem de statu suo, et quoque condescendentiam et humiliationem veri coram bono.

4239. Misit Jacob nuntios coram se ad Esau fratrem suum, quod significet communicationem primam cum bono coelesti, constat a significatione mittere nuntios, quod sit communicare; et a repraesentatione Esavi, quod sit bonum coeleste in naturali, de qua n: 3300. 3302. 3494. 3504. 3527. 3576. 3599. 3669. Agitur hic, ut supra n: 4234 [8] dictum, de conjunctione Veri Divini Naturalis, quod est Jacob, cum Bono Divino ibi, quod est Esau; quare primum de illustratione Naturalis a Divino, actum est, n: 4235; hic nunc de communicatione prima, quae significatur per quod Jacob miserit nuntios ad Esavum fratrem; quod etiam in Verbo bonum et verum sint fratres, videatur n: 367. 3303.

4240. Terram Seir, quod significet bonum coeleste naturale, constat a significatione terrae Seir, quod in supremo sensu sit bonum coeleste naturale Domini; causa quod terra Seir

illud significet, est quia mons Seir erat terminus terrae Canaanis ab una parte, Jos: XI: 16. 17, et omnes termini, sicut fluvii, montes et terrae, repraesentabant illa quae ultima essent, n: 1585. 1866. 4116, induebant enim repraesentationes a terra Canaane quae in medio, quae repraesentabat Regnum coeleste Domini, et in supremo sensu Divinum Humanum Ipsius, videatur n: 1607. 3038. 3481. 3705; ultima, quae termini, sunt illa quae Naturalia vocantur, nam in naturalibus terminantur spiritualia et coelestia; ita se habet in coelis, nam intimum seu tertium coelum est coeleste quia in amore in Dominum, medium seu secundum coelum est spirituale, quia in amore erga proximum, ultimum seu primum coelum est coeleste et spirituale naturale, quia in simplici bono, quod est ultimum ordinis ibi; similiter apud hominem regeneratum, qui est exiguum coelum: ex his nunc constare potest, unde sit, quod terra Seir significet bonum coeleste naturale: Esavus quoque, qui ibi habitabat, repraesentat bonum illud, ut supra ostensum est, inde etiam per terram, ubi habitabat, significatur idem; terrae enim induunt repraesentationes illorum qui ibi sunt, n: 1675. Ex his nunc patere potest, quid per Seir significatur in Verbo; ut apud Mosen „ Jehovah de Sinai venit, et *exortus est de Seir illis*, exsplenduit de monte Paran, et venit ex myriadibus sanctitatis, " Deut: XXXIII: 2. 3. In Cantico Deborae et Baraki in Libro Judicum „ *Jehovah* cum *exivisti e Seir*, cum egressus es *ex Agro Edomi*, terra contremuit, etiam coeli stillarunt, etiam nubes stillarunt aquas, montes defluxerunt; hic Sinai coram Jehovah Deo Israëlis, " V: 4. 5. In prophetia Bileami „ Video Ipsum et non jam, conspicio Ipsum et non propinquus; orietur stella e Jacobo, et surget sceptrum ex Israële, et erit *Edomus haereditas*, et erit *haereditas Seir*, hostium illius, et Israël faciens robur " Num: XXIV: 17 [. 18]; quisque videre potest, quod Seir hic significet aliquid Domini, nam dicitur quod Jehovah exortus est de Seir, quod exivit de Seir, et egressus ex agro Edomi, quod Edomus et Seir erit haereditas, sed quid Domini significat, nemo scire potest nisi ex sensu interno Verbi; quod sit Divinum Humanum Domini, et in specie ibi Divinum Naturale quoad bonum, ex supradictis constare potest, exoriri et exire e Seir est quod Naturale etiam Divinum faceret, ut inde

quoque lux, hoc est, intelligentia et sapientia, et ita Jehovah fieret non modo quoad Humanum Rationale, sed etiam quoad Humanum Naturale; quapropter dicitur, Jehovah exortus est de Seir, et Jehovah exivit de Seir; quod Dominus sit Jehovah, videatur n: 1343. 1736. 2004. 2005. 2018. 2025. 2156. 2329. 2921. 3023. 3035: simile involvit propheticum Dumae apud Esaiam „Ad me *clamans e Seir*, custos quid de nocte, custos quid de nocte; dixit custos, venit mane, etiamque nox" XXI: 11. 12. Per terram Seir in sensu respectivo proprie significatur Regnum Domini apud illos qui extra Ecclesiam sunt, hoc est, apud gentes cum apud illos instauratur Ecclesia, priore seu vetere desciscente a charitate et fide; quod tunc illis qui in tenebris lux, a pluribus locis in Verbo constat; hoc proprie significatur per exoriri e Seir, et exire e Seir, ac egredi ex agro Edomi, tum quod Seir erit haereditas, ut et per illa apud Esaiam „ad me clamans e Seir, custos quid de nocte, dixit custos, venit mane, etiamque nox;" venit mane est adventus Domini, n: 2405. 2780, ac inde illustratio illis qui in nocte, hoc est, in ignorantia, sed illustratio a Divino Naturali Domini,,n: 4211. Quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque Seir, ut apud Ezechielem Cap: XXV: 8. 9. [?] Cap: XXXV: 2 ad 15, et passim in historicis Verbi.

4241. Agrum Edomi, quod significet verum inde, nempe ex bono, constat ex significatione agri Edomi, quod sit Divinum Naturale Domini quoad bonum Cui conjuncta doctrinalia veri, seu vera, de qua n: 3302. 3322; vera inde, seu quae ex bono, distincta sunt a veris ex quibus bonum; vera ex quibus bonum sunt illa quae homo imbuit ante regenerationem, vera autem quae ex bono sunt illa quae imbuit post regenerationem, post regenerationem enim ex bono procedunt vera, nam ex bono tunc percipit et novit quod vera sint; tale verum, ita verum boni, est, quod significatur per agrum Edomi; similiter etiam in loco supra allato ex Libro Judicum „Jehovah cum *exivisti a Seir*, cum *egressus es ex agro Edomi*" V: 4.

4242. Et praecepit illis dicendo, ita dicetis Domino meo Esavo, quod significet agnitionem primam boni, quod superiori loco esset, constare potest ex significatione hic praecipere nuntiis ut dicerent, quod sit reflexio et inde perceptio quod ita sit

de qua n: 3661. 3682, proinde agnitio; ex repraesentatione Esavi, quod sit bonum, de qua supra n: 4234. 4239; quod superiori loco esset, significatur per quod vocaverit Esavum non fratrem sed Dominum suum, et quoque ut sequitur, se servum ejus, ac postea similiter; quod verum primo loco sit et bonum secundo apparenter, cum regeneratur homo, sed quod bonum primo loco sit et verum secundo, cum regeneratus est homo, videatur n: 1904. 2063. 2189. 2697. 2979. 3286. 3288. 3310 f. 3325. 3330. 3332. 3336. 3470. 3509. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3579. 3603. 3701. Id quoque est, quod intelligitur per prophetica Jischaki patris ad [10] Esavum filium „Super gladio tuo vives, et fratri tuo servies, et erit *quando dominaris,* et disrumpes jugum illius desuper collo tuo" Genes: Cap: XXVII: 40; de inversione hujus status, de qua prophetica illa praedixerunt, hic nunc agitur.

4243. Cum Labane peregrinatus sum, et moratus usque nunc, quod significet quod imbuerit bonum per Labanem significatum, constat a repraesentatione Labanis, quod sit bonum medium, hoc est, bonum non genuinum, sed usque inserviens introducendis veris et bonis genuinis, de qua n: 3974. 3982. 3986 f. 4063; a significatione peregrinari, quod sit instrui, de qua n: 1463. 2025; et a significatione morari seu commorari, quod praedicetur de vita veri cum bono, de qua n: 3613, hic quod sit imbuere; inde patet, quod per illa verba „Cum Labane peregrinatus sum, et moratus usque nunc" significetur quod imbuerit bonum per Labanem significatum. Cum his se ita habet, verum implantari bono nequit, nisi per media; de mediis in Capitibus quae praecedunt, actum est, ubi de Jacobi peregrinatione et commoratione apud Labanem, et de grege ibi acquisito; hic nunc agitur de processu Conjunctionis, ita de inversione status, illo ordine, quo fit cum verum subordinatur bono; verum primo loco est apparenter, cum homo verum discit ex affectione, sed nondum ita vivit secundum illud; at bonum primo loco est, cum vivit secundum verum quod ex affectione didicit, tunc enim verum fit bonum, nam tunc homo credit bonum esse facere secundum verum; qui regenerati sunt, in hoc bono sunt; etiam qui conscientiam habent, hoc est, qui

non amplius ratiocinantur num id verum sit, sed qui faciunt quia verum est, ita qui imbuerunt illud fide et vita.

4244. Et fuit mihi bos et asinus, grex et servus et ancilla, quod significet acquisitiones suo ordine ibi, constat a significatione bovis et asini, gregis et servi et ancillae, quod sint bona et vera exteriora et interiora inservientia, ita acquisitiones suo ordine; quod bos sit bonum naturale exterius, et asinus verum naturale exterius, videatur n: 2781; et quod grex sit bonum naturale interius, ac servus verum ejus, ac ancilla affectio illius veri, constat ex significatione cujusvis, de qua aliquoties prius; bona illa et vera sunt acquisitiones, de quibus hic, quae quod in suo ordine nominatae sint, patet; exteriora enim sunt bos et asinus, interiora autem grex, servus et ancilla.

4245. Et mitto ad indicandum domino meo, ad inveniendum gratiam in oculis tuis, quod significet instructionem de statu suo, et quoque condescendentiam et humiliationem veri coram bono, constat ex significatione mittere ad indicandum, quod sit instruere de statu suo; quod condescendentia dein sit et humiliatio veri coram bono, patet, vocat enim illum dominum suum, ac dicit ad inveniendum gratiam in oculis tuis, quae verba condescendentiae et humiliationis sunt. Describitur hic status, qualis est, quando inversio fit, nempe cum verum subordinatur bono, hoc est, quando illi qui in affectione veri fuerunt, incipiunt in affectione boni esse: sed quod talis inversio et subordinatio sit, non apparet aliis, quam qui regenerati sunt, et non aliis regeneratis, quam qui reflectunt; hodie pauci sunt, qui regenerantur, et adhuc pauciores qui reflectunt, quapropter haec quae de vero et bono dicuntur, non possunt quin obscura sint, et fortassis quod talia, quae non agnoscenda: imprimis apud illos, qui vera quae sunt fidei, primo loco ponunt, et bonum quod charitatis, secundo, et qui inde cogitant multum de doctrinalibus, non autem de bonis charitatis, et ex illis non ex his, de salute aeterna; qui ita cogitant, nusquam scire possunt, minus percipere, quod verum quod fidei subordinetur bono quod charitatis; illa quae homo cogitat, et ex quibus cogitat, afficiunt illum; si cogitaret ex bonis charitatis, tunc videret manifeste, quod vera quae sunt fidei, secundo loco essent, et tunc quoque videret ipsa vera sicut in luce; nam bonum quod

charitatis est instar flammae, quae lucem praebet, et sic illustrat omnia et singula quae prius autumaverat vera esse; et quoque apperciperet quomodo falsa se intermiscuerint, ac induerint speciem sicut vera essent.

4246. Vers: 6. 7. 8. *Et reversi sunt nuntii ad Jacobum, dicendo, venimus ad fratrem tuum, ad Esavum, et etiam vadit obviam tibi, et quadringenti viri cum eo. Et timuit Jacob valde, et angustia fuit ei, et dimidiavit populum qui cum eo, et gregem et armentum et camelos, in duo castra. Et dixit, si venerit Esau ad castra una, et percusserit illa, et erunt castra relicta ad evasionem.* Reversi sunt nuntii ad Jacobum, dicendo, venimus ad fratrem tuum ad Esavum, et etiam vadit obviam tibi, significat quod bonum continue influat, ut appropriet sibi; et quadringenti viri cum eo, significat statum ejus nunc, ut priorem locum sumat: et timuit Jacob valde, et angustia [11] fuit ei, significat statum cum mutatur: et dimidiavit populum qui cum eo, et gregem et armentum, et camelos in duo castra, significat praeparationem et dispositionem verorum et bonorum [12] in naturali ad recipiendum bonum per Esavum repraesentatum: et dixit, si venerit Esau ad castra una, et percusserit illa, et erunt castra relicta ad evasionem, significat secundum omnem eventum.

4247. Et reversi sunt nuntii ad Jacobum, dicendo, venimus ad fratrem tuum ad Esavum, et etiam vadit obviam tibi, quod significet quod bonum continue influat, ut appropriet sibi nempe vera, constat a significatione fratris, hic Esavi, quod sit bonum, nempe Divini Naturalis Domini, de qua supra; et a significatione venire obviam, quod sit influere, de qua sequitur; et quia est influxus est appropriatio. Ex illis quae prius aliquoties de his dicta sunt, constare potest, quomodo se habet cum bono et vero, ac cum boni influxu in verum, et de appropriatione veri a bono, quod nempe bonum continue influat, et quod verum recipiat, vera enim sunt vasa boni, Divinum Bonum non aliis vasis applicari potest quam genuinis veris, nam sibi mutuo correspondent; cum homo in affectione veri est, in qua est in initio antequam regeneratur, tunc quoque continue bonum influit, sed nondum habet vasa, hoc est, vera, quibus se applicet, hoc est, approprietur, nam homo in initio regene-

rationis nondum in cognitionibus est, sed tunc bonum, quia continue influit, producit affectionem veri, affectio enim veri non aliunde est quam a Boni Divini continuo conatu influendi; inde constare potest, quod etiam tunc bonum sit primo loco, et quod principaliter agat, tametsi appareat sicut verum foret; cum autem homo regeneratur, quod fit in adulta aetate cum in cognitionibus est, tunc bonum se manifestat, nam non tunc ita in affectione sciendi verum est, sed in affectione faciendi illud; *prius* enim fuerat verum in intellectu, tunc autem est in voluntate, et cum in voluntate est, in homine est; nam voluntas constituit ipsum hominem: talis est circulus perennis apud hominem, quod omne scientificum et omne cognitivum insinuetur per visum vel per auditum, in cogitationem, et inde in voluntatem, et a voluntate per cogitationem in actum; vel quoque a memoria, quae est sicut oculus internus, seu visus internus, ab hac similis est circulus, nempe a visu illo per cogitationem in voluntatem, et a voluntate per cogitationem in actum, aut si quid obstat in conatum agendi, qui ut primum id quod obstitit, removetur, prodit in actum. Ex his constare potest, quomodo se habet cum influxu, et appropriatione veri a bono, quod nempe omnium primo vera quae fidei, per auditum seu per visum insinuentur, ac tunc in memoria recondantur, et quod inde successive eleventur in cognitionem et tandem influentur voluntati, in qua cum sunt, procedunt inde per cogitationem in actum, et si non in actum possunt, sunt in conatu, ipse conatus est actus internus, nam quotiescunque datur facultas, fit ille actus externus: sed sciendum, quod ille sit circulus, at usque est bonum, quod illum circulum producit, vita enim quae a Domino, non influit nisi in bonum, ita per bonum, et hoc ab intimis; quod vita, quae per intima influit, illum circulum producat, cuivis potest constare, nam absque vita nihil producitur; et cum vita, quae a Domino, non influit nisi in bonum et per bonum, sequitur, quod bonum sit quod producit, et quod influit in vera, et appropriat illa sibi, quantum homo in veri cognitionibus est, et simul quantum recipere vult.

4248. Et quadringenti viri cum eo, quod significet statum ejus nunc, ut priorem locum sumat, constat a significatione quadringentorum, quod sint proprie tentationes et earum dura-

tio, de qua n: 2959. 2966; hic status est qui intelligitur; quod ille status sit constare potest ab illis quae sequuntur, quod nempe timuerit valde, et angustia fuerit ei, quodque ideo castra sua in duo diviserit, Vers: 7. 8; tum quod ex timore ardenter supplicaverit ad Jehovam, Vers: 9. 10. 11. 12; et denique quod luctatus sit cum Angelo, per quam luctationem quod tentatio significetur, constabit ab explicatione luctationis illius in sequentibus hujus Capitis. Cum invertitur status apud hominem, qui regeneratur, hoc est, cum bonum priorem locum sumit, tunc tentationes veniunt; prius homo illas non subire potest, quia nondum est in cognitionibus per quas se defendat, et ad quas recurrat ad solatium capiendum; quapropter etiam nullus tentationes subit, priusquam ad adultam aetatem pervenit; tentationes sunt, quae uniunt vera bono, n: 2272. 3318. 3696. 3928. Inde patet, quod per quadringentos viros cum eo, significetur status, ut bonum priorem locum sumat.

4249. Et timuit Jacob valde, et angustia fuit ei, quod significet statum cum mutatur, constat ex eo, quod timor et angustia sint primum tentationum; et quod praecedant cum invertitur seu mutatur status. Arcana, quae amplius in his latent, nempe quod Esau obviam iverit Jacobo cum quadringentis viris, et quod inde Jacobo timor et angustia, non facile ad captum exponi possunt, sunt enim interiora; solum hoc licet afferre; cum bonum priorem locum sumit, ac sibi vera subordinat, quod fit cum homo tentationes spirituales subit, tunc bonum quod ab interiori influit, secum habet vera perplura, quae apud hominem recondita sunt in ejus interiori homine; illa ad intuitionem et captum ejus non possunt venire, antequam bonum primas agit, tunc enim a bono illustrari incipit naturale, inde apparet quaenam ibi concordant et quaenam discordant, inde timor et angustia quae praecedunt tentationem spiritualem; spiritualis enim tentatio agit in conscientiam, quae est interioris hominis, quare etiam homo non scit, cum tentationem illam intrat unde ei timor et angustia, sed angeli qui apud hominem, probe hoc norunt; tentatio enim inde est, quod Angeli teneant hominem in bonis et veris, spiritus autem mali in malis et falsis; quae enim apud Spiritus et Angelos, qui apud hominem, existunt, illa non aliter percipiuntur apud hominem, quam quod

in ipso sint; quae enim interius existunt, putat homo dum in corpore vivit, et non credit quod omnia influant, quod non causae sint extra illum, quae producunt, sed quod omnes causae sint intra illum, et ejus propriae, cum tamen non ita est; quicquid enim homo cogitat, et quicquid vult, hoc est, omnis ejus cogitatio et omnis ejus affectio, vel est ex inferno, vel est ex coelo; cum mala cogitat et vult, et falsis inde delectatur, sciat quod cogitationes et affectiones ejus sint ex inferno, et dum bona cogitat et vult, et veris inde delectatur, quod a coelo, hoc est, per coelum a Domino; sed cogitationes et affectiones quae apud hominem, apparent utplurimum sub alia specie, sicut pugna malorum spirituum cum angelis ex illis quae sunt apud hominem regenerandum, sub specie timoris et angustiae, ac tentationis: haec non possunt non ut paradoxa apparere homini, quia homo Ecclesiae paene omnis hodie credit, quod omne verum quod cogitat, et bonum quod vult et facit, sit a semet, tametsi aliter dicit cum ex doctrinali fidei loquitur: imo talis est, ut si quis diceret ad illum, quod spiritus ab inferno sint qui influunt in cogitationem et voluntatem ejus cum mala cogitat et vult, et quod angeli e coelo, cum bona, quod tunc haereret mirabundus quod aliquis tale statuat, diceret enim quod sentiat vitam in se, et quod cogitet ex se et velit ex se; ex illo sensitivo credit, non autem ex doctrinali, cum tamen doctrinale est verum, et sensitivum fallax: ab experientia plurium [13] nunc annorum paene continua, hoc scire datum est, ac ita scire, ut prorsus nullum dubium sit relictum.

4250. Et dimidiavit populum qui cum eo, et gregem, et armentum, et camelos in duo castra, quod significet praeparationem et dispositionem verorum et bonorum in naturali ad recipiendum bonum per Esavum repraesentatum, constat a significatione populi, quod sint vera, tum falsa, de qua n: 1259. 1260. 3581; ex significatione gregis, quod sint bona interiora, et quoque non bona; ex significatione armenti, quod sint bona exteriora, et quoque non bona, de quibus n: 2566. 4244; ex significatione camelorum, quod sint vera exteriora seu communia, ita quoque non vera, de qua n: 3048. 3071. 3143. 3145; et ex significatione castrorum, quod sit ordo, in bono sensu ordo genuinus, et in opposito ordo non genuinus, de qua n: 4236;

dimidiare, quod sit dividere in bina, et sic se disponere ad recipiendum, patet. Haec quomodo se habent, constare potest ab illis quae mox supra dicta sunt, nempe cum bonum influit, ut fit cum invertitur ordo, et bonum priorem locum sumit, quod tunc illustretur naturale, et inibi videatur quid genuinum verum et bonum, et quid non genuinum, quae quoque tunc discernuntur ab invicem, ita quod quaedam retineantur, quaedam autem removeantur, inde prorsus alius ordo fit, quam qui prius fuerat; bonum enim, cum dominatur, hoc secum habet, nam vera tunc non aliud sunt, quam ministri et servi, et disponuntur secundum ordinem coelestem propius et propius, secundum receptionem boni a veris, et quoque secundum qualitatem boni, nam bonum suum quale accepit a veris.

4251. Et dixit, si venerit Esau ad castra una, et percusserit illa, et erunt castra relicta ad evasionem, quod significet secundum omnem eventum, constat a significatione castrorum, quod sint ordo, ut mox supra; a significatione percutere, quod sit destruere; et a significatione erunt castra relicta ad evasionem, quod sit ne ordo in naturali periret, sed aliquid superesset; ita quod sit praeparatio et dispositio secundum omnem eventum: Naturale enim quamdiu ibi dominatur verum, non videre potest quid verum genuinum et non genuinum, nec quid bonum; at cum dominatur ibi bonum, quod est amoris in Dominum et charitatis erga proximum, tunc videt illud; inde est, cum instat illud tempus seu ille status, quando bonum dominium sumit, quod homo tunc paene in ignorantia sit quid bonum et verum, ita quid destruetur, et quid retinebitur, ut patet manifeste in tentationibus; cum homo in tali ignorantia est, tunc fit praeparatio et dispositio non ab homine sed a Domino, hic a Domino in Se Ipso, quia Dominus omnia in Se in Divinum ordinem ex propria potentia disposuit et redegit.

4252. Vers: 9. 10. 11. 12. *Et dixit Jacob, Deus patris mei Abrahami, et Deus patris mei Jischaki, Jehovah, dicens ad me, revertere ad terram tuam, et ad nativitatem tuam, et benefaciam tecum. Minor sum prae omnibus misericordiis, et prae omni veritate, quae fecisti cum servo tuo, quia in baculo meo transivi Jordanem hunc, et nunc sum in duo castra. Eripe me quaeso e manu fratris mei e manu Esavi, quia timeo ego*

eum, forte veniat, et percutiat me, matrem super filios. Et tu dixisti, benefaciendo benefaciam tibi, et ponam semen tuum sicut arenam maris, quae non numeratur prae multitudine. Dixit Jacob Deus patris mei Abrahami, et Deus patris mei Jischaki, Jehovah, significat sanctum praeparationis et dispositionis: dicens ad me, revertere ad terram tuam, et ad nativitatem tuam, et benefaciam tecum, significat ad conjunctionem cum Divino bono et vero: minor sum prae omnibus misericordiis et prae omni veritate, quae fecisti cum servo tuo, significat humiliationem in illo statu quoad bonum et quoad verum: quia in baculo meo transivi Jordanem hunc, et nunc sum in duo castra, significat quod ab exiguo multum: eripe me quaeso e manu fratris mei, e manu Esavi quia timeo ego eum, significat statum respective, quia priorem se fecit: forte veniat et percutiat me, matrem super filios, significat quod periturus: et Tu dixisti benefaciendo benefaciam tecum, significat quod usque tunc vitam adepturum: et ponam semen tuum sicut arenam maris, quae non numeratur prae multitudine, significat fructificationem et multiplicationem tunc.

4252[½]. Dixit, Deus patris mei Abrahami, et Deus patris mei Jischaki, Jehovah, quod significet sanctum praeparationis et dispositionis, constat a significatione Dei patris Abrahami, quod sit Ipsum Divinum Domini, de qua n: 3439; et a significatione Dei patris Jischaki, quod sit Divinum Humanum Ipsius, de qua n: 3704. 4180; et quia utrumque est Jehovah, dicitur Deus patris mei Abrahami, Deus patris mei Jischaki, Jehovah; hic autem significatur sanctum, quod procedit a Divino, nam omne sanctum est inde: quod sanctum significetur, est quia in naturali, quod repraesentatur per Jacob, in quo nondum Bonum, quod repraesentatur per Esavum, cum vero conjunctum fuit; agitur enim nunc de statu receptionis boni, hic de statu praeparationis et dispositionis ut reciperetur; supplicatio Jacobi non aliud involvit; quapropter significatur per illa verba sanctum praeparationis et dispositionis.

4253. Dicens ad me, revertere ad terram tuam, et ad nativitatem tuam, et benefaciam tecum, quod significet conjunctionem cum Divino Bono et Vero, constat ex illis, quae prius n: 4069. 4070, dicta sunt, ubi fere eadem verba.

4254. **Minor sum prae omnibus misericordiis, et prae omni veritate, quae fecisti cum servo tuo**, quod significet humiliationem in illo statu quoad bonum et quoad verum, constat ex praedicatione Misericordiae, quod sit de bono quod amoris, et ex praedicatione veritatis, quod sit de vero quod fidei, videatur n: 3122: quod humiliationis verba sint, patet; inde constare potest quod per illa significetur humiliatio in illo statu quoad bonum et quoad verum.

4255. **Quia in baculo meo transivi Jordanem hunc, et nunc sum in duo castra**, quod significet quod ab exiguo multum, constat a significatione baculi, quod sit potentia, et quod praedicetur de vero, de qua n: 4013. 4015; a significatione Jordanis, quod sit initiatio in cognitiones boni et veri, de qua sequitur; et a significatione duorum castrorum, quod sint bona et vera, ut supra n: 4250, nam duo castra hic sunt populus, grex, armentum, et cameli, quae dimidiavit; inde patet, quid per illa verba in sensu proximo significatur, quod nempe paucum veri ipsi esset, cum initiaretur in cognitiones, et quod dein multa vera et bona, seu quod idem, quod ab exiguo multum: ex illis quae hactenus explicata sunt, patet, quod actum sit in sensu interno de Domino, quomodo Ipse Humanum in Se Divinum fecit, et hoc successive, secundum ordinem; ita de progressu in intelligentiam et sapientiam, tandem in Divinam, inde patet, quid per ab exiguo ad multum, intelligitur. Quod Jordanes sit initiatio in cognitiones boni et veri, est inde, quia erat terminus terrae Canaanis, quod omnes termini illius terrae significaverint illa quae prima et ultima sunt Regni Domini, tum quae prima et ultima sunt Ecclesiae, ita quae prima et ultima sunt coelestium et spiritualium, quae Regnum Domini, et Ecclesiam Ipsius constituunt, videatur n: 1585. 1866. 4116. 4240; inde Jordanes, quia erat terminus, significabat initiationem in cognitiones boni et veri, nam hae sunt prima, et tandem, cum homo fit Ecclesia seu Regnum Domini, fiunt ultima. Quod Jordanes illa significet, etiam ab aliis locis in Verbo constare potest, ut apud Davidem „Deus mi, super me anima mea incurvat se, propterea recordabor tui *e terra Jordanis*, et Chermonim e monte exiguitatis,“ Psalm: XLII: 7; recordari e terra Jordanis, pro ex ultimo, ita ex humili. Apud Eundem „Fa-

chus est Jehudah in sanctuarium Ipsius, Israël dominia Ipsius, mare vidit et fugit, *Jordan avertit se retrorsum* " Psalm: CXIV: 2. 3. 5, Jehudah pro bono amoris coelestis, et Israël pro bono amoris spiritualis, n: 3654, mare pro cognitionibus veri, n: 28; Jordanes pro cognitionibus boni, quae dicuntur se vertere retrorsum, quando bonum amoris dominium obtinet, nam tunc cognitiones a bono illo spectantur, non autem bonum ab illis, secundum ea [14] quae saepius prius ostensa sunt. In Libro Judicum „ Gilead in *transitu Jordanis* habitans, et Dan cur timebit naves," V: 17, Gilead pro bono sensuali seu volupi, per quod primo initiatur homo cum regeneratur, n: 4117. 4124, in transitu Jordanis habitare, pro in illis quae initiamenta sunt, ita quae prima et ultima sunt Ecclesiae et Regni Domini. Haec *quoque* repraesentata sunt per Jordanem, cum intrarent filii Israëlis in terram Canaanem, Jos: III: 14 ad f. Cap: IV: 1 ad f; nam per terram Canaanem repraesentatum fuit Regnum Domini, n: 1413. 1437. 1607. 3038. 3481. 3705. 3686; et quod divisus esset Jordanes, et illi in sicco transirent, significata est remotio malorum et falsorum, ac admissio illorum qui in bonis et veris: similiter quod Jordanis aquae divisae sint ab Elia, cum ille sublatus est in coelum, II Reg: II: 8. et ab Elischa, cum is loco Eliae intraret munus propheticum, ibid: Vers: 14: Quod Naaman sanatus sit ex lepra, per quod lavisset se septem vicibus in Jordane, secundum mandatum Elischae, II Reg: V: 1 ad 14, repraesentabat Baptismum, nam Baptismus significat initiationem in Ecclesiam, et in illa quae sunt Ecclesiae, ita regenerationem et quae regenerationis sunt; non quod per baptismum aliquis regeneretur, sed quod signum ejus sit, cujus recordetur: et quia illa quae sunt Ecclesiae significantur per baptismum, ac simile per Jordanem, ut supra dictum, ideo in Jordane baptizati sunt a Johanne, Matth: III: 6. Marc: I: 5; et quoque Dominus ibi Se baptizari a Johanne voluit, Matth: III: 13 ad 17. Marc: I: 9. [15] Quia Jordanes significat illa, quae prima et ultima sunt Regni Domini et Ecclesiae, qualia sunt cognitiones boni et veri, nam per has introducitur homo, ideo etiam Jordanes memoratur ut terminus Terrae Novae seu Terrae sanctae, apud Ezechielem Cap: XLVII: 18; quod Terra Nova seu Terra Sancta sit Regnum Domini,

tum quoque Nova Ecclesia, quae est Regnum Domini in terris, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355 f.

4256. Eripe me quaeso e manu fratris mei, e manu Esavi, quia timeo ego eum, quod significet statum respective, quia priorem se fecit, constare potest, ab illis quae supra passim dicta sunt, imprimis ex illis, ubi agitur de Primogenitura, quam Jacobus sibi per pultem lentium comparavit, et ubi de benedictione, quam per astum Esavo ademit; quid per illa repraesentatum et significatum sit, ibi videatur, quod nempe verum primo loco sit apparenter cum regeneratur homo, et bonum secundo, at quod bonum primo loco sit actualiter ac verum secundo, et ita manifeste cum regeneratus est, de quibus n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4243. 4244. 4247; cum itaque invertitur ordo, et bonum priorem suum locum manifeste sumit, hoc est, cum dominari incipit super verum, tunc naturalis homo est in timore et angustia, n: 4249, et quoque intrat tentationes; causa est, quia cum verum primo loco fuit, hoc est, cum dominari sibi visum, tunc falsa se intermiscuerunt, verum enim ex se non videre potest num verum sit, sed videbit illud ex bono, et ubi falsa, ibi timor cum adventat bonum; omnes etiam qui in bono sunt, timere incipiunt quando falsa apparent in luce a bono, timent enim falsa, et volunt ut illa exstirpentur, sed non possunt si inhaerent, nisi per media Divina a Domino, inde est, quod regenerandi post timorem et angustiam etiam in tentationes veniant, tentationes enim sunt media Divina removendi illa; haec causa arcanissima est, quod homo, cum regeneratur, tentationes spirituales subeat; sed causa illa nullatenus apparet homini, quia est supra sphaeram ejus apperceptionis, sicut est omne quod conscientiam movet, lacessit, et cruciat.

4257. Forte veniat et percutiat me, matrem super filios, quod significet quod periturus, constare potest absque explicatione. Percutere matrem super filios fuit formula apud Antiquos qui in repraesentativis et significativis erant, significans destructionem Ecclesiae et omnium quae Ecclesiae sunt, vel in communi vel in particulari apud hominem qui est Ecclesia; per matrem enim intellexerunt Ecclesiam, n: 289. 2691. 2717, et per filios vera quae Ecclesiae sunt n: 489. 491. 533. 1147.

2623. 3373; inde percutere matrem super filios, est prorsus perire; etiam homo tunc prorsus perit, quando Ecclesia, et quod est Ecclesiae apud illum, perit, hoc est, quando affectio veri, quae proprie significatur per matrem, et quae facit Ecclesiam apud hominem, destruitur.

4258. Et Tu dixisti, benefaciendo benefaciam tecum, quod significet quod usque tunc vitam adepturum, constat ex significatione benefacere, quod sit vitam adipisci, per Jacobum enim repraesentatur verum, et verum a se non vitam habet, sed a bono quod in illud influit, ut supra multoties ostensum; inde est, quod benefacere hic significet vitam adipisci, de vita veri a bono etiam hic agitur.

4259. Et ponam semen tuum sicut arenam maris, quae non numeratur prae multitudine, quod significet fructificationem et multiplicationem tunc, constat ex significatione seminis, quod sit fides charitatis, et quoque ipsa charitas, de qua n: 1025. 1447. 1610. 2848. 3373; ponere illam sicut arenam maris, quae non numeratur prae multitudine, quod sit multiplicatio, patet; fructificatio praedicatur de bono, quod est charitatis, et multiplicatio de vero quod est fidei, n: 913. 983. 2846. 2847.

4260. Vers: 13. 14. 15. *Et pernoctavit ibi in nocte illa, et accepit de veniente in manum suam munus Esavo fratri suo. Capras ducentas, et capros viginti, oves ducentas et arietes viginti. Camelas lactantes et filios illarum triginta; juvencas quadraginta, et juvencos decem; asinas viginti, et pullos decem.* Pernoctavit in nocte illa, significat in statu illo obscuro: et accepit de veniente in manum suam munus Esavo fratri suo, significat Divina initianda bono coelesti naturali: capras ducentas, et capros viginti, oves ducentas, et arietes viginti, significat bona et inde vera Divina: camelas lactantes et filios illarum triginta, juvencas quadraginta, et juvencos decem, asinas viginti et pullos decem, significat servitia communia et specialia.

4261. Pernoctavit in nocte illa, quod significet in statu illo obscuro, constat ex significatione pernoctare tum noctis, quod sit status obscurus, de qua n: 1712. 3693.

4262. Et accepit de veniente in manum suam munus Esavo fratri suo, quod significet Divina initianda bono coelesti na-

turali, constat ex significatione accipere [de] veniente in manum, quod sit ex illis quae proviso obtigerunt, ita quae ex Divina Providentia, et quia illa quae Divinae Providentiae sunt, Divina sunt, ideo hic per accipere de veniente in manum suam, significantur Divina; ex significatione muneris, quod sit initiatio, de qua sequitur; et ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Naturale quoad bonum, de qua n: 3302. 3322. 3504. 3599, hic quoad bonum coeleste, quia Naturale nondum Divinum factum. Quod munus significet initiationem, est quia erat ad captandam benevolentiam et gratiam; munera enim quae dabantur et offerebantur, olim varia significabant, aliud quae dabant Regibus et Sacerdotibus cum illos adirent, et aliud quae offerebant super altari, illa significabant initiationem, haec autem cultum, n: 349, omnia enim sacrificia in communi cujuscunque generis dicebantur munera, at minchae quae erant panis et vinum, seu placentae cum libamine, in specie, nam mincha in Lingua originali significat munus. Quod munera darent Regibus et Sacerdotibus, cum illos adirent, constat ex pluribus locis in Verbo, ut cum Saul consuleret Samuelem, I Sam: IX: 7. 8: quod illi qui contemserunt Saulem, non offerrent ei munus, I Sam: X: 27: cum Regina Schebae ad Schelomonem veniret, I Reg: X: 2; et quoque reliqui, de quibus haec „Omnis terra quaerebat facies Schelomonis ad audiendum sapientiam illius, et illi offerentes quisque munus suum, vasa argenti, et vasa auri, et vestes et arma, et aromata, equos et mulos," I Reg: X: 24. 25, et quia id rituale sanctum fuit, significans initiationem, etiam sapientes ab oriente, qui venerunt ad Jesum recens natum, attulerunt munera, aurum, thus, et myrrham, Matth: II: 11, aurum significabat amorem coelestem, thus amorem spiritualem, myrrha illos amores in naturali. Quod rituale illud mandatum fuerit, constat apud Mosen „Facies Jehovae non videbuntur vacuae," Exod: XXIII: 15. [16] Deut: XVI: 16. 17, et quod munera quae data erant Sacerdotibus et Regibus, essent sicut Jehovae, constare potest ab aliis locis in Verbo. Quod munera quae mittebantur, significarent initiationem, patet a muneribus, quae duodecim Principes Israëlis mittebant ad initiandum altare, postquam unctum erat, Num: VII: 1 ad fin: ubi munera illorum vocantur initiatio, ibid: Vers: 88.

4263. Capras ducentas et capros viginti, oves ducentas et arietes viginti, quod significet bona et inde vera Divina, constat ex significatione caprarum et ovium, quod sint bona, de qua n: 3995. 4006. 4169; ex significatione caprorum et arietum, quod sint vera, de qua n: 4005. 4170, hic bona et vera Divina. Quod bona et vera toties nominentur, et per tot varia significentur, est quia omnia quae coeli sunt et quae Ecclesiae, se referunt ad illa, illa quae amoris et charitatis sunt ad bona, et illa quae fidei ad vera, sed usque sunt differentiae illorum quoad genera et quoad species, innumerabiles, imo indefinitae, ut constare potest ex eo, quod omnes qui [17] in bono sunt, in Regno Domini sint, et usque nulla societas ibi in simili bono est, ne quidem unus in societate in simili ac alter; unum enim idem bonum apud duos nusquam dari potest, minus apud plures, tunc enim unum et idem forent, non duo, minus plures; ex variis consistit omne unum, et hoc per coelestem harmoniam et concordiam.

4264. Camelas lactantes et filios illarum triginta, juvencas quadraginta, et juvencos decem, asinas viginti et pullos decem, quod significet servitia communia et specialia, constat ex significatione camelarum et filiorum illarum, tum juvencarum et juvencorum, ut et asinarum et pullorum illarum, quod sint illa quae sunt naturalis hominis, de quibus aliquoties prius, de Camelis n: 3048. 3071. 3143. 3145: de Juvencis [18] n: 1824. 1825. 2180. 2781. 2830: de Asinabus, n: 2781: quod illa quae sunt Naturalis hominis sint respective servitia, videatur n: 1486. 3019. 3020. 3167; inde est, quod per illa significentur servitia communia et specialia. Quod attinet numerum caprarum quod 200, caprorum quod 20, ovium quod 200, arietum quod 20, camelarum et filiorum earum quod 30, juvencarum quod 40, juvencorum quod 10, asinarum quod 20, et pullorum illarum quod 10, sunt arcana, quae absque multa explicatione et ampla deductione, aperiri nequeunt; omnes enim numeri in Verbo significant res, n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1988. 2075. 2252. 3252, et quid significant, ostensum est, ubi in praecedentibus occurrerunt: et quoque miratus sum quandoque, quod loquela angelorum, cum in mundum spirituum delapsa, etiam in varios numeros ceciderit; tum quod

ubi numeri in Verbo lecti sunt, ab Angelis intellectae sint res; numerus enim nusquam penetrat in coelum, nam numeri sunt mensurae et spatii, tum temporis, et haec sunt mundi et naturae; quibus in coelis correspondent status et statuum mutationes: Antiquissimi, qui coelestes homines fuerunt, et communicationem cum Angelis habuerunt, noverunt quid per singulos numeros, etiam per compositos, significaretur, inde significatio illorum derivata est ad posteros, et ad filios Antiquae Ecclesiae: haec sunt, quibus homo Ecclesiae hodie, qui nihil sanctius in Verbo credit reconditum esse, quam quod in litera apparet, fidem vix adhibeat.

4266. Vers: 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Et dedit in manum servorum suorum catervam [catervam] seorsim, et dixit ad servos suos, transite ante me, et spatium ponatis inter catervam et inter catervam. Et praecepit primo, dicendo, quod occurrerit tibi Esau frater meus, et interrogaverit te dicendo, cui tu, et quo vadis, et cui illa ante te. Et dices, servo tuo Jacobo, munus hoc missum domino meo Esavo; et ecce etiam is post nos. Et praecepit etiam secundo, etiam tertio, etiam omnibus euntibus post catervas, dicendo, secundum verbum hoc loquemini ad Esavum in inveniendo vos eum. Et dicetis etiam, ecce servus tuus Jacob post nos, quia dixit, expiabo facies ejus in munere eunte ante me, et postea videbo facies ejus, forte suscipiet facies meas. Et transivit munus ante eum, et is pernoctavit in nocte illa in castris. Et surrexit in nocte illa, et accepit binas foeminas suas, et binas ancillas suas, et undecim natos suos, et transivit transitum Jabbock. Et accepit illos, et transire fecit illos fluvium, et transire fecit quae sibi.* Dedit in manum servorum suorum catervam catervam seorsim, et dixit ad servos suos, transite ante me, et spatium ponatis inter catervam et inter catervam, significat ordinationem quomodo initiarentur: et praecepit primo, dicendo, quod occurrerit tibi Esau frater meus, et interrogaverit te, dicendo, cui tu, et quo vadis, et dices, servo tuo Jacobo, munus hoc missum domino meo Esavo, et ecce etiam is post nos, significat submissionem: et praecepit etiam secundo, etiam tertio, etiam omnibus euntibus post catervas, dicendo, secundum verbum hoc loquemini ad Esavum in inveniendo vos eum, significat continuum: et di-

cetis etiam, ecce servus tuus Jacob post nos, quia dixit, expiabo facies ejus, forte suscipiet facies meas, significat praeparationem ad sequentia: et transivit munus ante eum, significat effectum: et is pernoctavit in nocte illa in castris, significat quae sequuntur: et surrexit in nocte illa, et accepit binas foeminas suas, et binas ancillas suas, et undecim natos suos, et transivit transitum Jabbock, significat insinuationem primam affectionum veri cum veris acquisiti; transitus Jabbock, est insinuatio prima: et accepit illos, et transire fecit illos fluvium, et transire fecit, quae sibi, significat ulteriorem insinuationem.

4266. Dedit in manum servorum suorum catervam catervam seorsim, et dixit ad servos suos, transite ante me, et spatium ponatis inter catervam et inter catervam, quod significet ordinationem quomodo initiarentur, constat ex significatione dare in manum, quod sit instruere potentia, quod manus sit potentia, videatur n: 878. 3091. 3387. 3563; ex significatione servorum, quod sint illa quae sunt naturalis hominis, de qua n: 3019. 3020, omnia enim quae sunt naturalis seu externi hominis subordinata sunt spirituali seu interno homini, inde omnia quae ibi sunt respective servitia, et vocantur servi; ex significatione catervae, quod sint scientifica, tum cognitiones, ita doctrinalia, de qua n: 3767. 3768, haec quamdiu in naturali seu externo homine, hoc est, in ejus memoria sunt, et nondum implantata spirituali seu interno homini, significantur per catervas datas in manum servorum; ex significatione seorsim, quod sit unicuique secundum classes, aut secundum genera et species; ex significatione transire ante me, et spatium ponere inter catervam et catervam, quod sit praeparare viam ad bonum quod reciperetur, nam de receptione boni a vero, et de conjunctione eorum in naturali homine hic agitur: ex singulis his patet, quod per omnia illa in communi significetur ordinatio quomodo initiarentur. Quod initiationem veri in bonum in naturali homine attinet, illa nullatenus ad captum exponi potest, homo enim Ecclesiae hodie, ne quidem novit quid Internus seu Spiritualis homo est, tametsi de illo saepius loquitur, nec novit quod verum initiandum sit bono in Externo seu Naturali homine, ut fiat homo Ecclesiae; minus quod aliqua ordinatio a Domino sit in illo homine, ut fiat conjunctio ejus cum Interno;

haec quae communissima sunt, hodie ita latent, ut non sciatur quod sint; quapropter si singula exponerentur, quae hic in sensu interno de ordinatione et initiatione continentur, foret mera arcana loqui, ita mere incredibilia, consequenter foret in vanum, aut sicut in aquam aut arenam sementem mittere; haec causa est, quod singularia praetereantur, et hic, ut quoque in sequentibus hujus periodi, solum communia exponantur.

4267. Et praecepit primo, dicendo, quod occurrerit tibi Esau frater meus, et interrogaverit te, dicendo, cui tu, et quo vadis, et cui illa ante te, et dices, servo tuo Jacobo, munus hoc missum domino meo Esavo, et ecce etiam is post nos, quod significet submissionem, constat pariter a sensu interno singulorum verborum, ex quo communis hic sensus resultat; quod submissio sit, et quod illa quae submissionis significentur, patet; praecepit enim servis, ut fratrem suum vocarent dominum, et se servum, et quod munus sicut domino a servo mittatur: quod bonum sit respective dominus, et verum respective servus, et quoque quod usque dicantur fratres, multoties ostensum est; fratres dicuntur, quia cum conjuncta sunt bonum et verum, quod tunc bonum sistatur in vero, ut in imagine, et quod dein conjunctim agant ad producendum effectum; bonum autem dominus dicitur et verum servus, antequam conjuncta sunt, et magis cum disceptatur de prioritate.

4268. Et praecepit etiam secundo, etiam tertio, etiam omnibus euntibus post catervas, dicendo, secundum verbum hoc loquemini ad Esavum, in inveniendo vos eum, quod significet continuum, nempe ordinationis et submissionis, constat absque ulteriore explicatione ex illis, quae mox supra n: 4266. 4267, dicta sunt.

4269. Et dicetis etiam, ecce servus tuus Jacob post nos, quia dixit, expiabo facies ejus in munere eunte ante me, et postea videbo facies ejus, forte suscipiet facies meas, quod significet praeparationem ad sequentia; et transivit munus ante eum, quod significet effectum; tum, pernoctavit in nocte illa in castris, quod significet illa quae sequuntur, constare potest ex singulis verbis in sensu interno, quae quod sint praeparationis ut benigne recipiatur, patet. Sed singula quomodo se habent, non explicari possunt ad captum, nam quamdiu commu-

nia non nota sunt, singularia ejusdem rei non possunt in aliquam lucem, sed in meram umbram, cadere; communes notiones praecedent, quae nisi sunt, singularia non habent aliquod hospitium, quo intrent, in hospitio, ubi mera umbra, non apparent, et in hospitio ubi falsa, vel rejiciuntur, vel suffocantur, vel pervertuntur, ac ubi mala, ibi irridentur; satis est, ut recipiantur haec communia, quod nempe regenerandus sit homo, antequam intrare possit in Regnum Domini, Joh: III: 3; quod priusquam regeneratur, verum primo loco apparenter sit, et bonum secundo, at cum regeneratur, quod invertatur ordo, et bonum primo loco sit, et verum secundo; tum quando invertitur ordo, quod Dominus disponat et ordinet ita in Naturali seu Externo homine, ut verum ibi a bono recipiatur, et ut verum se submittat bono, ita ut homo non amplius ex vero agat sed ex bono, hoc est, ex charitate; tum quod ex charitate agat, cum vivit secundum vera fidei, ac doctrinam amat propter vitam; Processus illarum rerum, quae de ordinatione, initiatione et submissione veri coram bono, in sensu interno hic continentur, coram Angelis in clara luce apparet, nam talia sunt sapientiae angelicae, tametsi homo nihil illarum rerum videt; at usque qui in simplici bono sunt ex simplici fide, illi in facultate sunt sciendi illa, si non capiunt illa in vita corporis, ob curas mundanas, et crassas inde ideas, usque in altera vita, ubi mundana et corporea remota sunt, nam tunc illustrantur, ac in intelligentiam et sapientiam angelicam veniunt.

4270. Et surrexit in nocte illa, et accepit binas foeminas suas, et binas ancillas suas, et undecim natos suos, et transivit transitum Jabbock, quod significet insinuationem primam affectionum veri cum veris acquisitis, constat ex significatione binarum foeminarum, hic Rachelis et Leae, quod sint affectiones veri, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; a significatione binarum ancillarum, hic Bilhae et Silpae, quod sint affectiones veri exteriores inservientes pro mediis, de qua n: 3849. 3931; ex significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; et ex significatione transitus Jabbock, quod sit insinuatio prima. Quod Jabbock sit insinuatio prima, est quia terminus erat terrae Canaanis; quod omnes termini illius terrae significativi fuerint coelestium

et spiritualium Regni Domini secundum distantiam et situm, videatur n: 1585. 1866. 4116. 4240, ita quoque vadum seu transitus Jabbock, quod erat respective ad terram Canaanem trans Jordanem, et fuit terminus haereditatis filiorum Rubenis et Gadis, ut constare potest ex Num: XXI: 24. Deut: II: 36. 37. Cap: III: 16. 17. Jos: XII: 2. Jud: XI: 13. 22; quod cesserit illis in haereditatem, erat, quia per Rubenem repraesentata fuit fides intellectu seu doctrina, quae primum est regenerationis, aut in complexu verum doctrinae per quod ad bonum vitae pervenitur, videatur n: 3861. 3866; et per Gadem repraesentata sunt opera fidei, n: 3934, haec nempe vera fidei seu doctrinalia, et opera fidei quae primum exercentur, sunt per quae homo qui regeneratur in bonum insinuatur; inde est, quod per transitum Jabbock significetur insinuatio prima.

4271. Et accepit illos, et transire fecit illos fluvium, et transire fecit quae sibi, quod significet ulteriorem insinuationem, constat ex illis quae mox supra dicta sunt, transire enim fecit non solum foeminas, ancillas et natos, sed etiam armentum et gregem, ita omnia quae erant sibi, in terram Canaanem, in qua occurrebat Esavo; et quia agitur in sensu interno de conjunctione veri cum bono in Naturali, per transire fluvium illum non aliud significatur, quam insinuatio prima, et hic ubi adhuc eadem dicuntur, et quoque additur, quod transire fecerit omnia quae sibi, significatur insinuatio ulterior.

* * * *

4272. Vers: 24. 25. *Et remansit Jacob solus is, et luctatus vir cum eo, usque ascendere auroram. Et vidit quod non praevaleret ei, et tetigit volam femoris ejus, et luxata vola femoris Jacobi in luctando illo cum eo.* Remansit Jacob solus, significat bonum veri comparatum, quod tunc ultimum: et luctatus vir cum eo, significat tentationem quoad verum: usque ascendere auroram, significat ante conjunctionem boni naturalis per Jacobum significati cum coelesti spirituali seu bono Divino veri: et vidit quod non praevaleret ei, significat quod in tentationibus vinceret: et tetigit volam femoris ejus, significat ubi bonum coeleste spirituale conjungitur cum bono naturali

per Jacobum significato: et luxata vola femoris Jacobi in luctando illo cum eo, significat quod nondum potentia veri bono conjungendi se prorsus.

Spectant etiam eadem ipsum Jacobum et ejus posteros, et tunc significatur quale illorum, in hoc sensu per quod tetigit volam femoris ejus, significatur ubi amor conjugialis conjungitur bono naturali: et per quod luxata vola femoris Jacobi in luctando illo cum eo, significatur quod prorsus illa conjunctio in Jacobi posteris laesa et emota.

4273. Remansit Jacob solus, quod significet bonum veri comparatum, quod tunc ultimum, constat a repraesentatione Jacobi hic, quod sit bonum veri: quid Jacob repraesentaverat, in praecedentibus ostensum est, tum quod varia in naturali, quia status veri et boni est alius in principio, alius in progressu, et alius in fine, n: 3775. 4234, hic bonum veri: causa hujus repraesentationis est, quia [19] agitur mox de luctatione ejus, per quam in sensu interno significatur tentatio; et quia nominatus Israël, per quem repraesentatur coelestis spiritualis homo; tum in dein sequentibus quia agitur de conjunctione illius cum Esavo, per quam conjunctionem significatur initiatio veri in bonum; hae causae sunt, quod Jacob nunc repraesentet bonum veri ultimum in naturali.

4274. Et luctatus vir cum eo, quod significet tentationem quoad verum, constat ex significatione luctari, quod sit tentatio, ipsa tentatio non aliud est quam lucta seu pugna, impugnatur enim verum a spiritibus malis, et defenditur ab Angelis, qui apud hominem, apperceptio illius pugnae in homine est tentatio, n: 741. 757. 761. 1661. 3927. 4249. 4256: sed non existere potest aliqua tentatio, nisi homo sit in bono veri, hoc est, in amore seu affectione ejus, qui enim verum suum non amat, aut illo afficitur, id nihil curat; at qui id amat, in anxietate est, ne illud laedatur; nihil aliud facit vitam intellectualem hominis, quam quod credit esse verum, et vitam ejus voluntariam, quam quod sibi impresserat esse bonum, quapropter cum impugnatur id quod credit esse verum, impugnatur vita ejus intellectus, et cum impugnatur id quod sibi impresserat esse bonum, impugnatur vita ejus voluntatis, idcirco cum tentatur homo, agitur de vita ejus. Quod primum pugnae sit

quoad verum, seu de vero, est quia id principaliter amat, quod amoris alicujus est, hoc aggrediuntur mali spiritus, at postquam bonum amat prae vero, quod fit cum invertitur ordo, tunc tentatur quoad bonum. Sed quid Tentatio, pauci sciunt, quia pauci hodie aliquam tentationem subeunt; non enim alii tentari possunt, quam qui in bono fidei, hoc est, in charitate erga proximum sunt, qui non in charitate illa sunt, si tentarentur, illico succumberent, et qui succumbunt, in confirmationem mali et in persuasionem falsi veniunt, vincunt enim tunc apud illos mali spiritus, quibus sic associantur; haec causa est, quod pauci hodie admittantur in tentationem aliquam spiritualem, sed solum in aliquas anxietates naturales, ut retrahantur per illas ab amoribus sui et mundi, in quos effraene alioquin ruerent.

4275. Usque ascendere auroram, quod significet ante conjunctionem boni naturalis per Jacobum significati cum coelesti spirituali seu bono Divino veri, constat ex significatione aurorae, quod sit in supremo sensu Dominus, in sensu repraesentativo Regnum Ipsius, et in sensu universali coeleste amoris, de qua n: 2405, hic coeleste spirituale; cum enim ascendit aurora, tunc Jacob nominatus est Israël, per quem significatur coelestis spiritualis homo, quapropter ante ascensum aurorae est ante conjunctionem boni naturalis per Jacobum nunc significati cum coelesti spirituali: quid coeleste spirituale, dicetur ad Vers: seq: 28, ubi de Israële agitur.

4276. Et vidit quod non praevaleret ei, quod significet quod in tentationibus vinceret, constat absque explicatione.

4277. Et tetigit volam femoris ejus, quod significet ubi bonum coeleste spirituale conjungitur cum bono naturali per Jacobum significato, constat ex significatione femoris, quod sit amor conjugialis, et inde omnis amor coelestis et spiritualis, quia hi ab amore conjugiali, ut proles a suo parente, derivantur, de qua n: 3021; et a significatione volae seu acetabuli, aut cavi illius, nempe femoris, quod sit ubi conjunctio, hic itaque ubi boni coelestis spiritualis cum bono naturali per Jacobum significato; sed de conjunctione illa nihil dici potest, nisi prius sciatur quid bonum coeleste spirituale, quod est Israël, et quid bonum naturale, quod est Jacob; in sequentibus ad Vers:

28, ubi de Jacobo tunc Israël nominato agitur, dicetur, et quoque postea, ubi de Jacobi posteris.

4278. Et luxata vola femoris Jacobi in luctando illo cum eo, quod significet quod nondum potentia veri bono conjungendi se prorsus, constat ex significatione luxari, quod sit quod nondum vera in illum ordinem disposita sint, ut omnia simul cum bono intrare possent bonum coeleste spirituale, de qua in explicatione ad Vers: seq: 31; proinde quod non potentia veri bono se conjungendi prorsus; vola enim femoris est ubi conjunguntur bona, ut mox supra n: 4277, dictum.

4279. Haec, quae hactenus explicata sunt, ita se habent in sensu supremo et in sensu interno, sed in sensu inferiori aliter, in hoc sensu agitur de Jacobo qualis fuit, et de ejus posteris *quales* erunt. Verbum, quia est ex Domino, ac ab Ipso descendit per coelum ad hominem, ideo tale est, ut quoad singula sit Divinum, et sicut descenderat a Domino, ita ascendat, hoc est, elevetur ad Ipsum, et hoc per coelos: quod tres Coeli sint, notum est, et quod intimum coelum vocetur Tertium coelum, et quod medium coelum appelletur Secundum Coelum, et quod infimum dicatur Primum coelum, quare Verbum cum ascendit sicut descendit, in Domino est Divinum, in Tertio Coelo est Coeleste, nam illud [20] coelum est coeleste coelum; in Secundo coelo est spirituale, nam illud coelum est spirituale coelum, in Primo autem Coelo est coeleste et spirituale naturale, ac idem coelum ita quoque nuncupatur; in Ecclesia autem apud hominem est Verbum quoad sensum literae Naturale, hoc est, mundanum et terrestre; inde patet, quale Verbum est, et quomodo se cum Verbo habet cum legitur ab homine qui in sancto, hoc est, in bono et vero est, tunc enim apud illum apparet id ut mundanum, aut ut historicum, in quo tamen sanctum, at in primo coelo apparet ut coeleste et spirituale naturale, in quo tamen Divinum; in secundo autem coelo est spirituale; et in tertio coelo est coeleste; ac in Domino est Divinum: Verbi sensus secundum coelos se habet, sensus Verbi supremus, in quo agitur de Domino, est pro intimo seu tertio coelo; sensus ejus internus, in quo agitur de Regno Domini, est pro medio seu secundo coelo; Sensus autem Verbi inferior, in quo determinatur sensus internus ad illam gentem, quae ibi nominatur, est

pro infimo seu primo coelo; at sensus infimus seu literalis est pro homine, dum adhuc vivit in mundo; qui tamen usque talis est, ut ei communicari possit sensus interior, tum quoque internus et supremus, nam homo communicat cum tribus coelis, est enim homo ad imaginem trium coelorum creatus, usque adeo, ut dum in amore in Dominum, et in charitate erga proximum vivit, sit coelum in exigua forma; inde est, quod intra hominem illum sit Regnum Domini, quemadmodum Ipse Dominus docet apud Lucam „*Ecce Regnum Dei intra vos est,*" XVII: 21. Haec dicta sunt, ut sciatur, quod in Verbo non solum sit sensus supremus, ac sensus internus, sed etiam sensus inferior, et quod in hoc, nempe in sensu inferiore, determinetur sensus internus ad illam gentem quae ibi nominatur; quod quando fit, apparet manifeste ex serie rerum; quod hic luctatio viri cum Jacobo, et femoris ejus luxatio et emotio, etiam praedicetur de Jacobo et ejus posteris, patet: quapropter licet eadem haec secundum illum sensum explicare. Hic Sensus in sequentibus appellabitur Sensus Internus Historicus, et hoc quoque ex causa, quia repraesentari solet ille quandoque ad vivum et in forma in Primo Coelo, quod etiam aliquoties mihi videre datum est. Videatur expositio praemissa n: 4272, in nova periodo.

4280. Quod in illo sensu, per quod tetigit volam femoris Jacobi, significetur ubi amor conjugialis conjungitur bono naturali, constat a significatione volae femoris, quod sit ubi conjunctio amoris conjugialis, videatur supra n: 4277; quod conjunctio ibi cum bono naturali significetur, est quia ibi femur conjungitur pedibus, pedes in sensu interno significant bonum naturale, quod pedes illud significent, videatur n: 2162. 3147. 3761. 3986. Quod femur sit amor conjugialis, et pedes bonum naturale, est inter res quae antiquatae et deperditae sunt; antiqua Ecclesia, quae in repraesentativis et significativis fuit, haec optime novit; talium notitia erat eorum intelligentia et sapientia; imo non solum eorum qui ab Ecclesia, sed etiam illorum qui extra Ecclesiam, ut constare potest a vetustissimis Libris Gentilium, ac ab illis quae hodie vocantur fabulosa; significativa enim et repraesentativa ab Ecclesia Antiqua ad illos derivata sunt; apud hos quoque femora et lumbi significarunt con-

jugiale, et pedes naturalia: quod femora et pedes illa significent, est ex correspondentiis omnium membrorum, organorum et viscerum hominis, cum Maximo Homine, de quibus, nempe correspondentiis, ad finem Capitum nunc agitur; de correspondentiis cum femore et cum pedibus etiam in sequentibus dicetur, et ibi per experientiam vivam confirmabitur, quod illa sit significatio illorum. Haec non possunt quin paradoxa appareant hodie, quia, ut dictum, scientia illa prorsus antiquata et deperdita est; sed usque quantum illa scientia praestat scientiis aliis, constare potest ex eo, quod Verbum quoad sensum internum absque illa nusquam possit sciri; et quia angeli, qui apud hominem secundum illum sensum percipiant Verbum; tum quod per illam scientiam Communicatio detur homini cum coelo; et *quod incredibile*, ipse internus homo non aliter cogitat, cum enim externus capit Verbum secundum literam, tunc ille secundum sensum internum, tametsi homo, cum vivit in corpore, id nescit; hoc imprimis ex eo constare potest, quod homo, cum in alteram vitam venit ac fit angelus, absque instructione quasi ex se id sciat. Quid amor conjugialis, qui significatur per femora, tum per lumbos, videatur n: 995. 1123. [21] 2727 ad 2759; et quod amor conjugialis sit fundamentalis omnium amorum, n: 686. 3021; inde est, quod qui in amore genuino conjugiali *sunt*, etiam sint in amore coelesti, hoc est, in amore in Dominum, ac in amore spirituali, hoc est, in charitate erga proximum; quapropter per amorem conjugialem non solum intelligitur ipse ille amor, sed etiam omnis amor coelestis et spiritualis: hi amores dicuntur conjungi cum bono naturali, quando Internus homo cum Externo, seu Spiritualis homo cum Naturali; conjunctio illa est, quae significatur per volam femoris. Quod apud Jacobum et ejus posteros in communi nulla conjunctio fuerit, patebit a sequentibus, nam de illa re in sensu interno historico hic agitur.

4281. Per quod luxata vola femoris Jacobi in luctando illo cum eo, significetur quod prorsus illa conjunctio in Jacobi posteris laesa et emota, constare potest a significatione luxari in *illo sensu*, quod sit emoveri, et sic laedi; quod vola femoris sit conjunctio, ex illis quae supra n: 4280, dicta sunt, patet; et quod Jacob in Verbo, non solum sit Jacob, sed etiam omnes

ejus posteri, constat ex quam plurimis locis, ut Num: XXIII: 7. 10. 21. 23. Cap: XXIV: 5. 17. 19. Deut: XXXIII: 10. Esai: XL: 27. Cap: XLIII: 1. 22. Cap: XLIV: 1. 2. 21. Cap: XLVIII: 12. Cap: LIX: 20. Jerem: X: 16. 25. Cap: XXX: 7. 10. 18. Cap: XXXI: 7. 11. Cap: XLVI: 27. 28. Hos: X: 11. Amos: VII: 2. [22] Mich: II: 12. Cap: III: 8. Psalm: XIV: 7. Ps: XXIV: 6. Ps: LIX: 14. Ps: LXXVIII: 5. Ps: XCIX: 4; et alibi. Quod Jacob et ejus posteri tales fuerint, ut apud illos amor coelestis ac spiritualis cum bono naturali non conjungi potuerit, hoc est, homo internus seu spiritualis cum externo seu naturali, patet a singulis quae de gente illa in Verbo relata sunt; non enim sciverunt, nec scire volebant, quid internus seu spiritualis homo, quapropter nec illis revelatum id fuit; crediderunt enim quod nihil apud hominem daretur quam externum et naturale; in omni illorum cultu nec aliud spectabant, usque adeo ut cultus Divinus illis non fuerit aliter quam idololatricus, nam cum internus cultus ab externo separatur, non est nisi idololatricus: Ecclesia, quae apud illos instituta fuit, non fuit Ecclesia, sed modo repraesentativum Ecclesiae, quare Ecclesia illa appellatur Ecclesia repraesentativa; quod repraesentativum Ecclesiae dari possit apud tales, videatur n: 1361. 3670. 4208; in repraesentationibus enim non reflectitur super personam, sed super rem quae repraesentatur; quapropter non solum personae repraesentarunt Divina, coelestia et spiritualia, sed etiam res inanimatae, sicut Aharonis vestes, arca, altare, boves et oves quae sacrificabantur, candelabrum cum lucernis, panis dispositionis super mensa aurea, oleum quo ungebantur, thura, ac similia alia; inde erat, quod Reges aeque mali quam boni repraesentarent Regium Domini, et summi Sacerdotes aeque mali quam boni illa quae Divini Sacerdotii Domini sunt, quando functi sunt munere suo in externa forma secundum statuta et praecepta: ut itaque apud illos repraesentativum Ecclesiae existeret, data illis erant [23] talia statuta et tales leges per manifestam revelationem, quae prorsus repraesentativae essent, quapropter quamdiu in illis erant, et illas stricte observabant, tamdiu repraesentare potuerunt; at quando deflexerunt ab illis, ut ad statuta et leges aliarum gentium, et imprimis ad cultum alius Dei, tunc privabant se facultate repraesentandi, idcirco

per media externa, quae erant captivitates, clades, minae, miracula, adigebantur ad leges et ad statuta vere repraesentativa, non autem per media interna, prout illi qui cultum internum habent in externo. Haec significantur per quod luxata vola femoris Jacobi in sensu interno historico, qui spectat Jacobum et ejus posteros.

4282. Vers: 26. 27. 28. *Et dixit, mitte me, quia ascendit aurora, et dixit, non mittam te quin benedixeris mihi. Et dixit ad eum, quid nomen tuum, et dixit, Jacob. Et dixit, non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël, quia ut princeps contendisti cum Deo, et cum hominibus, et praevaluisti.* Dixit, mitte me, quia ascendit aurora, significat quod tentatio desiit, cum conjunctio adesset: et dixit, non mittam te, quin benedixeris mihi, significat quod conjungendum: et dixit ad eum, quid nomen tuum, et dixit, Jacob, significat quale boni a vero: et dixit, non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël, significat Divinum coeleste spirituale nunc, est Israël coelestis spiritualis homo qui in naturali, ita naturalis, ipse coelestis spiritualis homo qui rationalis, est Josephus: quia ut princeps contendisti cum Deo et cum hominibus, et praevaluisti, significat continuas victorias in pugnis quoad vera et bona.

In *sensu interno historico*, in quo agitur de Jacobo et ejus posteris, per eadem significantur haec; per quod mitte me quia ascendit aurora, significatur repraesentativum, antequam venirent in terrae Canaanis repraesentativa, quod a Jacobi posteris discederet: per et dixit, non mittam te, quin benedixeris mihi, significatur quod instarent ut essent repraesentativi: per et dixit ad eum, quid nomen tuum, et dixit, Jacob, significatur quod essent posteri Jacobi cum quali eorum: per et dixit, non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël, significatur, quod non repraesentare possent ut Jacob, sed ut ex novo dato quali: per quia ut princeps contendisti cum Deo et cum hominibus, et praevaluisti, significatur ob contumaciam quae eorum cupiditatibus et phantasiis.

4283. Dixit, mitte me, quia ascendit aurora, quod significet quod tentatio desiit cum conjunctio adesset, constat ex significatione mittere me, nempe a luctando mecum, quod sit

quod tentatio desiit, quod luctatio sit tentatio, videatur supra n: 4274, et quod illa desiit, patet a sequentibus; et ex significatione aurorae, quod sit conjunctio boni naturalis per Jacobum significati cum coelesti spirituali seu bono Divino veri, de qua etiam supra n: 4275. Quod luctatio, antequam aurora ascendit, incepta sit, et quod postquam ascendit, finita sit, et dein quod memoretur quid factum cum exortus est sol, est quia tempora diei, sicut tempora anni, significant status n: 487. 488. 493. 893. 2788. 3785, hic, status conjunctionis per tentationes; cum enim conjunctio fit Interni hominis cum Externo, tunc est ei aurora, nam tunc intrat statum spiritualem seu coelestem; etiam tunc ei lux sicut aurorae apparet, si in tali statu sit ut illam appercipere possit; alioquin ejus Intellectuale illuminatur, ac fit ei sicut cum expergiscitur a somno tempore matutino cum aurora primum illustrat et inchoat diem.

4284. Et dixit, non mittam te, quin benedixeris mihi, quod significet quod conjungendum, constat a significatione non mittere te, quod sit quod non desineret, de qua mox supra n: 4283; et a significatione benedicere, quod sit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3584; inde patet, quod per non mittam te, quin benedixeris mihi, significetur quod non prius desineret, quam cum facta conjunctio, hoc est, quod conjungendum.

4285. Et dixit ad eum, quid nomen tuum, et dixit, Jacob, quod significet quale boni a vero, constat ex significatione nominis, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit bonum veri, de qua supra n: 4273.

4286. Et dixit, non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël, quod significet Divinum coeleste spirituale nunc, et quod Israël sit coelestis spiritualis homo qui in naturali, ita naturalis, ipse coelestis homo qui rationalis est Josephus, constare potest ex illis quae de Jacobo et de Israële, et quoque de Josepho, sequuntur, prius enim dicendum quid hic coeleste spirituale: hodie quidem in Ecclesia notum est, quod sit spiritualis homo et quod naturalis, seu quod sit internus homo et externus, sed quid spiritualis seu internus homo, nondum ita scitur, minus quid coelestis homo, et quod is distinctus sit a spi-

rituali; et quia hoc non scitur, non sciri potest quid coelestis spiritualis homo, qui hic est Israël, quapropter paucis dicendum: quod tres Coeli sint, notum est, nempe Coelum intimum, medium, et ultimum, seu quod idem, Tertium, Secundum, et Primum; Coelum intimum seu tertium est coeleste, angeli enim ibi vocantur coelestes, nam in amore in Dominum sunt, ac inde conjunctissimi Domino, et quia ita, in sapientia sunt prae omnibus reliquis, sunt innocentes, ac inde vocantur Innocentiae et Sapientiae, distinguuntur Angeli illi in internos et externos, interni sunt magis coelestes quam externi: Coelum medium seu secundum est spirituale, angeli enim ibi vocantur spirituales, quia in charitate erga proximum sunt, hoc est, in amore mutuo, qui talis est, ut unus alterum amet plus quam se, et quia tales, in intelligentia sunt, ac inde vocantur Intelligentiae, hi quoque Angeli distinguuntur in internos et externos, interni sunt magis spirituales quam externi: Coelum autem ultimum seu primum, est quoque coeleste et spirituale, sed non in eo gradu, ac priores, naturale enim illis adhaeret, quapropter vocantur coelestes et spirituales naturales, sunt quoque in amore mutuo, sed non amant alios plus quam se, sed sicut se, sunt in affectione boni et in cognitione veri, distinguuntur etiam hi in internos et externos. Quid autem coeleste spirituale, etiam paucis dicetur; coelestes spirituales vocantur illi qui mox supra Spirituales dicti sunt, ac in medio seu secundo coelo sunt, coelestes nuncupantur ex amore mutuo, ac spirituales ex intelligentia inde; interni ibi sunt qui repraesentantur per Josephum, et quoque in Verbo vocantur Josephus, externi autem ibi sunt qui repraesentantur per Israëlem, et quoque in Verbo vocantur Israël; illi nempe interni qui vocantur Josephus, participant ex rationali, externi autem, qui vocantur Israël, participant ex naturali, nam sunt medii inter rationale et naturale; inde est, quod dictum, quod Israël sit coelestis spiritualis homo qui in naturali, ita naturalis, et quod Josephus sit ipse coelestis spiritualis homo qui rationalis; in universali enim sensu omne bonum quod est amoris et charitatis, vocatur coeleste, et omne verum, quod inde est fidei et intelligentiae, dicitur spirituale. Haec dicta sunt, ut sciatur quid Israël; sed Israël in supremo sensu significat Dominum quoad Divinum coeleste spirituale; in

interno autem sensu significat Regnum Domini spirituale in coelo et in terra, Regnum Domini spirituale in terra est Ecclesia, quae Ecclesia spiritualis vocatur; et quia Israël est Regnum Domini spirituale, est quoque Israël homo spiritualis, nam in unoquovis homine tali est Regnum Domini, homo enim in minima forma est coelum, et quoque est Ecclesia, n: 4279. Quod Jacobum attinet, repraesentatur per illum in supremo sensu Dominus quoad naturale tam coeleste quam spirituale, et in sensu interno Regnum Domini quale est in ultimo seu primo coelo, proinde etiam illud Ecclesiae, bonum in naturali est quod hic coeleste vocatur, et verum ibi quod spirituale. Ex his constare potest, quid per Israëlem et per Jacobum in Verbo significatur, et quoque cur Jacobus nominatus est Israël. Sed haec, quae dicta sunt, non possunt quin obscura appareant, ex causa imprimis, quia paucis notum est, quid spiritualis homo, et vix ulli quid coelestis, proinde quod inter spiritualem et coelestem hominem sit aliqua distinctio; causa, quod id non notum sit, est quia non distincte percipitur bonum quod est amoris et charitatis, ac verum quod est fidei; quod haec non percipiantur, est quia genuina charitas non amplius est, ubi aliquid non est, ibi nec datur perceptio ejus; tum quia homo parum sollicitus est de illis quae sunt vitae post mortem, ita de illis quae sunt coeli, sed plurimum de illis quae sunt vitae in corpore, ita de illis quae sunt mundi; si homo sollicitus foret de illis quae sunt vitae post mortem, ita de illis quae sunt coeli, tunc facile omnia illa, quae supra dicta sunt, caperet, nam quod amat homo, hoc facile haurit et capit, at aegre quod non amat. Quod aliud Jacob significet, et aliud Israël, patet manifeste ex Verbo, nam in Historicis ejus, ut quoque in Propheticis, nunc dicitur Jacob, nunc Israël, et quandoque uterque in uno versu; exinde constare potest, quod sensus internus Verbi sit, et quod absque illo sensu nullatenus id sciri possit: quod Jacob nunc dicatur Jacob nunc Israël, constat ab his sequentibus „ Habitavit *Jacob* in terra peregrinationum patris sui: hae nativitates *Jacobi;* Joseph filius septendecim annorum, et *Israël* amabat Josephum prae omnibus filiis suis," Genes: XXXVII: 1. 2. 3, ubi Jacob primum vocatur Jacob, et mox Israël, et tunc Israël cum agitur de Josepho: alibi „ Vidit *Jacob*, quod esset frumentum in

Aegypto, dixit *Jacob* filiis suis: et venerunt filii *Israëlis* ad emendum in medio venientium," Genes: XLII: 1. 5: et postea „Ascenderunt ex Aegypto, et venerunt terram Canaan ad *Jacobum* patrem suum: cum dicerent ad eum omnia verba Josephi, quae loquutus est ad illos, revixit spiritus *Jacobi* patris illorum; et dixit *Israël*, multum, adhuc Josephus filius meus vivus," Genes: XLV: 26. 27. 28: amplius „Et profectus est *Israël*, et omne quod ei, dixit Deus *Israëli* in visionibus noctis, et dixit, *Jacob*, *Jacob*, qui dixit, ecce me. Surrexit *Jacob* ex Beerschebah, et deportarunt filii *Israëlis Jacobum* patrem suum," Genes: XLVI: 1. 2. 5; et in eodem Capite „Haec nomina filiorum *Israëlis* venientium in Aegyptum, *Jacobi* et filiorum ejus," Genes: XLVI: 8: porro „Introduxit Joseph *Jacobum* patrem suum, et statuit eum ante Pharaonem: Pharao dixit ad *Jacobum*, et dixit *Jacob* Pharaoni," Genes: XLVII: 7. 8. 9. 10; et in eodem Capite „Et habitavit *Israël* in terra Goschen; et vixit *Jacob* in terra Aegypti septendecim annis: et appropinquarunt dies *Israëlis* ad moriendum, vocavit filium suum Josephum," Vers: 27. 28. 29: adhuc „Et nuntiatum *Jacobo*, et dixit, ecce filius tuus Josephus venit ad te, et confirmavit se *Israël*, et sedit super lecto, et dixit *Jacob* ad Josephum, Deus Schaddai apparuit mihi in Lus" Genes: XLVIII: 2. 3; ac *Israël* nominatur in eodem Capite, Vers: 8. 10. 11. 13. 14. 20. 21: et tandem „Vocavit *Jacob* filios suos, et dixit, congregamini, et audite filii *Jacobi*, et audite ad *Israëlem* patrem vestrum. Et cum absolvisset *Jacob* praecipere filiis suis," Gen: XLIX: 1. 2. 33; [24] ex his manifeste constare potest, quod Jacob nunc dicatur Jacob, nunc Israël, ac ita quod aliud sit Jacob, et aliud sit Israël, seu quod aliud significetur cum Jacob dicitur, et aliud cum Israël, tum quod arcanum illud nullatenus sciri possit, quam ex sensu interno. Quid autem Jacob significat, et quid Israël, supra dictum est, in genere per Jacobum in Verbo significatur externum Ecclesiae, et per Israëlem internum, unaquaevis enim Ecclesia habet externum et habet internum, seu est interna et est externa; et quia id quod est Ecclesiae significatur per Jacobum et per Israëlem, et quia omne Ecclesiae est a Domino, inde in supremo sensu est tam Jacob quam Israël Dominus, Jacob quoad Divinum Naturale, Israël

quoad Divinum spirituale; inde externum quod est Regni Domini et Ecclesiae Ipsius est Jacob, et internum est Israël; ut constare ulterius potest ab his locis, in quibus etiam uterque in suo sensu nominatur; in Prophetia Jacobi, tunc Israëlis „A manibus fortis *Jacobi*, inde pastor, lapis *Israëlis*," Genes: XLIX: 24. Apud Esaiam „Audi *Jacob* serve mi, et *Israël* quem elegi; effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super natos tuos; hic dicet Jehovae, ego, et hic vocabit se nomine *Jacobi*, et ille scribet manu sua Jehovae, et nomine *Israëlis* cognominabit se," XLIV: 1. 2. 3. 5; ibi manifeste Jacob et Israël pro Domino, ac ibi semen et nati Jacobi et Israëlis, pro illis qui in fide in Ipsum. In prophetia Bileami apud Mosen „Quis numerabit pulverem *Jacobi*, et numerum cum quarta parte *Israëlis*," Num: XXIII: 10: ac iterum „Non divinatio contra *Jacobum*, nec praestigiae contra *Israëlem*, hoc tempore dicetur *Jacobo* et *Israëli*, quid fecerit Deus," ibid: Vers: 23: adhuc „Quam bona sunt tabernacula tua, *Jacob*, habitacula tua, *Israël*," Num: XXIV: 5: et iterum „Orietur stella ex *Jacobo*, et sceptrum ex *Israële*," ib: Vers: 17. Apud Esaiam „Gloriam meam alii non dabo, attende Mihi *Jacob*, et *Israël* vocate a Me; Ego idem, Ego primus, etiam Ego novissimus," XLVIII: 11. 12. Apud Eundem „Venturos radicabit *Jacob*, efflorescet et florebit *Israël*, et implebuntur facies orbis proventu," XXVII: 6. [25] Apud Jeremiam „Ne timeas serve mi *Jacob*, et ne terrearis *Israël*, quia ecce Ego servavi te e longinquo," XXX: 9. 10. Apud Micham [26] „Colligendo colligam *Jacobum* omnem te, congregando congregabo reliquias *Israëlis*, una ponam eos, sicut oves Bozrae," II: 12. Unde Jacob nominatus est Israël, constat ex ipsis verbis, cum daretur illi id nomen, nempe ab his „Non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël, *quia ut princeps contendisti cum Deo et cum hominibus, et praevaluisti*," Israël enim in lingua originali significat contendentem ut princeps cum deo, quibus significatur in sensu interno, quod vicerit in pugnis tentationum; tentationes enim ac pugnae in tentationibus fuerunt, per quas Dominus Humanum suum Divinum fecit, n: 1737. 1813, et alibi; ac tentationes et victoriae in tentationibus sunt, quae hominem spiritualem faciunt, quapropter Jaco-

bus tunc primum Israël nominatus est, postquam luctatus est; quod luctari sit tentari, videatur n: 4274; notum est, quod Ecclesia, seu homo Ecclesiae Christianae, se dicat Israëlem, sed usque nemo in Ecclesia Israël est, nisi qui spiritualis homo factus per tentationes, ipsum nomen etiam idem involvit. Quod postea confirmatum sit, quod Jacob vocaretur Israël, constat a sequentibus, ubi haec „Apparuit Deus ad *Jacobum* adhuc, in veniendo illo e Paddan Aram, et benedixit illi, et dixit illi Deus, nomen tuum *Jacob*, non vocabitur nomen tuum amplius *Jacob*, verum *Israël* erit nomen tuum, et vocavit nomen ejus *Israël*," Gen: XXXV: 9. 10; causa hujus confirmationis dicetur infra.

4287. Quia ut princeps contendisti cum Deo et cum hominibus, et praevaluisti, quod significet continuas victorias in pugnis quoad vera et bona, constat ex significatione contendere ut princeps, quod sit vincere in pugnis, hic in pugnis tentationum, nam de illis agitur; et ex significatione cum deo et cum hominibus, quod sit quoad vera et bona, de qua sequitur. Quia in sensu supremo agitur de Domino, est ille in eo sensu qui intelligitur per contendentem ut princeps cum Deo et hominibus, Ille enim propria potentia sustinuit omnes tentationes, et per illas vicit inferna, nam omnia inferna suo ordine in se admisit, imo usque ad angelos, de quibus in sequentibus; et ita redegit in ordinem omnia quae in coelis et quae in infernis, et tandem se glorificavit, hoc est, Humanum in Se Divinum fecit: inde patet, quod Dominus sit in supremo sensu Jacob et Israël, ut mox supra n: 4286, ostensum; non solum quod Ipse ut princeps contenderit, hoc est, sustinuerit omnes pugnas tentationum, ac in illis vicerit, sed etiam quod apud unumquemvis hominem sustineat illas, sed videantur quae de his prius multoties dicta sunt, nempe quod Dominus prae omnibus gravissimas tentationes sustinuerit, n: 1663. 1668. 1787. 2776. 2786. 2795. 2816: quod Dominus ex amore Divino pugnaverit, secus ac omnes homines, n: 1690. 1691 f. 1789. 1812. 1813. 1820: quod Dominus contra malum haereditarium a matre pugnaverit, ut tandem non filius ejus esset, tametsi Ipsi nullum actuale malum, n: 1444. 1573. 2025. 2574. [27] 2649. 3318 f: quod Dominus per pugnas tentationum et continuas victorias disposuerit

omnia in formam coelestem, n: 1928: et quod per continuas victorias in pugnis tentationum univerit Divinam Essentiam Humanae, n: 1616. 1737. 1813. 1921. 2025. 2026. 2500. 2523. [28] 2632. 2776: et quod Dominus apud hominem sustineat tentationes, ac subjuget malum ac inferna, n: 987. 1661. 1692 f. Quod contendere cum deo et cum hominibus, sit tentari quoad vera et quoad bona, est arcanum, quod non apparet ex litera; quod non Deus fuerit, cum quo Jacob contendit, unicuique constare potest, et quoque patebit ab explicatione infra, non enim praedicari potest de aliquo homine, quod contendat cum Deo, et praevaleat; sed sensus internus docet, [29] quid per Deum hic, et per homines, significatur, quod nempe per Deum significetur Verum, et per homines Bonum, et hoc inde, quia Deus in sensu interno significat Verum, et inde cum de vero agitur, dicatur Deus, n: 2586. 2769. 2807. 2822; et quod, cum homo dicitur, intelligatur bonum: quod homo sit bonum, est quia Dominus est solus homo, et quia homo ab Ipso dicitur homo, n: 49. 288. 565. 1894; tum quia ab Ipso Coelum est homo, et dicitur Maximus Homo, n: 684. 1276 [. 3624] ad 3649. 3741 ad 3751; inde etiam Ecclesia Antiquissima, quae fuit in coelesti bono, dicta fuit homo, n: 478; quapropter etiam per hominem in Verbo, ubi de bono agitur, significatur bonum, ut apud Esaiam „Rarum reddam *virum hominem* prae auro, et *hominem* prae auro ophiris" XIII: 12. Apud Eundem „Exurentur habitatores terrae, et residuus erit *vir homo* paucus" XXIV: 6; vir homo pro bono spirituali seu bono veri; homo pro bono. Apud Eundem „Devastatae sunt semitae, cessavit transiens viam, irritum [30] reddidit foedus, fastidivit urbes, non reputat *virum hominem*" XXXIII: 8. Apud Jeremiam „Vidi terram, et ecce vacuum et inane, et ad coelos, et nulla lux eorum; vidi, et ecce *non homo*, et omnis avis coeli avolarunt," IV: 23. 25. Apud Eundem „Ecce dies venientes, dictum Jehovae, quibus seminabo domum Israëlis, et domum Jehudae, *semine hominis*, et semine bestiae" XXXI: 27. Apud Ezechielem „Mercatores tui *cum Anima hominis* et vasis aeris, dederunt negotiationem tuam" XXVII: 13. [31] Apud Eundem „Vos grex mi, grex pascui mei *homo vos*, Ego Deus vester" XXXIV: 31. Apud Eundem „Erunt urbes devastatae, plenae

grege hominis" XXXVI: 38; in his locis homo pro illis qui in bono sunt, ita pro bono, nam ex bono homo est homo; Verum autem quod ex bono in Verbo dicitur Vir homo, tum filius hominis.

4288. Eadem haec, quae hactenus explicata sunt, etiam spectant gentem Judaicam et Israëliticam, quae Jacob in Verbo nominatur, ut supra n: 4279, dictum et ostensum est, in illo sensu, qui internus historicus vocatur, per haec, nempe, *mitte me quia ascendit aurora,* significatur repraesentativum, antequam venirent in terrae Canaanis repraesentativa, quod a Jacobi posteris discederet: ostensum est supra, qualis illa gens fuit, quod nempe apud illam nullus cultus internus fuerit, sed solum externus, ita quod conjugiale coeleste ab illa separatum fuerit, ac ideo quod nulla Ecclesia apud illam institui potuerit, sed modo repraesentativum Ecclesiae, videatur n: 4281: sed sciendum, quid Repraesentativa Ecclesia, et quid Repraesentativum Ecclesiae; Repraesentativa Ecclesia est, cum cultus internus est in externo; Repraesentativum Ecclesiae autem est, cum nullus cultus internus, sed usque externus; in utroque paene similia ritualia externa sunt, nempe similia statuta, similes leges, et similia praecepta; sed in Repraesentativa Ecclesia correspondent externa cum internis, sic ut unum faciant, at in Repraesentativo Ecclesiae non datur correspondentia, quia externa vel sunt absque internis, vel dissident; in Repraesentativa Ecclesia amor coelestis et spiritualis est principale, at in repraesentativo Ecclesiae est amor corporeus et mundanus principale, amor coelestis et spiritualis est ipsum internum, ast ubi nullus amor coelestis et spiritualis, sed solum corporeus et mundanus, est externum absque interno: Antiqua Ecclesia, quae fuit post diluvium, Ecclesia Repraesentativa fuit, sed quae apud posteros Jacobi instituta, fuit modo Ecclesiae repraesentativum: sed discrimen, ut pateat, illustretur per exempla; in Repraesentativa Ecclesia fuit cultus Divinus super montibus, quia montes significabant amorem coelestem, ac in supremo sensu Dominum, n: 795. 1430. 2722. 4210, et cum super montibus cultum habebant, erant in suo sancto, quia tunc simul in amore coelesti: in repraesentativa Ecclesia etiam fuit cultus Divinus in Lucis, quia luci significabant amorem spiritualem, ac in supre-

mo sensu Dominum quoad amorem illum, n: 2722, [32] et cum in lucis cultum habebant, erant in suo sancto, quia tunc simul in amore spirituali: in Ecclesia Repraesentativa, cum cultum Divinum haberent, facies suas ad orientem solis vertebant, quia per orientem solem etiam amor coelestis significabatur, n: 101. 1529. 1530. 2441. 2495. 3636. 3643, cum etiam aspiciebant Lunam, similiter quadam sancta veneratione perfundebantur, quia Luna significabat amorem spiritualem, n: 1529. 1530. 1531. 2495. 4060; pariter cum coelum sidereum, quia hoc significabat coelum angelicum seu Regnum Domini: in Ecclesia Repraesentativa Tentoria seu Tabernacula habebant, et in illis cultum Divinum, et illum sanctum, quia tentoria seu tabernacula significabant sanctum amoris et cultus n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312; ita in innumerabilibus aliis: in Repraesentativo Ecclesiae, quidem in principio similiter fuit cultus Divinus super montibus, et quoque in lucis, tum quoque erat aspectus versus orientem solis, ut et intuitio in lunam, et ad astra, pariter cultus in tentoriis seu tabernaculis, at quia in cultu externo erant absque interno, seu in amore corporeo et mundano, non autem in amore coelesti et spirituali, et sic ipsos montes et lucos colerent, tum quoque solem, lunam, et astra, ut et sua tentoria seu tabernacula, et inde ritualia illa, quae in Ecclesia Antiqua fuerunt sancta, idololatrica fecerunt, ideo restringebantur ad commune, nempe ad montem ubi Hierosolyma, et tandem ubi Zion, adque orientem solis inde et e templo, tum quoque ad tentorium commune, quod tentorium conventus vocabatur, et denique ad Arcam in templo; et haec ob causam, ut repraesentativum Ecclesiae existeret cum in sancto externo essent, alioquin sancta prophanavissent: inde constare potest, quodnam discrimen est inter Ecclesiam repraesentativam, et Ecclesiae repraesentativum; in genere, quod qui ab Ecclesia repraesentativa fuerunt, communicarent cum tribus coelis quoad interiora, quibus pro plano inservirent externa; at qui in Ecclesiae repraesentativo, non communicarent cum coelis quoad interiora, sed usque externa, in quibus tenebantur, possent inservire pro plano, et hoc miraculose ex Domini Providentia, ob causam, ut communicationis aliquid existeret inter coelum et hominem per aliquod instar Ecclesiae, nam absque communicatione coeli

cum homine per aliquid Ecclesiae periret Genus [humanum: quid] correspondentia internorum sit, non paucis dici potest, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicendum.

4289. Quod per mitte me quia ascendit aurora, significetur quod repraesentativum, antequam venirent in terrae Canaanis repraesentativa, a Jacobi posteris discederet, constare potest ex serie rerum in sensu interno historico, in quo de Jacobi posteris agitur: status eorum quoad illa quae sunt Ecclesiae, in *Verbo* etiam describitur per vesperam, per noctem, et per mane seu auroram, et per hanc, cum venerunt in terram Canaanem, proinde in Repraesentativum Ecclesiae ibi. Cum his ita se habet, Repraesentativum Ecclesiae apud illos non prius institui potuit, quam cum prorsus vastati essent, hoc est, cum *nulla illis* cognitio internorum, si enim illis cognitio internorum fuisset, potuissent affici illis, et sic prophanavissent illa; prophanari enim possunt sancta, hoc est, vera et bona interna, ab iis qui sciunt et agnoscunt illa, et magis ab iis, qui afficiuntur illis, non autem ab iis qui non agnoscunt; sed videantur quae de Prophanatione prius dicta et ostensa sunt, nempe quod prophanare queant sancta, qui sciunt et agnoscunt illa, non autem qui non sciunt et agnoscunt, n: 593. 1008. 1010.[33] 1059. 3398. 3898. Quod qui intra Ecclesiam, prophanare possint sancta, non autem qui extra, n: 2051. Quod ideo detineantur quantum possibile ab agnitione et fide [34] boni et veri qui non permanere in illis possunt n: 3398. 3402. Quodque teneantur in ignorantia ne prophanent, n: 301. 302. 303. Quid periculi a prophanatione sanctorum, n: 571. 582. Quod cultus fiat externus, ne prophanetur internum, n: 1327. 1328. Quod ideo Judaeis non detecta fuerint vera interna, n: 3398. Ideo provisum fuit a Domino, ut genuinum Repraesentativum Ecclesiae, hoc est, internum, discederet a Jacobi posteris, antequam venirent in Terrae Canaanis repraesentativa, usque adeo, ut prorsus non sciverint aliquid de Domino, quidem quod Messias venturus in mundum, sed ob finem ut eveheret illos ad gloriam et eminentiam super omnes gentes totius terrae, non autem ut salvaret animas illorum in aeternum, imo nec quicquam sciverunt de Regno coelesti, nec de vita post mortem, ne quidem de charitate et fide: ut in ignorantiam illam redigerentur, tenebantur

per aliquot centum annos in Aegypto, et cum inde evocarentur, nesciverant ipsum nomen Jehovae, Exod: III: 12. 13. 14; et praeterea perdiderunt omnem cultum Ecclesiae repraesentativae, usque adeo, ut postquam praecepta decalogi coram illis promulgata fuissent e monte Sinai, post mensem dierum ad cultum Aegyptiacum, qui fuit vituli aurei, recurrerent, Exod: XXXII: et quia talis erat gens illa, quae educta erat ex Aegypto, ideo omnes in deserto perierunt, non enim amplius ab illis requirebatur, quam ut statuta et praecepta in externa forma custodirent, nam id erat agere repraesentativum Ecclesiae, sed ad id non redigi potuerunt illi qui adoleverunt in Aegypto, sed potuerunt, tametsi aegre, infantes eorum, principio per miracula, et postea per timores et captivitates, ut patet ex Libris Josuae et Judicum: inde constare potest, quod omne repraesentativum genuinum seu internum Ecclesiae ab illis discesserit, antequam venerunt in terram Canaanem, ubi Repraesentativum externum Ecclesiae apud illos in plena forma inceptum est; terra enim Canaan erat ipsissima terra, ubi Repraesentativa Ecclesiae potuerunt sisti, omnia enim loca, et omnes termini, ab antiquis temporibus, ibi repraesentaverunt, videatur n: 3686.

4290. In sensu interno historico, per *dixit non mittam te quin benedixeris mihi*, significatur quod instarent ut essent repraesentativi; instare enim significatur per non mittam te, et repraesentativum Ecclesiae per benedici. Quod hanc rem attinet, nempe quod Jacobi posteri institerint, ut essent repraesentativi Ecclesiae, et quod non prae caeteris gentibus electi sint, non quidem ita constare potest ex historicis Verbi in sensu literae, ex causa, quia historica Verbi in sensu literae involvunt arcana coeli, ac ideo ita sequuntur in serie; et quia ipsa nomina significant res, imo plura nomina in sensu supremo Ipsum Dominum, ut Abrahamus, Jischakus, et Jacobus, qui quod Dominum in supremo sensu significent, in illis quae praecedunt, multis ostensum est, videatur etiam n: 1965. 1989. 2011. 3245. 3305 f. 3439. Quod Jacobi posteri non electi fuerint, sed institerint ut apud illos Ecclesia esset, constare potest in pluribus locis Verbi ex sensu ejus interno historico, et aperte in his, apud Mosen „Loquutus est Jehovah ad Mosen, ascende hinc tu et populus, *quem ascendere fecisti e terra Aegypti*, in

terram quam juravi Abrahamo, Jischako et Jacobo, dicendo, semini tuo dabo illam; non ascendam in medio tui, eo quod populus durus cervice tu, ne consumam te in via: cum audirent populus verbum malum hoc, luxerunt, et posuerunt quisque ornatum suum a super se; et Moses sumsit tentorium, et tetendit illud sibi extra castra, procul removendo e castris: dixit Moses ad Jehovam, vide *Tu dicens ad me, ascendere fac populum hunc*, cum tu non notum feceris mihi, quem missurus sis mecum; jam ergo si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, notam quaeso fac mihi viam tuam, [35] ut cognoscam de Te, quod invenerim gratiam in oculis tuis; vide etiam quod populus tuus gens haec: dixit itaque, facies meae iturae, donec quietem dedero tibi," Exod: XXXIII, dicitur hic quod Moses ascendere fecerit populum e terra Aegypti: tum dein, quod deposuerint ornatum, et luxerint, et quod Moses tetenderit tentorium suum extra castra et sic quod Jehovah annuerit; ita manifeste quod ipsi institerint. Apud Eundem „Dixit Jehovah ad Mosen, quousque irritabunt Me populus hic, et quousque non credent in Me, ob omnia signa quae feci in medio ejus; percutiam illum peste, et exstinguam illum, et faciam te in gentem magnam et validam prae illo: sed supplicavit Moses, et exoratus Jehovah, dixit, propitius ero juxta verbum tuum; attamen, vivus Ego, et *implebitur* gloria Jehovae universa terra; nam quantum ad omnes viros, qui viderunt gloriam meam, et signa mea, quae feci in Aegypto, et in deserto, tentaverunt tamen Me his decem vicibus, nec obediverunt voci meae, si videbunt terram, quam juravi patribus eorum, omnes irritantes Me non videbunt eam; in deserto hoc concident corpora vestra; infantes autem vestros introducam," Num: XIV; ex his quoque patet, quod Jehovah voluerit exstinguere illos, proinde apud illos Ecclesiam non instaurare, sed quod institerint, ac ideo factum: praeter etiam alibi pluries, cum Jehovah Gentem illam toties rebellem prorsus delere voluisset, sed toties per supplicationes se exorari passus. Simile etiam involvit, quod Bileamo non permissum maledicere populo illi, Num: XXII. XXIII. XXIV; et quoque alibi, ubi dicitur, quod poenituerit Jehovam quod populum illum introduxerit; tum quod Jehovah exoratus sit; ut et quod toties novum foedus cum illo pepigerit: talia significantur in sensu in-

terno historico, per haec verba, non mittam te quin benedixeris mihi; simile etiam per quod Jacob primogenituram Esavo, tum quoque benedictionem ei fraude abstulerit, Genes: XXV et XXVII.

4291. In sensu interno historico, per *dixit ad eum, quid nomen tuum, et dixit Jacob*, significatur quod essent posteri Jacobi cum quali eorum, hoc constare potest a significatione nominis, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006; et ex significatione Jacobi, quod sint posteri ejus, de qua supra n: 4281.

4292. Quod in sensu interno historico, per *dixit, non Jacob dicetur amplius nomen tuum, quin Israël*, significetur, quod non repraesentare possent ut Jacob, sed ut ex novo dato quali, constare potest ex significatione Jacobi in Verbo, quod sint posteri ejus, de qua supra n: 4281; et ex significatione nominis, quod sit quale, de qua mox supra n: 4291, ipsum novum quale est Israël in sensu interno; Israël enim est [36] coelestis spiritualis homo, proinde internus, n: 4286; et quia Israël est spiritualis coelestis homo, ita internus, etiam Israël est Interna spiritualis Ecclesia, nam sive dicas hominem spiritualem, sive Ecclesiam spiritualem, idem est, homo enim spiritualis in particulari est Ecclesia, ac plures sunt in communi; si homo in particulari non foret Ecclesia, non foret aliqua Ecclesia in communi; est congregatio in communi, quae in vulgari sermone vocatur Ecclesia, sed unusquisque in congregatione illa erit talis, ut sit aliqua Ecclesia; omne commune involvit partes sui similes. Quod ipsam rem attinet, nempe quod non repraesentare possent ut Jacob, sed ut ex novo dato quali, quod est Israël, illa ita se habet; erant Jacobi posteri in specie, qui repraesentarent Ecclesiam, non autem Jischaki in specie, nam Jischaki posteri non solum erant ex Jacobo, sed etiam ex Esavo, minus adhuc Abrahami posteri in specie, nam Abrahami posteri non solum erant ex Jacobo, sed etiam ex Esavo, et quoque ab Jischmaële, ut et ex filiis ejus ab altera uxore Ketura, ut ex Simrane, Jochschane, Medane, Midiane, Jischbako, Schuacho, aque horum filiis, videatur Genes: XXV: 1. 2. 3. 4: nunc quja Jacobi posteri institerant, quod illi repraesentativi essent, ut mox supra n: 4290, [37] ostensum est, non potue-

runt repraesentare ut Jacob, nec ut Jischak, nec ut Abraham; quod non ut Jacob, erat quia Jacob repraesentabat Externum Ecclesiae, non autem Internum; et quod non ut Jischak simul nec ut Abraham simul, erat ob causam nunc supra allatam; ideo ut repraesentare possent Ecclesiam, non potuit aliter quam ut novum nomen Jacobo inderetur, et per id novum quale, quod, nempe novum quale, significaret Internum spiritualem hominem, seu quod idem, Internam spiritualem Ecclesiam; id novum quale est Israël; omnis Ecclesia Domini est Interna et Externa, ut aliquoties prius ostensum est; Interna est quae repraesentatur, et Externa quae repraesentat; est etiam Interna Ecclesia vel spiritualis, vel Coelestis, Interna Ecclesia Spiritualis repraesentabatur per Israëlem, at Interna Ecclesia Coelestis repraesentabatur dein per Jehudam, ideo etiam divisio facta est, ac Israëlitae per se erant Regnum, et Judaei per se, sed de his, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus dicetur. Inde patet, quod Jacob, hoc est, Jacobi posteri non potuerint repraesentare Ecclesiam ut Jacob, nam hoc foret solum repraesentare Externum Ecclesiae, sed quoque ut Israël, quia Israël est Internum. Quod Internum sit quod repraesentatur, et Externum quod repraesentat, prius passim ostensum est, et quoque constare potest ex ipso homine; Loquutio hominis repraesentat ejus cogitationem, et actio hominis repraesentat ejus voluntatem, loquutio et actio sunt externa, at cogitatio et voluntas sunt interna hominis; porro, ipsa facies hominis per varios suos vultus repraesentat utramque, nempe tam [38] cogitationem ejus quam voluntatem, quod facies per vultus repraesentet, unicuique notum est, nam ex vultibus faciei apud sinceros videri possunt status eorum interiores; verbo, omnia quae sunt corporis, repraesentant illa quae sunt animi, et quae sunt mentis: similiter se habet cum externis Ecclesiae: haec enim instar corporis sunt, at interna instar animae, sicut altaria et sacrificia super illis, quae quod externa fuerint, notum est, similiter panes propositionis, tum candelabrum cum lucernis, ut et ignis perpetuus, quod illa repraesentaverint interna, etiam cuivis notum esse potest; pariter reliqui ritus; quod externa haec non repraesentare possent externa, sed interna, ex illis quae allata sunt, constare potest; ita quod non Jacob ut Jacob, quia Ja-

cob est Externum Ecclesiae, sed Jacob ut Israël, quia Israël est ejus internum. Haec sunt, quae intelliguntur per novum datum quale, quod posteri Jacobi repraesentarent.

4293. Quod in sensu interno historico, per *quia ut princeps contendisti cum deo et cum hominibus, et praevaluisti*, significetur ob contumaciam quae eorum phantasiis et cupiditatibus, constare potest a significatione dei et a significatione hominum, quod sint vera et bona, de qua supra n: 4287; haec eadem hic oppositum sensum habent, quia de posteris Jacobi in hoc sensu dicuntur, apud quos interius nulla vera et bona, ut supra ostensum, sed falsa et mala, falsa sunt phantasiae quia sunt phantasiarum, et mala sunt cupiditates quia sunt cupiditatum. Quod Gens illa institerit, ut repraesentativi essent, hoc est, ut ipsi prae omnibus gentibus in universo terrarum orbe essent Ecclesia, videatur supra n: 4290; quod etiam id permissum ob contumaciam quae eorum phantasiis et cupiditatibus, hic intelligitur: quales eorum phantasiae, et cupiditates sunt, nemo scire potest, nisi qui cum illis in altera vita aliquid conversationis habuit; utque scirem, id mihi concessum fuit; aliquoties enim ibi cum illis loquutus sum; amant se, et amant opes mundi prae omnibus aliis, ac insuper timent jacturam illius honoris, tum quoque jacturam lucri prae omnibus aliis; quapropter etiam hodie, sicut olim, contemnunt omnes alios prae se, et quoque intensissimo studio conquirunt sibi opes, ac praeterea timidi sunt; quia gens illa ab antiquis temporibus talis fuerat, potuerunt prae aliis in sancto externo absque omni sancto interno teneri, et sic in externa forma repraesentare illa quae sunt Ecclesiae; hae phantasiae, et hae cupiditates sunt, quae talem contumaciam fecerunt: hoc quoque apparet ex pluribus, quae in historicis Verbi de illis memorata sunt, potuerunt, postquam puniti sunt, in tali externa humiliatione esse, in quali nulla alia gens, per integros enim dies potuerunt humi prostrati jacere, seque in pulvere volutare, nec prius quam tertio die se elevare; potuerunt etiam per plures dies plangere, in saccis ire, in laceris vestibus, cinere seu pulvere sparso super caput; potuerunt per plures dies jejunare continue, ac interea in fletum amarum erumpere; at haec solum ex amore corporeo et terrestri, et ex timore jacturae supereminentiae et mundanarum opum; non

enim erat aliquid internum quod afficiebat illos, quia quid internum esset, prorsus nesciebant, et ne quidem scire volebant, ut quod vita post mortem, et quod salus aeterna. Inde constare potest, quod quia tales, non potuerit aliter, quam ut privarentur omni sancto interno, nam hoc nullatenus concordat cum tali sancto externo, sunt enim prorsus contraria; tum quod illi prae aliis possent repraesentativum Ecclesiae agere, nempe repraesentare sancta in externa forma, absque omni interno sancto; et sic quod per illam gentem posset dari aliquid communicationis cum coelis, videatur n: 4288.

4294. Vers: 29. 30. 31. 32. *Et interrogavit Jacob et dixit, indica quaeso nomen tuum, et dixit, quare hoc interrogas ad nomen meum; et benedixit ei ibi. Et vocavit Jacob nomen loci Peniel, quia vidi Deum facies ad facies, et liberata anima mea. Et exortus ei sol, sicut transivit Penuel, et is claudicans super femore suo. Propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti, qui super vola femoris, usque ad diem hunc, quia tetigit in vola femoris Jacobi nervum emoti.* Interrogavit Jacob et dixit, indica quaeso nomen tuum, significat coelum angelicum et ejus quale: et dixit, quare hoc interrogas ad nomen meum, significat quod coelum non vellet se revelare: et benedixit ei ibi, significat conjunctionem cum Divino coelesti spirituali: et vocavit Jacob nomen loci Peniel, significat statum tentationum: quia vidi deum facies ad facies, et liberata est anima mea, significat quod sustineret gravissimas tentationes sicut forent a Divino: et exortus ei sol, significat conjunctionem bonorum: sicut transivit Penuel, significat statum veri in bono: et is claudicans super femore suo, significat quod vera nondum in illum ordinem disposita, ut omnia simul cum bono intrarent bonum coeleste spirituale: propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti, qui super vola femoris, significat quod non appropriata illa in quibus falsa: usque ad diem hunc, significat in perpetuum quod falsa non adjuncta: quia tetigit in vola femoris Jacobi nervum emoti, significat causam, quia falsa.

In sensu interno historico, in quo agitur de posteris Jacobi, per interrogavit Jacob et dixit, indica quaeso nomen tuum, significantur mali spiritus: per dixit, quare hoc interrogas ad

nomen meum, significatur quod non agnoscerent a malis spiritibus: per benedixit ei ibi, significatur quod ita factum: per vocavit Jacob nomen loci Peniel, significatur status quod induerent repraesentationes: quia vidi deum facies ad facies, et liberata anima mea, significatur quod repraesentative praesens: per exortus ei sol, significatur cum venirent in repraesentationes: per sicut transivit Penuel, significatur cum venirent in terram Canaanem: per is claudicans super femore suo, significatur quod bona et vera prorsus deperdita essent apud posteritatem illam: per propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti qui super vola femoris, significatur quod posteri hoc scire deberent: per usque ad diem hunc, significatur in perpetuum quod tales: per quia tetigit in vola femoris Jacobi nervum emoti, significatur quia haereditarium illis quod per regenerationem eradicari non potuit, quia non admitterent.

4295. Et interrogavit Jacob et dixit, indica quaeso nomen tuum, quod significet coelum angelicum et ejus quale, constare potest ex repraesentatione Jacobi, quod sit Dominus quoad Divinum Naturale, de qua prius; et ex significatione Dei, cujus nomen interrogavit, et quoque hominum, cum quibus ut princeps contendit et praevaluit, quod sint vera et bona, ita illi qui in veris et bonis sunt, de qua supra n: 4287; et quia coelum angelicum est coelum ex veris et bonis, est illud in specie quod per Deum et homines, quibus Dominus praevaluit, significatur: Angeli quoque in Verbo passim dicuntur dii, et hoc ex veris et bonis; ut apud Davidem „Deus stetit in *coetu dei*, in medio *deorum* judicavit. Ego dixi, *dii vos*, et filii Altissimi omnes vos," Psalm: LXXXII: 1. 6, ubi quod coetus dei, et dii, sint coelum angelicum, manifeste patet. Apud Eundem „Quis in aethere comparabitur cum Jehovah, assimilabitur Jehovae in *filiis deorum*," Psalm: LXXXIX: 7. Apud Eundem „Confitemini *Deo deorum*, confitemini Domino dominorum," Psalm: CXXXVI: 2. 3; inde patet, ut quoque ex eo, quod cum Deo contendere ut princeps et praevalere, nemo possit, pariter ex eo quod is qui deus vocatur nomen suum revelare non vellet, quod sit coelum angelicum, cum quo Dominus pugnavit: quod arcanum in his lateat, patet manifeste ex ipsis his verbis „quare hoc interrogas ad nomen meum;" si enim Jeho-

vah Deus fuisset, nomen non celavisset, nec interrogatum fuisset a Jacobo, „quid nomen tuum," nam interrogare nomen, involvit alium seu alios, quam Ipsum Deum. Quod Dominus in tentationibus pugnaverit tandem cum ipsis angelis, imo cum toto coelo angelico, est arcanum quod nondum detectum est; sed cum hoc ita se habet; Angeli quidem in summa sapientia et intelligentia sunt, sed omnis sapientia et intelligentia illis est ex Divino Domini, ex seipsis seu ex proprio nihil sapientiae et intelligentiae habent, quantum itaque in veris et bonis ex Divino Domini sunt, tantum sapiunt et intelligunt: quod Angeli ex seipsis nihil sapientiae et intelligentiae habeant, ipsi aperte confitentur, imo etiam indignantur si quis illis aliquid sapientiae et intelligentiae tribuit, nam sciunt et percipiunt quod id foret derogare Divino quod Divinum est, ac sibi vindicare quod suum non est, ita furti spiritualis crimen incurrere; dicunt quoque angeli, quod omne proprium illorum sit malum et falsum, tam ex haereditario quam ex actuali vita in mundo cum fuerunt homines, n: 1880, et quod malum et falsum non sit separatum seu abstersum ab illis, et sic justificati, sed quod apud illos omne remaneat, at quod a Domino detineantur a malo et falso, et teneantur in bono et vero, n: 1581; haec confitentur omnes angeli; nec aliquis in coelum admittitur, nisi illa sciat et credat; alioquin enim non possunt in luce sapientiae et intelligentiae esse quae a Domino, proinde non in bono et vero; inde quoque sciri potest, quomodo intelligendum, quod Coelum non sit purum in oculis Dei, ut apud Hiob: Cap: XV: 15. Quia ita est, ut Dominus in ordinem coelestem redigeret universum coelum, etiam tentationes in se ab angelis admisit, qui quantum in proprio, tantum nec in bono et vero fuerunt; illae tentationes sunt omnium intimae, nam agunt solum in fines, ac tali subtilitate, ut nullatenus animadverti possit; sed quantum non in proprio, tantum sunt in bono et vero, et tantum non tentare possunt: praeterea Angeli continue perficiuntur a Domino, et tamen nusquam in aeternum perfici possunt usque adeo ut sapientia et intelligentia eorum comparari possit cum Sapientia et Intelligentia Divina Domini; sunt enim finiti, et Dominus Infinitus, finiti cum Infinito non datur comparatio. Ex his nunc constare potest, quid per deum, cum quo Jacob ut princeps

contendit, intelligitur, ut et cur ille nomen suum non revelare vellet.

4296. Quare hoc interrogas ad nomen meum, quod significet quod coelum non vellet se revelare, constat ex illis quae nunc supra n: 4295, dicta et ostensa sunt.

4297. Et benedixit ei ibi, quod significet conjunctionem cum Divino coelesti spirituali, constat ex significatione benedicere, quod sit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3565. 3584; quod cum Divino coelesti spirituali, constat ab illis quae praecedunt de Jacobo, quod nominatus sit Israël, per Israëlem enim repraesentatur Dominus quoad Divinum coeleste spirituale, n: 4286; quid coeleste spirituale, etiam ibi videatur.

4298. Et vocavit Jacob nomen loci Peniel, quod significet statum tentationum, constat ex serie rerum; olim enim nomina indebantur locis, ubi aliquid peculiare contingebat, quae nomina significativa erant illius rei quae ibi contigit, et ejus status, n: 340. [39] 2643. 3422; huic loco nomen, quod significavit statum tentationum, nam status tentationum hic describitur per luctationem et contentionem Jacobi: Peniel in lingua originali significat facies Dei, quod videre facies Dei sit sustinere gravissimas tentationes, explicabitur in nunc sequentibus.

4299. Quia vidi Deum facies ad facies, et liberata est anima mea, quod significet quod sustineret gravissimas tentationes, sicut forent a Divino, constat a significatione videre Deum, quod sit appropinquatio ad Ipsum per interiora, nempe bona et vera, inde praesentia, de qua n: 4198; et a significatione facierum, quod sint interiora, de qua n: 1999. 2434. 3527. 3573. 4066, proinde cogitationes et affectiones, nam hae et illae sunt interiora, quia sunt animi et mentis, et se manifestant in facie; et ex significatione liberata anima mea, quod sit sustinere, nempe praesentiam Divinam: quod per illa omnia significetur, quod sustineret gravissimas tentationes sicut forent a Divino, non aliunde constare potest, quam a causis tentationum proximis et remotis; causae proximae sunt mala et falsa apud hominem, quae inducunt illum in tentationes, proinde mali spiritus et genii qui infundunt, n: 4249; sed usque nemo tentari potest, hoc est, aliquam tentationem spiritualem subire, nisi qui conscientiam habet, tentatio enim spiritualis non aliud est quam crucia-

tus conscientiae, consequenter non alii possunt tentari, quam qui in bono coelesti et spirituali sunt, nam hi conscientiam habent, caeteri non habent, et ne quidem sciunt quid conscientia: conscientia est nova voluntas et novus intellectus a Domino; ita est praesentia Domini apud hominem, et haec eo propior, quo plus homo in affectione boni aut veri est, si praesentia Domini propior est, quam quantum homo est in affectione boni aut veri, venit homo in tentationem; causa est, quia mala et falsa, quae apud hominem, temperata cum bonis et veris apud illum, non sustinere possunt praesentiam propiorem; hoc constare potest ab his quae existunt in altera vita, nempe quod mali spiritus nequaquam possint approximare ad societatem aliquam coelestem, quin incipiant angi et cruciari; tum quod mali spiritus non sustineant quod angeli illos inspiciunt, illico enim torquentur et in deliquium cadunt; et quoque ex eo, quod infernum a coelo remotum sit, ex causa quia illud non sustinet coelum, hoc est, Domini praesentiam quae est in coelo: inde est, quod in Verbo de illis dicatur „Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, et collibus, occultate nos," Luc: XXIII: 30; et alibi „Dicent montibus et petris, ruite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super throno," Apoc: VI: 16; etiam nimbosa et caliginosa sphaera, quae exhalat a malis et falsis illorum qui in inferno, apparet instar montis seu petrae, sub qua absconduntur, videatur n: 1265. 1267. 1270. Ex his nunc sciri potest, quod, vidi Deum facies ad facies, et liberata est anima mea, significet gravissimas tentationes sicut forent a Divino: apparent tentationes et cruciatus sicut a Divino, quia existunt per praesentiam Divinam Domini, ut dictum, sed usque non sunt a Divino seu Domino, sed a malis et falsis, quae apud illum qui tentatur seu cruciatur; a Domino enim non nisi quam sanctum bonum et verum et misericors procedit, hoc sanctum nempe bonum, verum et misericors, est, quod illi qui in malis et falsis sunt, sustinere non possunt, quia opposita seu contraria sunt; mala, falsa, et immisericordia continue intendunt violare sancta illa, et quantum aggrediuntur illa, tantum cruciantur; et cum aggrediuntur et inde cruciantur, tunc putant quod Divinum sit quod cruciat; haec sunt quae intelliguntur per „sicut forent a Divino." Quod nemo possit videre Jeho-

vam facie ad faciem, et vivere, antiquis notum fuit, et indè cognitio ejus rei ad posteros Jacobi derivata est; quapropter tantum gavisi sunt, cum viderunt aliquem angelum, et tamen viverent; ut in Libro Judicum „Vidit Guideon, quod Angelus Jehovae, quare dixit Guideon, Domine Jehovih, *quandoquidem vidi Angelum Jehovae faciem ad faciem:* et dixit illi Jehovah, pax tibi, noli timere, *quia non morieris,*" VI: 22. 23. In eodem Libro „Dixit Manoachus ad uxorem suam, *moriendo moriemur, quia Deum vidimus,*" XIII: 22: et apud Mosen „Jehovah dixit ad Mosen, *non poteris videre facies meas, quia non videbit Me homo, et vivet,*" Exod: XXXIII: 29: quod de Mose dicatur, quod loquutus cum Jehovah *facie ad faciem,* Exod: XXXIII: 11; et quod „cognoverit illum Jehovah *facie ad faciem,*" Deut: XXXIV: 10, est quod apparuerit illi in forma humana adaequata ejus receptioni quae fuit externa, nempe sicut vetustus barbatus sedens apud illum, ut instructus sum ab angelis; inde etiam Judaei non aliam ideam de Jehovah habuerunt, quam sicut de Vetustissimo homine barbae longae et niveae, qui prae aliis diis miracula potuit facere; non quod sanctissimus, quia quid sanctum esset, nesciverunt, minus quod sanctum procedens ab Ipso nequaquam videre potuissent, quia in amore corporeo et terrestri, absque sancto interno erant n: 4289. 4293.

4300. Et exortus ei sol, quod significet conjunctionem bonorum, constat ex significatione exoriri sol, quod sit conjunctio bonorum; quod per ascendit aurora, significetur cum conjunctio adsit seu incipiat, videatur n: 4283, exinde sequitur, quod exoriri sol sit ipsa conjunctio; sol enim in sensu interno significat amorem coelestem, n: 1529. 1530. 2441. 2495. 3636. 3643. 4060, proinde bona, nam haec sunt illius amoris: quando amor coelestis se manifestat apud hominem, hoc est, quando appercipitur, tunc ei dicitur sol exoriri, nam tunc bona illius amoris ei conjunguntur.

4301. Sicut transivit Penuel, quod significet statum veri in bono, constat ex significatione Penuel, quod sit status veri in bono; Jabbock enim erat, quem Jacob primum transivit, cum ingressus est in terram Canaanem, per quem quod significetur insinuatio prima affectionum veri, videatur n: 4270.

4271; Pennel est quem nunc transit, inde est quod per illum significetur status veri insinuati in bono; agitur etiam de conjunctione boni, et bonum non est bonum nisi in illo sit verum, nam bonum suum quale, et quoque suam formam habet a vero, usque adeo, ut bonum non appellari queat bonum apud ullum hominem, nisi ei insit verum, sed verum suam essentiam, et consequenter suam vitam accipit a bono; et quia ita est, et de conjunctione bonorum agitur, etiam de statu veri in bono agitur. Quod statum veri in bono attinet, ille quidem describi potest, sed usque non capi, quam ab illis qui perceptionem coelestem habent; ne quidem ideam conjunctionis veri cum bono habere possunt, est enim verum illis in obscuro, id enim verum dicunt quod a doctrinalibus didicerunt, et id bonum quod fit secundum id verum; at qui perceptionem habent, ii in luce coelesti sunt quoad intellectum, seu quoad visum intellectualem, et afficiuntur veris quae conjunguntur bono; sicut oculus seu visus corporeus afficitur floribus in hortis et pratis tempore veris; et qui in interiore perceptione sunt, afficiuntur illis etiam sicut fragrantia ex illis exhalata; talis est status angelicus, quapropter percipiunt illi angeli omnia discrimina et omnes varietates insinuationis et conjunctionis veri in bono, ita indefinita prae homine, nam homo ne quidem scit, quod aliqua insinuatio et conjunctio sit, et quod inde homo fiat spiritualis; ut vero aliqua notio hujus rei habeatur, paucis dicendum; bina sunt quae internum hominem constituunt, nempe intellectus et voluntas, ad intellectum pertinent vera, et ad voluntatem bona, nam quod scit et intelligit homo quod ita sit, hoc dicit verum, et quod agit ex velle, ita quod vult, hoc dicit bonum; hae binae facultates unum constituent: illustrari hoc potest per comparationem cum visu oculi, et cum amoeno et jucundo quod per visum hunc appercipitur; oculus cum videt objecta, appercipit amoenum et jucundum inde secundum formas, colores, et inde pulchritudines in communi et in partibus, verbo secundum ordinem aut dispositiones in series, illud amoenum et jucundum non est oculi, sed est animi et ejus affectionis; et quantum homo afficitur illis, tantum illa videt, et tantum illa memoria retinet, quae autem oculus ex nulla affectione videt, praeterlabuntur, nec inseruntur memoriae, ita nec ei conjunguntur; inde

patet quod objecta visus externi implantentur secundum amoenum et jucundum affectionum, et quod in amoeno et jucundo illo sint, nam cum simile amoenum seu jucundum recurrit, etiam talia objecta recurrent, pariter cum similia objecta, etiam tale amoenum et jucundum, cum varietate secundum status: consimiliter se habet cum intellectu, qui est visus internus, ejus objecta sunt spiritualia, et vera dicuntur, campus illorum objectorum est memoria, amoenum et jucundum illius visus est bonum; ita bonum est cui inseminantur et implantantur vera: inde aliquatenus constare potest, quid insinuatio veri in bonum sit, et conjunctio veri in bono; tum quid bonum, de quo hic agitur; de quo tam innumerabilia percipiunt Angeli, cum homo vix aliquid.

4302. Et is claudicans super femore suo, quod significet quod vera nondum in illum ordinem disposita, ut omnia simul cum bono intrarent bonum coeleste spirituale, constat ex significatione claudicare, quod sit in bono esse, in quo nondum vera genuina, sed communia in quae vera genuina insinuari possunt, et talia quae non cum veris genuinis discordant, de qua sequitur; in supremo autem sensu, in quo de Domino, per claudicare super femore significatur, quod vera nondum in illum ordinem disposita fuerint, ut omnia cum bono intrarent bonum coeleste spirituale; quod femur sit bonum coeleste spirituale, videatur supra n: 4277. 4278. Quod ordinem, in quo erunt vera, cum intrant bonum, hic bonum coeleste spirituale, attinet, ille nec ad captum exponi potest, prius enim sciendum, quid ordo, et dein qualis ordo veris, tum quid bonum coeleste spirituale, et dein quomodo illa per bonum in illud intrant; haec tametsi describerentur, usque tamen non paterent, nisi illis qui in perceptione coelesti sunt, et nullatenus illis qui in sola perceptione naturali; qui enim in perceptione coelesti sunt, illi in luce coeli sunt quae a Domino, in qua luce est intelligentia et sapientia; qui autem in luce naturali sunt, non sunt in aliqua intelligentia et sapientia, nisi quantum lux coeli in hanc lucem influit, et hanc disponit, ut illa quae coeli sunt appareant sicut in speculo aut in quadam imagine repraesentativa in illis quae lucis naturalis sunt, nam lux naturalis nihil veri spiritualis absque influxu lucis coeli sistit videndum: hoc solum de ordine, in

quo erunt vera ut intrare possint bonum, dici potest, quod omnia vera sicut bona, tam quoad communia, quam quoad particularia, imo quoad singularissima, in coelo in illo ordine disposita sint, ut unum spectet alterum in tali forma, sicut humani corporis membra, organa, et viscera, seu illorum usus, in communi, tum in particulari, ut et in singularissimis, se spectant mutuo, et faciunt ut unum sint; ipsum coelum inde, nempe ex ordine in quo sunt vera et bona, dicitur Maximus Homo; ipsa vita ejus est a Domino, qui disponit ex Se omnia et singula in talem ordinem; inde coelum est similitudo et imago Domini; cum itaque vera in ordinem talem, in qualem Coelum, disposita sunt, tunc sunt in ordine coelesti, ac intrare possunt bonum; vera et bona apud unumquemvis angelum in tali ordine sunt, et quoque vera et bona apud unumquemvis hominem qui regeneratur, in talem ordinem disponuntur: verbo, ordo coeli est dispositio verorum quae sunt fidei in bonis quae sunt charitatis erga proximum, et dispositio horum in bono quod est amoris in Dominum. Quod claudicare sit in bono esse, in quo nondum vera genuina, sed usque communia, in quae illa insinuari possunt; et talia quae non cum veris genuinis discordant; ita quod claudi sint qui in bono sunt, sed non in genuino, propter ignorantiam veri, in quali bono sunt gentiles qui in charitate mutua vivunt, constare potest ab illis locis in Verbo, ubi claudi et claudicantes in bono sensu nominantur, ut apud Esaiam „Aperientur oculi caecorum, et aures surdorum aperientur, tunc saliet sicut cervus *Claudus*, et cantabit lingua mutus," XXXV: 5. 6. Apud Jeremiam „Ecce Ego adducens eos e terra septentrionis, et congregabo eos e lateribus terrae, inter eos caecus et *Claudus*, gravida et pariens simul," XXXI: 8. Apud Micham „In die illo, dictum Jehovae, colligam *Claudicantem*, et impulsam congregabo, et ponam *Claudicantem* in reliquias, et impulsam in gentem numerosam, et regnabit Jehovah super eos in monte Zionis, a nunc et in aeternum," IV: 6. 7. Apud Zephaniam „Tempore illo salvabo *Claudicantem*, et impulsam congregabo, et ponam eas in laudem et in nomen," III: 19; quod in his locis claudus et claudicans non sit claudus et claudicans, quisque videre potest, de illis enim dicitur quod salient, quod congregabuntur, quod ponentur in reliquias, quodque

salvabuntur, sed patet quod per illos significentur qui in bono sunt, et non ita in veris, quales sunt gentes probae, et quoque similes intra Ecclesiam. Tales etiam intelliguntur per claudos, de quibus Dominus apud Lucam „Jesus dixit, quando feceris convivium, voca pauperes, mancos, *Claudos* et caecos; tunc beatus eris," XIV: 13. 14: et apud Eundem „Paterfamilias dixit servo suo, abi ocius in plateas et vicos urbis, ac pauperes, et mancos, et *claudos*, et caecos, introduc huc," XIV: 21: antiqua Ecclesia distinxit proximum seu proximos, erga quos charitatis opera praestarent, in classes, et quosdam vocarunt mancos, quosdam claudos, quosdam caecos, et quosdam surdos, et intellexerunt illos qui spiritualiter tales essent: sicut etiam quosdam esurientes, sitientes, peregrinos, nudos, aegrotos, captivos, Matth: XXV: 33. 34 [. 35. 36]; pariter viduas, pupillos, egenos, pauperes, miseros, per quos non alios intellexerunt, quam qui quoad verum et bonum tales essent, et qui convenienter instruendi, ducendi in viam, et sic consulendi quoad animas; sed quia hodie charitas non facit Ecclesiam, sed fides, ideo quid per illos intelligitur in Verbo, prorsus nescitur; cum tamen cuivis patet, quod non intelligitur, quod ad convivium vocandi sint manci, claudi et caeci, et quod non mandatum sit a patrefamilias quod tales introducendi, sed quod illi qui spiritualiter tales sunt, tum quod in singulis quae Dominus loquutus est, Divinum sit, proinde sensus coelestis et spiritualis: similiter per Domini Verba apud Marcum „Si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, bonum tibi ingredi in vitam *Claudum*, quam duos pedes habentem conjici in gehennam ignis, in ignem inexstinguibilem," IX: 45. Matth: XVIII: 8; per pedem, qui abscindendus si scandalizaret, intelligitur naturale, quod jugiter se opponit spirituali, quod illud destruendum, si infringere vera conaretur; et sic quod propter discordantiam et dissuasionem naturalis hominis praestet in simplici bono esse, tametsi in negatione veri; hoc significatur per ingredi claudum in vitam; quod pes sit naturale, videatur n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. Per Claudos in Verbo etiam significantur qui in nullo bono sunt, et inde in nullo vero, ut apud Esaiam „Tunc dividetur praeda, multiplicans *claudicantes* praedabuntur praedam," XXXIII: 23: apud Davidem „Quando ego claudico,

laetantur et congregantur, congregantur contra me *claudi*, quos non novi," Psalm: XXXV: 14: et quia per claudum tales significabantur, etiam vetitum fuit sacrificare aliquod *claudum*, Deut: XV: 21. 22. Malach: I: 8. 13; ut et quod non *Claudus* aliquis ex semine Aharonis fungeretur sacerdotio, Levit: XXI: 18. Cum Claudo similiter se habet ac cum Caeco, Caecus enim significat in bono sensu illos qui in ignorantia veri sunt, et in opposito sensu illos qui in falsis, n: 2383. In Lingua originali per aliam vocem exprimitur claudus, et per aliam claudicans, et per claudum in proprio sensu significantur qui in bono naturali sunt, in quod vera spiritualia influere non possunt propter apparentias naturales et fallacias sensuum; et in opposito sensu illi qui in nullo bono naturali sunt, sed in malo, quod prorsus impedit influxum veri spiritualis: per Claudicantem autem in proprio sensu significantur qui in bono naturali sunt, in quod admittuntur communia vera, sed non particularia et singularia propter ignorantiam; in opposito autem sensu illi qui in malo sunt, ac ita ne quidem admittunt communia vera.

4303. Propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti qui super vola femoris, quod significet quod non appropriata illa in quibus falsa, constat ex significatione edere, quod sit conjungi et appropriari, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513. 3596. 3832; et ex significatione nervi, quod sit verum, vera enim in bono se habent sicut nervi in carne, et quoque vera sunt in spirituali sensu nervi et bonum caro, n: 3813. 3579: similia etiam per nervos et carnem significantur apud Ezechielem, „Sic dixit Dominus Jehovih ossibus his, *dabo super vos nervos*, et obducam super vos carnem, et dabo in vobis spiritum: et vidi, cum ecce *super illis nervi*, et caro ascendit," XXXVII: 6. 8; ibi de nova creatione hominis, hoc est, de regeneratione ejus agitur, cum autem vera detorta sunt, tunc non amplius fiunt vera, sed sicut detorquentur ad oppositum, ita accedunt ad falsa, inde est, quod per nervum emoti significetur falsum: quod vola femoris sit ubi conjunctio amoris conjugialis cum bono naturali, proinde ubi influxus veri spiritualis in bonum naturale, videatur n: 4277. 4280; inde patet, quod per propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti qui super vola femoris, significetur quod non appropriata illa in quibus falsa. Quod

haec de filiis Israëlis dicantur, est causa quia per Israëlem significatur Divinum coeleste spirituale, n: 4286, et per filios vera, n: 489. 491. 2623, ita quod vera Divini coelestis spiritualis non appropriaverint sibi aliqua falsa.

4304. Usque ad diem hunc, quod significet usque in perpetuum, quod falsa non adjuncta, constat ex significatione usque ad diem hunc, quod in Verbo ubi dicitur, sit perpetuum et aeternum, de qua n: 2838.

4305. Quia tetigit in vola femoris Jacobi nervum emoti, quod significet causam quia falsa, constat a significatione tangere in vola femoris Jacobi, quod hic sit causa quia falsa; quod hoc per tangere in vola femoris Jacobi significetur, constare potest ab illis quae prius n: 4277. 4278. 4303, dicta sunt.

4306. Quod eadem illa verba, quae hactenus explicata sunt, etiam agant de posteris Jacobi, et quod ille sensus dicatur sensus inferior, tum sensus internus historicus, videatur n: 4279. 4288; quomodo haec se habent in hoc sensu, nunc explicabitur.

4307. Quod in sensu interno historico, per *interrogavit Jacob et dixit, indica quaeso nomen tuum*, significentur mali spiritus, constare potest a pluribus in hoc sensu, in quo haec et quae sequuntur de Jacobi posteris, praedicantur, sensus enim internus se habet applicate ad rem de qua agitur: quod non boni spiritus, sed quod mali significentur per illum qui luctatus est cum Jacobo, constare potest ex eo, quod per luctationem significetur tentatio, n: 3927. 3928. 4274, et nusquam aliqua tentatio fit per bonos spiritus, sed per malos, nam tentatio est excitatio mali et falsi, quae apud hominem, n: 741. 751. 761. 1820. 4249. 4299; spiritus boni et angeli nusquam excitant mala et falsa, sed defendunt hominem contra illa, et flectunt illa in bonum; ducuntur enim boni spiritus a Domino, et a Domino nusquam nisi quam sanctum bonum et sanctum verum procedit; quod Dominus neminem tentet, ex doctrinali in Ecclesia recepto, notum est, videatur etiam n: 1875. 2768; inde, et quoque ex eo quod posteri Jacobi succubuerint in omni tentatione tam in deserto quam postea, patet, quod non boni spiritus significentur per illum, qui cum Jacobo luctatus est, sed mali. Praeterea gens illa, quae per Jacob hic significatur, non

in amore aliquo spirituali et coelesti fuit, sed in amore corporeo et mundano, n: 4281. 4288. 4289. 4290. 4293, spirituum praesentia apud hominem se habet secundum amores illorum, spiritus boni et angeli adsunt apud illos qui in amore spirituali et coelesti sunt, et spiritus mali apud illos qui solum in amore corporeo et mundano, et hoc in tantum, ut quisque scire possit, quales spiritus apud se sunt, modo observet quales sui amores sunt, seu quod idem, quales fines, nam quisque pro fine habet quod amat. Quod se deum dixerit, est quia Jacob id credidit; sicut ejus posteri, qui jugiter crediderunt, quod Jehovah esset in externo eorum sancto, cum tamen Jehovah modo repraesentative praesens fuisset, ut ex sequentibus constabit; crediderunt etiam quod Jehovah induceret in tentationes, *quod* omne malum ab Ipso, quodque in ira et furore esset cum punirentur, quapropter secundum fidem eorum in Verbo ita dictum est, cum tamen Jehovah nusquam inducit in tentationes, nusquam aliquod malum ab Ipso, nusquam in ira, minus in furore est, videatur n: 223. 245. 592. 696. 1093. 1683. 1874. 1875. 2395. 3605. 3607. 3614: inde etiam est, quod ille qui cum Jacobo luctatus est, nomen suum non revelare voluerit. Quod in sensu interno spirituali per illum qui luctatus cum Jacobo, intelligatur coelum Angelicum, n: 4295, [40] est quia *Dominus*, qui ibi in sensu supremo per Jacobum repraesentatur, admiserit etiam angelos qui tentarent, et quod angeli tunc suo proprio relicti fuerint, ut ibi loci ostensum est.

4308. Quod in sensu interno historico, per *dixit quare hoc interrogas ad nomen meum*, significetur quod non agnoscerent a malis spiritibus, constat ab illis quae mox supra n: 4307, dicta sunt.

4309. Quod in sensu interno historico per *benedixit ei ibi*, significetur quod ita factum, constat ex significatione benedicere hic, quod sit quod agerent repraesentativum Ecclesiae, de qua n: 4290, ideo hic per benedixit ei ibi, significatur quod ita factum.

4310. Quod in sensu interno historico, per *vocavit Jacob nomen loci Peniel*, significetur status quod induerent repraesentationes, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua saepius prius; a significatione loci, quod sit sta-

tus; de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387; et ex significatione Peniel, quod in hoc sensu sit induere repraesentationes, nam de his agitur in illis quae praecedunt et quae insequuntur: quid Peniel significat, explicatur per haec verba „quia vidi Deum facies ad facies, et liberata anima mea" per quae significatur, quod Dominus repraesentative praesens, de qua re mox sequitur, ita hic quod induerent repraesentationes. Nomina locorum, sicut nomina personarum, ut et ipsae res, non significant similiter in uno sensu, ac in altero; sicut ipse Jacob, is in sensu literae significat ipsum Jacobum; in sensu interno historico posteritatem ejus, n: 4281; in sensu interno spirituali naturalem hominem apud regeneratum; in sensu autem supremo Dominum quoad Divinum Naturale, ut saepius ostensum est; ita quoque reliqua nomina; ac ita Peniel.

4311. Quod in sensu interno historico per quia *vidi deum facies ad facies et liberata anima mea*, significetur quod repraesentative praesens, constat ex significatione videre deum facies ad facies, cum illa praedicantur de statu in quo fuerunt posteri Jacobi, quod sit quod Dominus esset repraesentative praesens, nam videre Deum facies ad facies in externa forma et corporeo visu, non est videre Ipsum praesentem, n: 4299; quod non praesens fuerit, sicut apud illos qui regenerati sunt, et inde in amore spirituali et fide, patet ab illis quae de gente illa, n: 4281. 4288. 4290. 4293, dicta sunt, quod nempe in cultu externo fuerint, et non simul in interno, seu quod idem, quod in amore corporeo et mundano, et non in spirituali et coelesti; apud tales Dominus nusquam aliter praesens potuit esse, quam repraesentative: quid sit repraesentative praesens esse, paucis dicendum; homo qui in amore corporeo et mundano est, et non simul in amore spirituali aut coelesti, apud se non alios spiritus habet quam malos, etiam cum in sancto externo est; boni enim spiritus apud talem nequaquam adesse possunt, nam percipiunt illico in quali amore homo est, est sphaera quae exhalatur ab interioribus ejus, quam percipiunt spiritus tam manifeste, sicut homo odoratu tetra et foeda quae circum eum in aëre volitant; gens illa, de qua hic agitur, in tali statu quoad bonum et verum, seu quoad amorem et fidem fuit; ut tamen usque repraesentativum Ecclesiae agerent, miraculose a Domino pro-

videbatur, ut cum in sancto externo essent, et quoque tunc circumfusi malis spiritibus, sanctum tamen usque, in quo erant, elevaretur in coelum, at hoc per spiritus bonos et angelos non intra illos sed extra illos, nam intra illos non nisi quam vacuum aut spurcum fuit; quapropter non dabatur communicatio cum ipso homine, sed cum ipso sancto, in quo erant cum statuta et praecepta, quae omnia repraesentativa spiritualium et coelestium Regni Domini erant, agerent; hoc significatur per quod Dominus apud illam gentem repraesentative praesens esset: aliter vero est Dominus praesens apud illos intra Ecclesiam, qui in amore spirituali et inde in fide sunt, apud hos sunt spiritus boni et angeli non modo in externo cultu, sed etiam simul in interno, quare apud hos datur communicatio coeli cum ipsis, influit enim Dominus per coelum per interna eorum in externa; his prodest in altera vita sanctum cultus, non autem illis. Similiter se habet cum sacerdotibus et presbyteris, qui sancta praedicant et tamen male vivunt et male credunt, apud eos nec sunt boni spiritus sed mali, etiam cum in cultu in externa forma sancto apparente sunt, est enim amor sui et mundi seu amor ad aucupandos honores, atque captandum lucrum, et propter illa famam, quae accendunt illos, et sistunt affectionem sancti, quandoque usque adeo, ut nihil simulatum appercipiatur, et tunc nec credatur ab ipsis; cum tamen in medio malorum spirituum sunt, qui in simili tunc statu sunt, ac aspirant et inspirant; quod mali spiritus in tali statu possint esse, et quod sint, cum in externis sunt, et sufflaminantur ab amore sui et mundi, ex multiplici experientia mihi scire datum, de qua, ex Divina Domini Misericordia, in illis quae ad finem Capitum sequuntur; illi nec communicationem habent cum coelo apud se, sed qui audiunt et capiunt verba ab ore illorum, si in pio et sancto interno sunt, habent; nam nihil refert, a quo vox boni et veri effluit, modo non vita illis manifeste scelerata sit, nam haec scandalizat. Quod gens ex Jacobo talis fuerit, nempe quod circumfusa malis spiritibus, et tamen Dominus apud illos repraesentative praesens fuerit, constare potest a pluribus locis in Verbo, nihil enim minus quam Jehovam corde coluerunt, nam ut plurimum miracula deerant, illico ad alios deos se verterunt, et idololatrae facti sunt, quod

manifestum indicium fuit; quod alios deos corde coluerint, et Jehovam modo ore confessi sint, et quidem solum ob causam, ut maximi essent et supereminerent omnibus gentibus circumcirca; quod populus ille corde coluerit idolum Aegyptiacum, et modo ore confessi Jehovam ob miracula, et inter eos Ipse Aharon, patet luculenter a vitulo aureo, quem Aharon illis fecit, et hoc post mensem dierum postquam tanta miracula viderunt in monte Sinai, praeter quae viderunt in Aegypto, de quibus Exod: XXXII; quod Aharon etiam talis fuerit, dicitur manifeste in eodem Capite, Versu 2. 3. 4. 5, et imprimis Vers: 35; praeter a multis aliis locis, de quibus apud Mosen, in Libro Judicum, in Libris Samuelis, et in Libris Regum. Quod solum in externo cultu, non autem in aliquo interno fuerint, patet [41] etiam inde, quod prohiberetur illis ne accederent ad montem Sinai, cum Lex promulgabatur, et si tangerent montem, quod moriendo morituri essent, Exod: XIX: 11. 12. 13. Cap: XX: 16 [. 19]; causa erat, quia internum eorum erat immundum: etiam apud Eundem „ Quod Jehovah habitaret cum illis in medio immunditiarum eorum " Levit: XVI: 16: qualis fuit gens illa, etiam constat ex Cantico Mosis, Deut: XXXII: 15 ad 43; et a pluribus locis apud Prophetas: inde sciri potest, quod apud illam gentem non fuerit aliqua Ecclesia, sed modo repraesentativum Ecclesiae; et quod Dominus apud illam modo repraesentative praesens fuisset: Videantur etiam quae prius de illis allata sunt, nempe, quod apud posteros Jacobi repraesentativum Ecclesiae fuerit, non autem Ecclesia, n: 4281. 4288. Quod repraesentativum Ecclesiae apud illos non prius institutum fuerit, quam postquam prorsus quoad sanctum internum vastati essent, et quod alioquin prophanavissent sancta, n: 3398. 4289. Quod, cum in statutis permanserunt, repraesentare possent, non autem cum ab illis deflexerunt, n: 3881 f. Quod ideo stricte tenerentur in ritualibus; et quod ad illa adigerentur per media externa, n: 3147. 4281. Ut repraesentativum Ecclesiae agerent, quod cultus eorum factus sit externus absque interno, n: 4281. Quod etiam ideo interiora Ecclesiae illis non detecta fuerint, n: 301. 302. 303. 2520. 3398. 3479. 3769. Quod tales fuerint, ut prae aliis in sancto externo potuerint esse, absque interno, n: 4293. Et quod ideo ad hunc diem conser-

vati sint, n: 3479. Quod sanctum externum eos quoad animas nihil afficiat n: 3479. [42]

4312. Quod in sensu interno historico, per *exortus ei sol* significetur cum venirent in repraesentationes, constat ex significatione exoriri sol in hoc sensu, in quo agitur de posteris Jacobi, quod sit cum venirent in repraesentationes; per ascensum aurorae significatus est status antequam venirent in repraesentativa, n: 4289. Exoriri etiam dicitur sol apud unumquemvis qui fit Ecclesia, ita quoque qui fit repraesentativus Ecclesiae.

4313. Quod in sensu interno historico, per *sicut transivit Penuel*, significetur cum venirent in terram Canaanem, constat ex eo, quod Penuel erat prima statio postquam Jacob transivit fluvium Jabbock, et quod omnes termini essent significativi secundum distantiam et situm, n: 1585. 1866. 4116. 4240; ita Penuel, quia primus terminus, significat cum veniret in terram Canaanem.

4314. Quod in sensu interno historico, per *is claudicans super femore suo*, significetur quod bona et vera prorsus deperdita essent apud posteritatem illam, constat ex repraesentatione Jacobi, qui hic est Is, quod sit posteritas ejus, de qua n: 4281; et ex significatione claudicare super femore, quod sint illi qui in nullo bono sunt, et inde in nullo vero, de qua n: 4302; hic ideo per is claudicans super femore suo, significatur quod bona et vera prorsus deperdita essent apud posteritatem illam. Qualis illa gens fuerat, patet manifeste a pluribus, quae Ipse Dominus in parabolis loquutus est, quae in sensu interno historico de illa Gente dicta sunt; ut quae in Parabola de homine Rege, qui conferebat rationem cum servo, in quo nihil misericordiae erga alterum, Matth: XVIII: 23 ad f. In Parabola de Patrefamilias, qui „ locavit vineam agricolis, et peregre abiit, et agricolae apprehenderunt servos quos misit, et ceciderunt virgis, occiderunt, et lapidarunt, tandem filium quem ejecerunt extra vineam, et occiderunt: quam parabolam audientes scribae et Pharisaei cognoverunt quod de ipsis " Matth: XXI: 33 seq: 45. Marc: XII: 1 ad 9. Luc: XX: 9 seq: In Parabola de „ homine, qui dedit servis talenta; et qui unum talentum accepit, abiens abscondidit in terra " Matth: XXV: 14 ad 30, Luc: XIX: 13 ad 16. In Parabola de „ illis qui venerunt ad vulneratum a la-

tronibus» Luc: X: 30 ad 37. In Parabola de illis qui ad magnam Coenam vocati sunt, et omnes se excusarunt, de quibus Dominus „Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati fuerunt, gustaturus sit coenam meam» Luc: XIV: 16 ad 24. In Parabola de „divite et Lazaro» Luc: XVI: 19 ad f: In Parabola de illis „qui contemnunt alios prae se» Luc: XVIII: 10 ad 14. In Parabola de „duobus filiis, quorum unus dixit, ego abibo in vineam, sed non abiit: et dixit Jesus, amen dico vobis, quod publicani et meretrices praecedent vos in Regnum Coelorum» Matth: XXI: 28. 29. 30. 31. 32. Qualis esset gens illa, Dominus aperte dicit apud Matthaeum Cap: XXIII: 13 seq: ubi ad finem „Testamini contra vos ipsos, quod filii sitis eorum, qui occiderunt prophetas, et vos impletis mensuram patrum vestrorum,» XXIII: 13 seq: 31. 32. 33: Apud Marcum „Jesus dixit illis, recte prophetavit Esaias de vobis, hic populus labiis Me honorat, cor vero eorum prorsus abest a Me; frustra colunt Me, docentes doctrinas praecepta hominum, deserentes mandatum Dei» VII: 6 ad 13: Apud Johannem „Judaei responderunt Jesu, quod semen Abrahami essent; sed Jesus illis dixit, vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in illo; quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendacium loquens est, et pater ejus» VIII: 33. 44. Quia tales erant, etiam vocantur Generatio prava et adultera, Matth: XII: 39; [43] tum „progenies viperarum,» Matth: III: 7. Cap: XXIII: 33. [44] Luc: III: 7: et apud Matthaeum „O progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum mali sitis» XII: 34. Quod apud illam Gentem ne quidem bonum naturale ullum residuum esset, significatur per Ficum, de qua apud Matthaeum „Jesus videns ficum unam in via, venit ad eam, sed nihil invenit in ea nisi folia tantum, ideo dixit illi, ne posthac ex te fructus nascatur in aeternum, [45] unde arefacta est ex tempore ficus» XXI: 19, quod ficus sit bonum naturale, videatur n: 217. Ex his constare potest, quod bona et vera prorsus deperdita essent apud Gentem illam. Bona et vera deperdita dicuntur, cum interius nulla sunt; bona et vera quae extrinsecus apparent, trahunt suum esse et suum vivere ab internis; qualia itaque inter-

na sunt, talia sunt externa, utcunque haec coram oculis hominis apparent: sunt aliqui, quos cognovi in vita corporis eorum, et qui tunc apparuerunt sicut in Zelo pro Domino, pro Ecclesia, pro Patria et Communi Bono, et pro Justo et Aequo, et tamen iidem in altera vita inter infernales sunt, et quod miratus, inter pessimos ibi; causa fuit, quod interiora eorum foeda et prophana fuissent, et quod mentiti Zelum illum propter famam ad aucupandum honores et quoque ad lucrandum opes, ita propter se, non autem propter illa quae ore professi sunt: quapropter cum externa illa exuuntur, quod fit cum moriuntur, patent interna, et apparent sicut fuerunt intus, quae, dum vixerunt, coram mundo absconderunt: haec sunt quae intelliguntur per quod bona et vera prorsus deperdita sint.

4315. Quod in sensu interno historico, per *propterea non edunt filii Israëlis nervum emoti qui supra vola femoris*, significetur quod posteri hoc scire deberent, constare potest ex eo, quod id fuerit memoriale, per quod recordarentur, quod tales essent; ita quod inde hoc scire deberent.

4316. Quod in sensu interno historico, per *usque ad diem hunc*, significetur in perpetuum quod tales, constat a significatione usque ad diem hunc, quod, ubi in Verbo nominatur, sit perpetuum, de qua n: 2838. Quod posteritas illa talis fuerit a primis temporibus, constare potest ab ipsis filiis Jacobi, a *Rubene,* quod „ cubuerit cum Bilha concubina patris sui, " Genes: XXXV: 22: a *Schimeone* et *Levi*, quod occiderint Chamorem et Sechemum, et omnes viros urbis illorum, et quod *reliqui filii* venerint super confossos, et depraedati sint urbem, Genes: XXXIV: 1 seq: 27. 28. 29; ideo de illis Jacobus, tunc Israël, antequam moreretur, ita loquutus est; de Reubene „ Non eris superior, quia ascendisti cubilia patris tui, tunc indignum fecisti te, stratum meum ascendit " Gen: XLIX: 3 [. 4]: et de Schimeone et Levi „ In arcanum eorum ne veniat anima mea, cum congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in proposito suo enervarunt bovem: maledicta ira eorum quia vehemens, et furor eorum quia gravis est, dividam eos inter Jacobum, et dispergam eos inter Israëlem " Genes: XLIX: 5. 6. 7. Qualis *Jehudah* fuit, etiam constare potest ex eo, quod uxorem Canaanitidem duxerit, Genes:

XXXVIII: 1. 2, quod tamen contra praeceptum fuit, ut constare potest ex Abrahami verbis ad servum, qui missus ad desponsandum Rebeccam filio suo Jischako, Genes: XXIV: 3. 6, et a pluribus locis in Verbo; quod Tertia pars gentis illius ex stirpe illa sit, nempe ex filio Schelah qui ex matre Canaanitide, Genes: XXXVIII: 11. Cap: XLVI: 12, videatur Num: XXVI: 20. I Chron: IV: 21. 22: Et porro a nefario facinore eorum et reliquorum filiorum Jacobi contra Josephum, Genes: XXXVII: 18 ad fin: Posteri eorum, qui in Aegypto, quales fuerint, patet ab iis quae memorantur de illis cum fuerunt in deserto, ubi toties rebelles fuerunt, et dein in terra Canaane, ubi toties idololatrae facti sunt: demum quales fuerunt tempore Domini, mox supra n: 4314, [46] ostensum est: quales hodie sunt, nempe contra Dominum, contra illa quae sunt Ecclesiae, et contra charitatem erga proximum, et contra seipsos mutuo, notum est: inde constare potest, quod Gens illa perpetuo talis fuerit: ne itaque amplius opinetur aliquis quod apud illos aliqua Ecclesia fuerit, sed modo repraesentativum Ecclesiae, minus quod illi prae aliis electi fuerint.

4317. Quod in sensu interno historico, per *quia tetigit in vola femoris Jacobi nervum emoti*, significetur quia haereditarium illis quod per regenerationem eradicari non potuit, quia non admitterent, constat ex significatione femoris, quod sit amor conjugialis, et inde omnis amor coelestis et spiritualis, de qua n: 4280, et quod vola femoris sit ubi conjunctio amoris conjugialis, tum omnis amoris coelestis et spiritualis cum bono naturali, n: 4277. 4280, inde tangere illam, seu laedere ut inde claudicatio, est destruere bonum quod amorum illorum est, et quia hoc in Jacobo, significatur quod ab illo id apud posteros, ita haereditarium; quod nervus emoti sit falsum, videatur n: 4303, hic falsum quod a malo haereditario; quod haereditarium hoc per regenerationem illis eradicari non potuerit, quia non admitterent, inde et ex serie sequitur. Quod tale haereditarium illis fuerit, et quod non regenerari potuerint, constat manifeste ab omnibus iis quae de illis memorantur in Verbo, et adhuc ab his apud Mosen „Vocavit Moses omnem Israëlem, et dixit ad eos, vos vidistis omnia quae fecit Jehovah in oculis vestris in terra Aegypti Pharaoni et omnibus servis ejus, et omni

terrae ejus; et *non dedit Jehovah vobis cor ad sciendum, et oculos ad videndum, et aures ad audiendum, usque ad diem hunc*," Deut: XXIX: 2. 3: apud Eundem „*Novi figmentum populi*, quod is faciens hodie, antequam introduco illum in terram, quam juravi," Deut: XXXI: 21: [47] et porro „Abscondam facies meas ab eis, videbo quid novissimum, nam *generatio perversitatum* illi, filii non veritas in eis. Exterminarem eos, cessare facerem ex homine memoriam eorum, nisi indignationem inimici timerem. Quia gens periens consiliis illi, et non in eis intelligentia, quia *ex vite Sodomae vitis eorum, et ex agris Amorae uvae eorum, uvae cicutae*, botri amari eis. *Venenum draconum* vinum eorum, et *caput aspidum* crudele. Nonne illud reconditum apud Me, sigillatum in thesauris meis," Deut: XXXII: 20. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34, et alibi quam pluries, imprimis apud Jeremiam. Quod hoc significatum sit per tactum volae femoris Jacobi et claudicationem ejus inde, patet apud Hoscheam „Lis Jehovae cum Jehudah, ad visitandum super Jacob, juxta vias ejus, et juxta opera ejus reddet ei. In utero supplantavit fratrem suum; in dolore suo contendit cum Deo, et contendit ad angelum, et praevaluit, flevit et rogavit illum," XII: 3. 4. 5, ubi contendere cum Deo in sensu interno historico est instare ut repraesentativum Ecclesiae esset apud illos, n: 4290. 4293: quod tale haereditarium illis fuerit ab ipso Jacobo, inde patet, et adhuc pluribus ostendi potest, sed pro tempore supersedendum. Quod in specie Haereditarium attinet, creditur hodie in Ecclesia, quod omne malum haereditarium sit a primo parente, et quod ideo omnes quoad illud damnati sint; sed res non ita se habet; malum haereditarium originem ducit a cujusvis parentibus et parentum parentibus seu avis et atavis successive; omne malum, quod illi per actualem vitam sibi compararunt, usque ut per frequentem usum seu habitum naturae instar induerit, hoc derivatur in liberos, et fit illis haereditarium, una cum illo quod parentibus implantatum est ab avis et atavis; malum haereditarium a patre est interius, et malum haereditarium a matre est exterius, illud non facile eradicari potest, hoc autem potest: cum regeneratur homo, tunc exstirpatur malum haereditarium a proximis parentibus irradicatum, at apud illos qui non regenerantur, aut regenerari

possunt, remanet: hoc nunc est malum haereditarium, videatur etiam n: 313. 494. 2122. 2910. 3518. 3701: id quoque patet cuivis qui reflectit, et quoque ex eo, quod unaquaevis familia aliquod peculiare malum aut bonum habeat, per quod distinguitur ab aliis familiis, quod id a parentibus sit et avis, notum est. Similiter Gens Judaica quae hodie superest, quod illa a caeteris gentibus distincta sit et internoscatur, non solum ex peculiari genio, sed etiam ex moribus, loquela et facie, constat. Quid autem malum haereditarium, pauci sciunt, creditur quod sit facere malum, sed est velle et inde cogitare malum, in ipsa voluntate et inde cogitatione est malum haereditarium, est ipse conatus qui inest, et quoque cum bonum facit se adjungit; noscitur per jucundum cum alteri malum accidit; radix illa alte latet, ipsa enim forma interior recipiens bonum et verum e coelo, seu per coelum a Domino, est depravata, ac, ut ita dicatur, detorta, sic ut cum bonum et verum a Domino influit, id vel reflectatur, vel pervertatur, vel suffocetur: inde est quod perceptio boni et veri hodie nulla detur, sed loco ejus conscientia apud regeneratos, quae pro bono et vero agnoscit, quod a parentibus et magistris discitur: ex malo haereditario est amare se prae altero, velle alteri malum si se non honorat, jucundum percipere in vindictis, tum quoque amare mundum prae coelo, et omnes cupiditates seu affectiones malae quae inde: homo ignorat, quod talia ei insint, et magis quod talia sint opposita affectionibus coelestibus, sed usque in altera vita, quantum mali ex haereditario per actualem vitam sibi attraxerit, manifeste ostenditur, tum quantum per affectiones malas inde se removerit a coelo. Quod malum haereditarium posteris Jacobi per regenerationem eradicari non potuerit, quia non admitterent, patet quoque ex historicis Verbi, succubuerunt enim in omnibus tentationibus in deserto, de quibus apud Mosen; et quoque postea in terra Canaane, quoties non miracula viderent, et tamen tentationes illae fuerunt externae, non autem internae seu spirituales, quoad spiritualia non tentari potuerunt, quia interna vera non sciverunt, nec interna bona habuerunt, ut prius ostensum est, et nemo tentari potest, quam quoad illa quae scit et quae habet, tentationes sunt ipsissima media regenerationis: haec significantur per quod regenerationem non ad-

mitterent de illorum statu et sorte in altera vita, videatur n: 939. 940. 941. 3481.

Continuatio de Maximo Homine et de Correspondentia, hic de Correspondentia cum Sensibus in genere.

4318. *Praecipuum intelligentiae, quod Angelis, est scire et percipere, quod omnis vita a Domino, tum quod Universum Coelum correspondeat Divino Humano Ipsius, et consequenter quod omnes Angeli, Spiritus, et Homines, correspondeant coelo; tum scire et percipere, qualiter correspondent: haec sunt principia intelligentiae, in quibus Angeli sunt prae hominibus; inde sciunt et percipiunt innumerabilia quae in coelis sunt, et inde quoque illa quae in mundo, nam quae in mundo et ejus natura existunt, sunt causae et effectus ab illis ut principiis; universa enim natura est Theatrum repraesentativum Regni Domini.*

4319. [48] *Multa experientia ostensum est, quod tam homo, quam spiritus, ut et angelus, nihil ex se cogitet, loquatur et agat, sed ab aliis, nec hi alii a se, sed iterum ab aliis, et sic porro, ac ita omnes et singuli a Primo vitae, hoc est, a Domino, utcunque prorsus apparet sicut ex se: hoc saepius ostensum est Spiritibus, qui in vita corporis crediderunt et se confirmarunt, quod in se essent omnia, seu quod ex se et sua anima, in qua vita apparet insita, cogitent, loquantur et agant: ostensum quoque per vivas experientias, [quales in altera vita dantur sed non dari possunt in mundo] quod mali cogitent, velint et agant ab inferno, et boni ex coelo, hoc est, per Coelum a Domino; et quod usque appareant mala et quoque bona sicut ab ipsis: hoc sciunt Christiani ex Doctrinali quod ex Verbo, nempe quod mala ex diabolo, et bona a Domino, sed pauci sunt qui credunt; et quia non credunt, appropriant sibi mala quae cogitant, volunt et agunt, sed bona illis non appropriantur, nam qui credunt bona a se esse, sibi illa vindi-*

cant et tribuunt, ac ita meritum in illis ponunt; sciunt etiam ex doctrinali in Ecclesia, quod nemo facere possit aliquod bonum a se, usque adeo, ut quicquid a se et suo proprio, sit malum, utcunque ut bonum appareat, sed etiam hoc pauci credunt, tametsi verum est. Mali qui se confirmarunt in illa opinione, quod vivant ex se, proinde quicquid cogitant, volunt et agunt ex se sit, cum illis ostensum quod res se habeat prorsus secundum doctrinale, dixerunt quod nunc credant, sed dictum est illis, quod scire non sit credere, et quod credere sit internum, et quod id dari nequeat nisi in affectione boni et veri, proinde non aliis, quam qui in bono charitatis erga proximum sunt; iidem spiritus, quia mali, instabant, quod nunc credant quia viderunt; sed exploratum est per experientiam in altera vita familiarem, quod nempe ab Angelis inspiciantur, cum illi inspicerentur, apparuit superior Capitis eorum pars subtracta, ac Cerebrum hirsutum capillare et tenebricosum, inde patuit quales intus essent qui modo fidem scientificam habent, non veram, et quod scire non sit credere; qui enim sciunt et credunt, illorum caput apparet sicut humanum, et cerebrum ordinatum, niveum et lucidum, nam lux coelestis ab illis recipitur; sed qui modo sciunt, et putant se inde credere, et tamen non credunt, quia in malo vivunt, apud illos non lux coelestis recipitur, proinde non intelligentia et sapientia quae luci illi insunt; quapropter cum approximant ad societates angelicas, hoc est, ad lucem coelestem, vertitur haec illis in tenebras; inde est, quod Cerebrum illorum apparuerit tenebricosum.

4320. *Quod vita quae a Solo Domino appareat apud unumquemque, sicut foret in ipso, est ex Amore seu Misericordia Domini erga universum Genus humanum, quod nempe unicuique velit appropriare quod suum est, et unicuique dare felicitatem aeternam; quod amor approprìet alteri quod suum est, notum est, sistit enim se in altero, et praesentem in illo facit, quid non amor Divinus: quod mali etiam recipiant vitam, quae a Domino, se habet sicut objecta mundi, quae omnia recipiunt lucem a sole, et inde colores, sed secundum formas; objecta quae suffocant lucem et pervertunt, apparent colore nigro aut foedo, at usque nigrum suum et foedum*

habent a luce solis; ita lux seu vita a Domino apud malos; at haec vita non est vita, sed est, sicut vocatur, mors spiritualis.

4321. *Haec tametsi apparent paradoxa et incredibilia homini, usque tamen non neganda, quia ipsa experientia dictat; si negarentur omnia, quorum Causae non sciuntur, negarentur innumerabilia quae existunt in natura, quorum vix quoad unam myriadis partem noscuntur causae, tot enim et tanta arcana ibi sunt, ut quae novit homo vix aliquid sint respective ad illa quae non novit; quid non arcana quae existunt in sphaera quae supra naturam est, hoc est, in mundo spirituali; sicut haec, quod unica vita sit et ex illa vivant omnes, et unusquisque aliter ac alter; quod etiam mali ex eadem vita vivant, et quoque inferna; et quod vita influens agat secundum receptionem: quod Coelum a Domino ita ordinatum sit ut referat Hominem, unde vocatur illud Maximus Homo, et quod inde correspondeant ei singula quae apud hominem; quod homo absque influxu inde in singula apud illum, ne quidem momento subsistere possit: quod omnes in Maximo Homine teneant situm constantem secundum quale et statum veri et boni, in quo sunt; quod situs ibi non sit situs, sed status, et inde quod constanter appareant ad sinistrum qui ad sinistrum, ad dextrum qui ad dextrum, antrorsum qui antrorsum, a tergo qui ad tergum, ad planum Capitis, Pectoris, Tergi, Lumborum, Pedum, supra caput et infra plantas, directe et oblique, ad minorem aut majorem distantiam, qui ibi sunt, utcunque et ad quamcunque plagam se spiritus circumvertit: quod Dominus ut Sol constanter appareat ad dextrum, ad mediam ibi altitudinem, paulo supra planum oculi dextri, et quod ad Dominum ut Solem et ad Centrum ibi se referant omnia, ita ad suum unicum, a quo existunt et subsistunt; et quia apparent omnes coram Domino constanter in suo situ secundum status boni et veri, ideo apparent singulis similiter, ex causa quia vita Domini, proinde Dominus, inest omnibus qui in coelo: praeter innumerabilia alia.*

4322. *Quis non hodie credit, quod homo ex semine et ovo existat naturaliter, et quod semini insit virtus a prima creatione se producendi in tales formas, primum intra ovum,*

dein in utero, et postea ex se, et quod non Divinum sit quod amplius producit: causa quod ita credatur, est quia nemo scit quod aliquis influxus sit [e] coelo, hoc est, per coelum a Domino, et hoc quia non scire volunt quod aliquod coelum sit; ventilant enim inter se aperte eruditi in conclavibus, num infernum sit, ita num Coelum; et quia de Coelo dubitant, ideo quoque non pro aliquo principio accipere possunt, quod influxus sit per coelum a Domino, qui tamen influxus omnia quae in tribus regnis telluris sunt, imprimis in Regno animali, et in specie in homine, producit, et continet in forma secundum usus: inde nec scire possunt, quod aliqua correspondentia sit inter coelum et hominem, minus quod talis sit, ut singula, imo singularissima apud illum inde existant, etiam quod inde subsistant, nam subsistentia est perpetua existentia, proinde conservatio in nexu et forma, est perpetua creatio.

4323. *Quod Correspondentia singulorum apud hominem cum coelo sit, ad finem Capitum praecedentium ingressus sum ostendere, et hoc ex viva experientia e mundo spirituum et e coelo, ob finem, ut sciat homo unde existit et unde subsistit, et quod inde continuus influxus in illum sit: postmodum pariter ab experientia ostendetur, quod homo influxum e coelo, hoc est, per coelum a Domino rejiciat, et influxum ab inferno acceptet; sed quod usque continue teneatur in correspondentia cum coelo a Domino, ut possit, si hoc eligat, duci ab inferno ad coelum, et per coelum ad Dominum.*

4324. *De Correspondentia Cordis et Pulmonum, tum Cerebri, cum Maximo Homine, prius ad finem Capitum actum est, hic secundum institutum de Correspondentia cum Sensoriis ejus externis agendum, nempe cum sensorio visus seu oculo, cum sensorio auditus seu aure, cum sensoriis olfactus, gustus et tactus; nunc autem primum cum sensu in communi.*

4325. *Sensus in communi, seu sensus communis, distinguitur in voluntarium et involuntarium; sensus voluntarius proprius est Cerebro, sensus autem involuntarius proprius est Cerebello; hi bini sensus communes conjuncti sunt apud hominem, sed usque distincti; fibrae quae ex Cerebro effluunt sistunt in communi sensum voluntarium, et fibrae quae ex Ce-*

rebello sistunt in communi sensum involuntarium; fibrae duplicis illius originis se conjungunt in binis appendicibus, quae Medulla oblongata et Medulla spinalis vocantur, et per illas transeunt in corpus, et conformant ejus membra, viscera et organa; quae circumcingunt corpus, ut Musculi et cutis, tum quoque organa sensuum, illa ad plurimam partem accipiunt fibras a Cerebro; inde sensus homini et inde motus secundum voluntatem ejus; at quae intra illam cincturam seu clausuram sunt, et viscera corporis vocantur, accipiunt fibras a Cerebello, inde homo illorum sensum non habet, nec sub voluntatis ejus arbitrio sunt: inde aliquatenus constare potest, quid sensus in communi, seu sensus communis voluntarius, et sensus communis involuntarius. Praeterea sciendum, quod commune erit ut sit aliquid particulare, et quod particulare nusquam existere et subsistere possit absque communi, et quidem quod subsistat in communi; et quod omne particulare se habeat secundum quale et secundum statum communis; ita quoque sensus apud hominem, et ita quoque motus.

4326. *Auditus est susurrus tonans, qui defluebat ex altiori supra occipitium et circum totam ejus regionem perstabat, miratus quinam essent; mihi dictum, quod essent qui referrent Sensum communem involuntarium; et porro dictum, quod ii bene percipere possent hominis cogitata, sed non volunt exponere et eloqui, sicut Cerebellum quod percipit omne id quod Cerebrum, sed non evulgat. Cum cessavit eorum operatio manifesta in omnem provinciam occipitii, ostensa est eorum operatio quousque se extenderet; determinabatur primum in totam faciem, dein se trahebat versus faciei partem sinistram, et demum versus aurem ibi; quibus significabatur qualis operatio sensus communis involuntarii fuerit a primis temporibus apud homines in hac tellure, et quomodo progressa. Influxus ex Cerebello se insinuat imprimis in faciem, quod constat ex eo, quod faciei inscriptus sit animus, et quod in facie appareant affectiones, et hoc utplurimum absque hominis voluntate, sicut timor, reverentia, pudor, laetitiae varia genera, etiam tristitiae, praeter plura, quae alteri inde nota fiunt, ita ut ex facie sciat, quae affectiones, et quae mutationes animi mentisque ejus sint; haec a Cerebello per ejus fibras, quando non*

simulatum inest: ostensum ita, quod sensus communis primis temporibus, seu apud Antiquissimos, occupaverit totam faciem, et quod successive post illa tempora modo sinistram ejus partem, et denique post haec tempora se effuderit extra faciem, adeo ut hodie vix aliquis sensus communis involuntarius in facie residuus sit: dextra pars faciei cum dextro oculo correspondet affectioni boni; sinistra autem affectioni veri; regio ubi auris soli Obedientiae absque affectione: apud Antiquissimos enim, quorum saeculum dictum fuit aureum, quia in quodam statu integritatis, ac in amore in Dominum, inque amore mutuo sicut angeli vixerunt, patuit omne involuntarium Cerebelli in facie, et tunc prorsus non sciebant vultu aliud sistere, quam prout influxit coelum in conatus involuntarios, et inde in voluntatem: sed apud antiquos, quorum saeculum dictum fuit argenteum, quia in statu veritatis, et inde in Charitate erga proximum fuerunt, patuit involuntarium quod Cerebelli non in faciei parte dextra, sed modo in sinistra; at apud posteros illorum; quorum tempus fuit dictum saeculum ferreum, quia non in affectione veri, sed in Obedientia veri degerunt, non amplius patuit involuntarium in facie, sed recepit se in regionem circum aurem sinistram: instructus sum quod fibrae cerebelli effluxum suum in faciem ita mutaverint, et quod loco illarum fibrae e Cerebro illuc translatae sint, quae tunc imperant illis quae ex Cerebello; et hoc ex conatu formandi vultus faciei secundum nutus voluntatis propriae, quae ex Cerebro: haec non apparent homini quod ita sit, sed manifeste patet Angelis ex influxu coeli et correspondentia.

4327. *Sensus communis involuntarius hodie talis est apud illos qui in bono et vero fidei sunt; sed apud illos, qui in malo sunt et inde in falso, non amplius est aliquis sensus communis involuntarius qui se manifestat, nec in facie, nec in loquela, nec in gestu, sed est voluntarium, quod mentitur involuntarium, seu naturale ut vocatur, quod tale fecerunt per frequentem usum seu habitum ab infantia: qualis is sensus apud illos sit, ostensum est per influxum, qui erat tacitus et frigidus, in totam faciem, tam in dextram ejus partem quam in sinistram, et inde se determinans versus oculos, et ab oculo sinistro se extendens in faciem; quibus significabatur quod se fibrae Ce-*

rebri ingesserint, et imperent fibris Cerebelli, et quod inde fictitium, simulatum, mentitum et dolosum intus regnet, et extus appareat sincerum et bonum; quod determinaretur versus oculum sinistrum, et inde quoque in faciem, significabat quod pro fine habeant malum, et intellectuali parte utantur ad finem obtinendum, oculus enim sinister significat intellectuale. Illi hodie sunt, qui quoad maximam partem constituunt sensum communem involuntarium, qui tamen antiquitus fuerunt omnium coelestissimi, at hodie sunt omnium scelestissimi, et hoc maxime ex Orbe Christiano: sunt magno numero, et apparent sub occipitio et ad tergum, ubi multoties a me visi et percepti: nam qui illum sensum hodie referunt, sunt qui dolose cogitant, et excogitant mala contra proximum, et praeferunt vultum amicum, imo amicissimum, et quoque gestus similes, et loquuntur suaviter tanquam Charitate prae aliis praediti, et tamen infensissimi hostes sunt, non modo illius cum quo commercium habent, sed etiam generis humani: cogitationes eorum mihi communicatae sunt, quae erant nefandae et abominabiles, crudelitatibus et laniens plenae.

4328. *Ostensum mihi quoque est quomodo se habet in communi cum voluntario et cum intellectuali; Antiquissimi, qui Ecclesiam Coelestem Domini constituerunt, de quibus n:* 1114 *ad* 1123, *habuerunt voluntarium in quo bonum, ac intellectuale in quo verum inde, quae duo apud illos faciebant unum; at antiqui, qui Ecclesiam spiritualem Domini formarunt, habuerunt voluntarium prorsus deperditum, sed intellectuale integrum, in quo Dominus per regenerationem formabat novum voluntarium, et per id quoque novum intellectuale, videatur n:* 863. 875. 895. 927. 928. 1023. 1043. 1044. 1555. 2256. *Quomodo Ecclesiae coelestis bonum fuerat, ostensum est per columnam e coelo descendentem, quae coloris caerulei erat, ad cujus latus sinistrum erat lucidum sicut lucidum flammeum solare, per haec repraesentabatur status eorum primus, per colorem caeruleum illorum bonum voluntarium, et per lucidum flammeum illorum intellectuale: et postea caeruleum columnae transibat in flammeum obscurum, per quod repraesentabatur status eorum secundus, et quod binae eorum vitae, nempe voluntatis et intellectus usque unum agerent, sed obscu-*

rius quoad bonum e voluntate, caeruleum enim significat bonum, lucidum flammeum verum ex bono: postmodum columna illa facta est prorsus nigra, et circum columnam erat lucidum, quod variegabatur per quoddam candescens, et sistebat colores, quibus significabatur status Ecclesiae spiritualis; columna nigra significabat voluntarium quod prorsus deperditum esset, et quod non nisi quam malum; lucidum variegatum per quoddam candescens, significabat intellectuale in quo novum voluntarium a Domino; intellectuale enim in coelo repraesentatur per lucidum.

4329. *Spiritus veniebant ad aliquam altitudinem, auditi ex sono sicut multi, et compertum ex ideis cogitationis et loquelae eorum ad me derivatis sicut in nulla idea distincta, sed in communi plurium, essent; inde opinabar quod ab illis non aliquid distinctum posset percipi, sed modo aliquod commune indistinctum, ita obscurum, eram enim in opinione quod commune non aliud esset; quod cogitatio eorum esset communis, hoc est, simul plurium, manifeste potui ab illis quae in cogitationem meam inde influebant, appercipere: sed dabatur illis spiritus intermedius, per quem illi mecum loquebantur, nam tale commune non potuit cadere in loquelam nisi per alios, cumque loquerer cum illis per intermedium, dicebam, sicut opinatus, quod communia non possint distinctam ideam alicujus rei sistere, sed adeo obscuram, ut sit quasi nulla; verum post quadrantem horae ostendebant, quod distinctam communium, et plurium in communibus ideam haberent, per id imprimis, quod omnes variationes et mutationes cogitationum et affectionum mearum accurate et distincte observarent cum singularibus ibi, ut non alii spiritus melius; ex quibus concludere potui, quod aliud sit communis idea quae obscura, in qua sunt illi qui parum cognitionis habent, et inde in obscuro de omnibus sunt; et quod aliud communis idea quae clara, in qua sunt illi qui instructi sunt in veris [et] bonis, quae suo ordine et sua serie insinuata sunt in commune, et sic ordinata, ut ex communi videre illa distincte possent; hi sunt qui in altera vita constituunt* Sensum communem voluntarium, *et sunt qui per cognitiones boni et veri sibi acquisiverunt facultatem intuitivam rerum ex communi, ac inde contemplantur res simul ample, et*

discutiunt illico num ita sit; vident quidem res quasi in obscuro, quia a communi illa quae inibi sunt, sed quia distincte ordinatae sunt in communi, ideo usque sunt res illis in claro; hic communis sensus voluntarius non cadit nisi in sapientes: quod tales essent, etiam compertum est, nam intuebantur apud me omnia et singula, quae conclusionis essent, ex quibus tam dextre concludebant de cogitationum et affectionum mearum interioribus, ut inciperem timere aliquid plus cogitare, nam detegebant illa quae non sciebam quod apud me essent, et tamen ex conclusionibus ab illis factis non potui non agnoscere; inde percipiebam apud me torporem loquendi cum illis, qui torpor cum animadversus, apparuit quasi crinitum quid, et ibi aliquid mute loquens, dicebatur quod per illud significaretur commune sensitivum corporeum illis correspondens. Sequente die iterum cum illis loquutus sum, ac denuo expertus quod perceptionem communem non obscuram sed claram haberent, et quod sicut variebantur communia et communium status, ita variarentur particularia et eorum status, quia haec se referrent in ordine et serie ad illa. Dictum quod Sensus communes voluntarii adhuc perfectiores dentur in interiori coeli sphaera, et quod angeli cum in communi seu universali idea sunt, simul sint in singularibus, quae in universali distincte ordinantur a Domino, tum quod Commune et Universale non sint aliquid, nisi in illis sint particularia et singularia, a quibus sunt et ita dicuntur, et quod in tantum sint, in quantum haec insunt; et quod inde pateat, quod universalis Providentia Domini absque singularissimis, quae in illa, et a quibus illa, prorsus nihil sit, et quod stupidum sit statuere dari universale apud Divinum, et inde auferre singularia.

4330. *Quia Tres Coeli simul constituunt Maximum Hominem, et ei correspondent omnia Membra, Viscera et Organa corporis secundum functiones et usus eorum, ut supra dictum, non solum ei correspondent illa quae Externa sunt et ad visum exstant, sed etiam quae Interna et non ad visum exstant, proinde quae sunt Externi hominis, et quae sunt Interni: Societates spirituum et angelorum, quibus correspondent illa quae sunt Externi hominis, quoad multam partem sunt ex hac Tellure; quibus autem correspondent illa quae sunt Interni ho-*

minis, ad plurimam partem sunt aliunde; societates illae in coelis unum agunt, quemadmodum apud hominem regeneratum Externus et Internus homo: sed usque pauci hodie ex hac Tellure in alteram vitam veniunt, apud quos Externus homo unum agit cum Interno, sunt enim plerique Sensuales, usque adeo ut pauci sint, qui aliud credunt, quam quod Externum hominis sit omne hominis, et cum id recedit, ut fit cum moritur homo, vix aliquid residuum sit quod vivit, minus quod internum sit quod vivit in externo, et cum hoc recedit, illud imprimis vivat: ostensum est per vivam experientiam, quomodo hi sunt contra Internum hominem; erant Spiritus perplures ex hac Tellure, qui, cum vixerunt in mundo, tales fuerunt; in illorum conspectum veniebant Spiritus qui Internum Sensualem hominem referebant, et tunc illico coeperunt illi infestare hos, paene sicut irrationales illos qui rationales sunt, loquendo et ratiocinando continue ex fallaciis sensuum, exque illusionibus inde, et ex meris hypothesibus, nihil credentes quam quod confirmari posset per sensualia externa, ac insuper contumeliis afficiebant Internum hominem; sed illi qui Internum Sensualem hominem referebant, talia nihil curabant, mirati non modo illorum insaniam sed etiam stupiditatem; et quod mirabile, cum Sensuales externi approximarent ad Sensuales internos, et paene in sphaeram cogitationum illorum venirent, Sensuales externi incipiebant difficile respirare (respirant enim Spiritus et Angeli aeque ac homines, sed respiratio illis est interna respective, n: 3884. 3885 *seq:* 3893), *ita paene suffocari, quapropter recesserunt, et quo longinquius a Sensualibus Internis aberant, quia facilius respirabant, eo tranquillius et quietius inter illos factum est, et iterum quo propius accesserunt, eo intranquillius et irrequietius; causa fuit, quia cum Sensuales Externi in suis fallaciis, phantasiis et hypotheticis sunt, et inde in falsis, illis tranquillum est, at vicissim cum talia eis auferuntur, quod fit cum Internus homo cum luce veri influit, tunc illis intranquillum; sphaerae enim cogitationum et affectionum dantur in altera vita, et communicantur mutuo secundum praesentiam et accessionem, n:* 1048. 1053 [. 1316. 1504] *ad* 1512. 1695. 2401. 2489: *is conflictus perstabat per aliquot horas; et sic ostensum, quomodo homines hujus Tel-*

luris hodie contra Internum hominem sunt, et quod Sensuale externum faciat paene omne apud illos.

4331. *Continuatio de Maximo Homine, et de Correspondentia, ad finem Capitis sequentis, et ibi de Correspondentia cum Sensibus in specie.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

4332. Ante Caput praecedens explicata sunt, quae Dominus apud Matthaeum Cap: XXIV: Vers: 32. 33. 34. 35, praedixerat de Adventu suo, per quem quod intellectum sit Ultimum tempus Ecclesiae prioris, ac Primum Ecclesiae novae, ibi et passim prius ostensum est; de ultimo tempore seu fine Ecclesiae prioris, et de primo tempore seu Ecclesiae novae, hactenus actum est, videantur quae praecedunt ante Caput XXXI, n: 4056 ad 4060, et ante Cap: XXXII, n: 4229 ad 4231: [1] nunc explicanda sunt quae sequuntur in eodem Capite apud Evangelistam a Vers: 36 ad 42, nempe haec verba „ *De die autem illa et hora nemo scit, ne Angeli coelorum, nisi Pater meus solus. Sicut autem dies Noë, sic erit adventus Filii hominis. Quemadmodum enim erant in diebus ante diluvium, edentes et bibentes, nubentes et nuptui dantes, usque quo die intravit Noë in arcam. Et non cognoverunt donec veniret diluvium, et tolleret omnes, sic erit et adventus Filii hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, et unus derelinquetur. Duae molentes in mola, una assumetur, et una derelinquetur.* "

4333. Quid per illa verba significetur in sensu interno, constabit ab explicatione sequente, quod nempe describatur qualis status tunc futurus, cum Ecclesia vetus rejicitur, et nova instauratur: quod rejectio Ecclesiae veteris et instauratio novae sit quod intelligitur per Consummationem saeculi, et per Adventum Filii hominis, et in genere per Ultimum Judicium, pluries prius ostensum est; tum quod ultimum illud Judicium aliquoties exstiterit in hoc Orbe terrarum, nempe Primo, cum

Ecclesia Coelestis Domini, quae Antiquissima, in Antediluvianis periit, per inundationem malorum et falsorum, quae in sensu interno est diluvium. Secundo, cum Ecclesia Spiritualis, quae post diluvium, et Antiqua dicitur, per multum orbis Asiatici diffusa, ex se desiit. Tertio, cum Repraesentativum Ecclesiae apud Jacobi posteros destructum, quod factum cum decem Tribus in perpetuam captivitatem abductae sunt, ac inter gentes sparsae; et denique cum Hierosolyma destructa, et Judaei etiam dispersi; quia tunc Consummatio saeculi post adventum Domini fuit, ideo etiam plura quae apud Evangelistas de Consummatione illius saeculi a Domino dicta sunt, etiam ad illam gentem applicabilia sunt, et quoque a pluribus hodie applicantur; sed usque in specie et imprimis ibi agitur de Consummatione saeculi quae nunc instat, nempe de fine Ecclesiae Christianae, de qua etiam apud *Johannem* in Apocalypsi agitur; haec erit Quartum ultimum Judicium in hoc Orbe terrarum. Quid involvunt verba, quae continentur in Versibus 36 ad 42 supra allegatis, constabit a sensu eorum interno, qui talis est.

4334. *De die autem illa et hora nemo scit*, significat statum Ecclesiae tunc quoad bona et vera, quod non appariturus alicui nec in terra nec in coelo; per diem enim et horam hic non intelligitur dies et hora seu tempus, sed status quoad bonum et verum; quod tempora in Verbo significent status, videatur n: 2625. 2788. 2837. 3254. 3356, et quod etiam dies, n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785; inde quoque hora, sed statum in specie; quod sit status quoad bonum et verum, est quia de Ecclesia agitur, nam bonum et verum faciunt Ecclesiam. *Ne Angeli coelorum, nisi Pater meus solus*, significat quod Coelum non sciat statum Ecclesiae quoad bonum et verum in specie, sed Solus Dominus, et quoque quando status ille Ecclesiae affuturus; quod Ipse Dominus sit qui per Patrem intelligitur, videatur n: 15. 1729. 2004. 2005. 3690; et quod Divinum Bonum in Domino sit quod Pater nominatur, et Divinum Verum quod a Divino Bono, Filius, n: 2803. 3703. 3704. 3736: qui itaque credunt, quod alius sit Pater et alius Filius, et qui distinguunt illos, non intelligunt Scripturas. *Quemadmodum autem erant in diebus ante diluvium*, significat statum vastationis eorum qui ab Ecclesia, qui comparatur cum

statu vastationis Primae seu Antiquissimae Ecclesiae, cujus Consummatio saeculi seu Ultimum Judicium describitur in Verbo per diluvium; quod per diluvium significetur inundatio malorum et falsorum, et inde consummatio illius saeculi, videatur n: 310. 660. 662. 705. 739. 790. 805. 1120; quod dies sint status, videatur supra. *Edentes et bibentes, nubentes et nuptui dantes*, significat statum eorum quoad appropriationem mali et falsi, ac inde conjunctionem cum illis; quod edere sit appropriatio boni, et bibere appropriatio veri, videatur n: 3168. 3513 f. 3596, ita in opposito sensu appropriatio mali et falsi; quod nubere sit conjunctio cum malo, et nuptui dare conjunctio cum falso, constare potest ab illis quae de conjugio et amore conjugiali n: 686. 2173. 2618. 2728. 2729. 2737. 2738. 2739. 2803. 3132. 3155, dicta et ostensa sunt, quod nempe in sensu interno sit conjunctio boni et veri, hic autem in opposito sensu est conjunctio mali et falsi: quicquid Dominus loquutus est, quia Divinum, non tale est in sensu interno, quale in litera, sicut edere et bibere in Sancta Coena, non significat in sensu spirituali edere et bibere, sed appropriari bono Divini amoris Domini, n: 2165. 2177. [2] 2187. 2343. 2359. 3464. 3478. 3735. 4211. 4217; et sicut conjugiale cum praedicatur de Ecclesia et de Regno Domini, est conjunctio boni quod est amoris cum vero quod est fidei, ideo ex illa Regnum Domini in Verbo vocatur conjugium coeleste. *Usque quo die intravit Noë in arcam*, significat finem prioris Ecclesiae, et initium novae; per Noachum enim significatur Antiqua Ecclesia in genere, quae successit Antiquissimae post diluvium, n: 773, et alibi; et per arcam ipsa Ecclesia, n: 639: dies qui aliquoties in his versibus nominatur, significat statum, ut mox supra ostensum. *Et non cognoverunt donec veniret diluvium, et tolleret omnes*, significat quod homines Ecclesiae tunc non scient quod inundati sint malis et falsis, quia propter mala et falsa, in quibus sunt, ignoraturi quid bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum, tum quid verum fidei; et quod hoc sit inde, et non dabile quam apud eos qui in amore illa et in charitate illa vivunt; etiam ignoraturi quod internum sit quod salvat et damnat, non autem externum separatum ab interno. *Sic erit adventus Filii hominis*, significat Divinum Verum quod non acceptaturi;

quod adventus Filii hominis, sit Divinum Verum quod tunc revelabitur, prius ad Versum 27 et 30, dictum est, et n: 2803. 2813. 3704, tum 3004. 3005. 3006. 3008. 3009. *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, et unus derelinquetur*, significat illos qui intra Ecclesiam sunt in bono, et qui intra Ecclesiam in malo, quod qui in bono salvabuntur, et qui in malo damnabuntur; quod ager sit Ecclesia quoad bonum, videatur n: 2971. 3196. 3310. 3317. 3766. *Duae molentes in mola, una assumetur, et una derelinquetur*, significat illos qui sunt intra Ecclesiam in vero, hoc est, in affectione ejus ex bono, quod salvabuntur, et qui intra Ecclesiam in vero, hoc est, in affectione ejus ex malo, quod damnabuntur; quod molere et mola in Verbo illa significent, constabit ex nunc sequentibus. Ex his nunc patet, quod per illa verba describatur, qualis status futurus quoad bonum et verum intra Ecclesiam, quando illa rejicitur, et nova adoptatur.

4335. Quod Molentes in Verbo sint illi qui intra Ecclesiam sunt in vero ex affectione boni, et in opposito sensu qui intra Ecclesiam sunt in vero ex affectione mali, constare potest ab his locis; apud Esaiam „Descende et sede super pulvere, virgo filia Babelis; sede in terra, non thronus, filia Chaldaeorum, *sume molam, et mole farinam*, revela crines tuos, denuda pedem, revela femur, transi fluvios" XLVII: 1. 2, filia Babelis pro illis apud quos externa apparent sancta et bona, sed interiora prophana et mala, n: 1182. 1326; filia Chaldaeorum pro illis apud quos externa apparent sancta et vera, sed interiora prophana et falsa, n: 1368. 1816, sumere molam et molere farinam, pro excludere doctrinalia ex veris quae pervertant, farina enim, quia ex tritico aut hordeo, significat vera ex bono, at in opposito sensu vera quae pervertunt ad seducendum. Apud Jeremiam „Perdam ab illis vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae, *vocem molarum*, et lucem lucernae; et erit tota terra haec in vastitatem et desolationem" XXV: 10. 11: et apud Johannem „Omnis artifex omnis artis non invenietur in Babylone amplius, *omnis vox molae non audietur in illa amplius*, et lux lucernae non lucebit in illa amplius, et vox sponsi et sponsae non audietur in illa amplius" Apoc: XVIII: 21. 22. 23; vox molae non audietur

in Babylone amplius pro non verum; non lux lucernae lucebit, pro nec intelligentia veri. In Threnis „ Mulieres in Zione compresserunt, virgines in urbibus Jehudae; principes manu eorum suspensi, facies senum non honoratae; *juvenes ad molendum abducti*, et pueri in ligno cadunt " V: 11. 12. 13. 14, juvenes ad molendum abducti, pro ad excludendum falsa, applicando vera, et sic persuadendo. Apud Mosen „ Morietur omnis primogenitus in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis sedente super throno illius, *usque ad primogenitum ancillae qui post molas* " [Exod:] XI: 5; primogeniti Aegypti pro veris fidei separatis a bono charitatis, quae vera fiunt falsa, n: 3325, primogenitus ancillae qui post molas, pro affectione talis veri, unde falsa; haec per historica illa repraesentata sunt. Apud Eundem „ Non in pignus accipiet *molas* et *molarem*, quia anima illa pignorantis " Deut: XXIV: 6; haec lex ideo lata est, quia per molas significabantur doctrinalia, et per molarem doctrinalium vera, quae sunt quae vocantur anima pignorantis; quod absque significatione spirituali molarum et molaris, illa lex non data esset, et dictum quod anima ejus esset, patet. Quod molere ducat suum significativum a repraesentativis, quae existunt in mundo spirituum, mihi ostensum est; visi enim sunt, qui quasi ibi molerent, absque fine usus, solum suae voluptatis causa; et quia vera tunc sunt absque affectione sua ex bono, apparent quidem ut vera in externa forma, sed quia internum non illis inest, sunt phantasmata; ac si internum est malum, tunc ad malum confirmandum adhibentur, et sic per applicationem ad malum fiunt falsa.

CAPUT XXXIII.

1. Et sustulit Jacob oculos suos, et vidit, et ecce Esau venit, et cum eo quadringenti viri; et divisit natos super ad Leam, et super ad Rachelem, et super ad binas ancillas.

2. Et posuit ancillas et natos illarum primo, et Leam et natos ejus posteriores, et Rachelem et Josephum posteriores.

3. Et ipse transivit ante illos, et incurvavit se terram septem vicibus, usque appropinquaverit se usque ad fratrem suum.

4. Et cucurrit Esau obviam ei, et amplexus eum, et cecidit super collum ejus, et osculatus eum, et fleverunt.

5. Et sustulit oculos suos, et vidit foeminas et natos, et dixit qui illi tibi, et dixit, nati quos gratiose largitus Deus servo tuo.

6. Et appropinquaverunt ancillae, illae et nati illarum, et incurvaverunt se.

7. Et appropinquavit etiam Leah et nati illius, et incurvaverunt se; et postea appropinquavit Joseph et Rachel, et incurvaverunt se.

8. Et dixit, quae tibi omnia castra illa quibus occurri, et dixit, ad inveniendum gratiam in oculis Domini mei.

9. Et dixit Esau, est mihi multum, frater mi, sit tibi quod tibi.

10. Et dixit Jacob, ne quaeso, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, et accipias munus meum e manu mea, quia propterea quod vidi facies tuas, sicut videre facies Dei, et acceptasti [3] me.

11. Accipe quaeso benedictionem meam, quae adducta tibi, quia gratiose largitus mihi Deus, et quia est mihi omne, et ursit illum, et accepit.

12. Et dixit, proficiscamur et eamus, et ibo ad juxta te.

13. Et dixit ad illum, Dominus meus scit, quod nati teneri et greges et armenta lactentia [4] apud me, et impulerint ea die uno, et morientur omnes greges.

14. Transeat quaeso dominus meus ante servum suum, et ego procedam lente ad pedem operis quod coram me, et ad pedem natorum, usque quod venero ad dominum meum, ad Seir.

15. Et dixit Esau, statuam quaeso cum te de populo, qui mecum, et dixit, quare hoc, inveniam gratiam in oculis domini mei.

16. Et reversus in die illo Esau ad viam suam ad Seir.

17. Et Jacob profectus ad Succoth, et aedificavit sibi domum, et acquisitioni suae fecit tuguria, propterea vocavit nomen loci Succoth.

18. Et venit Jacob Schalem, urbem Schechemi, quae in

terra Canaan in veniendo eo e Paddan-Aram, et castrametatus ad facies urbis.

19. Et emit portionem agri, ubi tetendit tentorium suum, e manu filiorum Chamoris patris Schechemi, centum Kesithis.

20. Et statuit ibi altare, et vocavit id El Elohe Israël.

CONTENTA.

4336. Agitur hic in sensu interno de Conjunctione Divini Boni Naturalis, quod est Esau, cum Veri Bono, quod est Jacob: ita de submissione hujus, et insinuatione in Divinum Bonum Naturale: processus quomodo fit, describitur. Ultimo agitur de acquisitione verorum interiorum.

SENSUS INTERNUS.

4337. In Capitibus quae praecedunt, in sensu interno, ubi de Jacobo, de acquisitione veri in Naturali, actum est, quae acquisitio fit, ut conjungi possit bono, nam omne verum est propter illum finem; Jacob in sensu interno est id verum, et Esau est bonum cui verum conjungendum est. Antequam conjunctio fit, verum apparet primo loco esse, sed post conjunctionem est bonum actualiter primo loco, videantur n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 3995; id quoque est, quod significatur per Propheticum Isaci ad Esavum « Super gladio tuo vives, et fratri tuo servies, et erit, quando dominaris, et disrumpes jugum illius de collo tuo » Genes: XXVII: 40; hic nunc agitur de illo statu; inde est, quod Jacob vocet Esau dominum suum, et se servum, in hoc Capite Vers: 5. 8. 13. 14. Sciendum, quod Jacob hic repraesentet veri bonum, sed veri bonum in se spectatum est modo verum; verum enim quamdiu in sola memoria est, dicitur verum; at cum in voluntate et inde in actu, vocatur veri bonum; facere enim verum non aliud est; quicquid procedit ex voluntate, dicitur bonum, nam essentiale voluntatis est amor et inde affectio, et omne quod ex amo-

re et ejus affectione fit, nuncupatur bonum: Verum etiam nec conjungi potest bono, quod per Internum hominem influit, et origine Divinum est, quod hic repraesentatur per Esavum, priusquam verum voluntate et actu est verum, hoc est veri bonum; nam bonum quod per Internum hominem influit et origine Divinum est, hoc influit in voluntatem, et ibi occurrit veri bono quod per Externum hominem insinuatum est.

4338. Vers: 1. 2. 3. *Et sustulit Jacob oculos suos, et vidit, et ecce Esau venit, et cum eo quadringenti viri; et divisit natos super ad Leam, et super ad Rachelem, et super ad binas ancillas. Et posuit ancillas et natos illarum primo, et Leam et natos ejus posteriores, et Rachelem et Josephum posteriores. Et ipse transivit ante illos, et incurvavit se terram septem vicibus, usque appropinquaverit se usque ad fratrem suum.* Sustulit Jacob oculos suos et vidit, significat perceptionem et intentionem veri boni quod Jacob: et ecce Esau venit, significat quod Divinum Bonum Naturale: et cum eo quadringenti viri, significat statum: et divisit natos super ad Leam, significat dispositionem verorum externorum sub affectione sua: et super ad Rachelem, significat dispositionem verorum interiorum sub affectione sua: et super ad binas ancillas, significat sub affectione illis servientium: et posuit ancillas et natos illarum primo, et Leam et natos ejus posteriores, et Rachelem et Josephum posteriores, significat ordinem a communibus in quibus reliqua: et ipse transivit ante illos, significat universale, ita omnia: et incurvavit se terram septem vicibus, significat submissionem omnium; usque appropinquaverit se usque ad fratrem suum, significat conjunctionem a parte boni a vero, quod Jacob.

4339. Sustulit Jacob oculos suos et vidit, quod significet perceptionem et intentionem veri boni, quod Jacob, constat ex significatione tollere oculos et videre, quod sit perceptio et intentio; tollere enim oculos est externum quod correspondet elevationi mentis, quae est internum, proinde perceptioni, inde videre correspondet intentioni: quod Jacob hic repraesentet veri bonum, videatur mox supra n: 4337.

4340. Quod Esau venit, significet quod Divinum Bonum

N*

naturale, constat ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Bonum in naturali, de qua n: 3576.

4341. Et cum eo quadringenti viri, quod significet statum, hic statum conjunctionis Divini Boni cum Vero in Naturali, nam de illa agitur; quadringenta in Verbo significant statum et durationem tentationis, n: 1847. 2959. 2966, et quia omnis conjunctio boni cum vero fit per tentationes, ideo est status tentationum, qui hic intelligitur; quod per tentationes conjungantur bona veris, videatur n: 2272. 3318; quodque tentationes existant, cum bonum primas incipit agere, n: 4248. 4249; tum quod unio Essentiae Divinae Domini cum Essentia Humana Ipsius per tentationes facta sit, n: 1737. Ipsum Bonum, quod conjungendum est cum Vero non tentatur, sed Verum; et quoque Verum non tentatur a Bono, sed a falsis et malis, tum quoque a fallaciis et illusionibus, ac earum affectione, quae adhaerent veris [5] in Naturali; cum enim Bonum influit, quod fit per viam internam, seu per internum rationalem hominem, tunc ideae naturalis hominis formatae a fallaciis sensuum et illusionibus inde, non sustinent approximationem ejus, sunt enim discordes, inde anxietas in naturali, et tentatio; haec sunt quae in sensu interno in hoc Capite describuntur per quod veniente Esau cum quadringentis viris Jacob in timorem et inde in anxietatem venerit, et quod inde in submissionis et humiliationis statum; conjunctio enim illorum nusquam aliter fit: inde constare potest, quod per quadringentos viros significetur status tentationum, per quadringentos ipse ille status, per viros autem rationalia vera quae conjuncta sunt bono cum influit in Naturale; quod per viros significentur intellectualia et rationalia, videatur n: 265. 749. 1007. 3134; sed haec talia sunt, quae in obscurum hominis cadunt, ex causa quia cum in corpore vivit, distinctio inter Rationale et Naturale non apparet, prorsus non illis qui non regenerati sunt, et quoque perparum illis qui regenerati, nam non reflectunt super illud, imo nec curant, nam cognitiones interiorum hominis paene obliteratae sunt, quae tamen olim fecerunt omne intelligentiae apud homines intra Ecclesiam: haec tamen aliquatenus constare possunt ab illis quae prius de Rationali et ejus influxu in Naturale ostensa sunt; nempe quod Naturale regeneretur per Rationale, n:

3286. [6] 3288: et quod Rationale prius recipiat vera quam Naturale, n: 3368. 3671: Vera haec, quae e Rationali cum Bono influunt in Naturale, sunt, quae in sensu interno significantur per quadringentos viros qui cum Esavo.

4342. Et divisit natos super ad Leam, quod significet dispositionem verorum externorum sub affectione sua, constat a significatione dividere super ad, quod sit dispositio; a significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; et ex repraesentatione Leae, quod sit affectio veri exterioris, de qua n: 3793. 3819; inde nati seu filii hic sunt vera affectionis exterioris, proinde vera externa: vera externa dicuntur illa quae vera sensualia vocantur, quae nempe immediate e mundo per sensus corporis influunt; vera autem interiora, quae significantur per natos Rachelis, sunt quae interius in naturali sunt, propius sub intuitione Rationalis, quibus non ita adhaerent fallaciae et inde illusiones, sicut sensualibus; nam vera quo interius vadunt, eo plus a mundanis et terrenis purificantur.

4343. Et super ad Rachelem, quod significet dispositionem verorum interiorum sub affectione sua, constat a repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; inde nati seu filii ejus hic sunt vera interiora; videantur quae mox supra n: 4342, de veris interioribus dicta sunt.

4344. Et super ad binas ancillas, quod significet sub affectione illis servientium, constat ex significatione ancillarum, quod sint affectiones scientiarum et cognitionum, de qua n: 1895. 2567. 3835. 3849; et quod sint media inservientia conjunctioni Externi et Interni hominis, de qua n: 3913. 3917; et a repraesentatione Silpae et Bilhae, quae hic sunt ancillae, quod sint affectiones exteriores inservientes pro mediis, de qua n: 3849. 3931.

4345. Et posuit ancillas et natos illarum primo, et Leam et natos ejus posteriores, et Rachelem et Josephum posteriores, quod significet ordinem a communioribus in quibus reliqua, constare potest ex illis quae nunc supra de significatione ancillarum, Leae, Rachelis, et natorum illarum, dicta sunt, quod nempe ancillae sint affectiones scientiarum et cognitionum, Leah sit af-

fectio veri exterioris, et Rachel affectio veri interioris; affectiones scientiarum et cognitionum sunt maxime externae, ipsae enim scientiae et cognitiones sunt ex quibus et in quibus vera; affectio veri externi inde sequitur, et est interior, et affectio veri interioris est adhuc interior; quo exteriora sunt, eo quoque sunt communiora, et quo interiora, eo sunt minus communia, et respective dicuntur particularia et singularia: se habet ita cum communibus, quod communia dicantur ex eo, quod consistant ex particularibus, proinde quod in se contineant particularia; communia absque particularibus non sunt communia, sed ex particularibus ita dicuntur; se habet hoc sicut totum et partes, totum non dici potest totum nisi sint partes, ex partibus enim consistit totum: non enim datur aliquid in rerum natura, quod non existit et subsistit ex aliis, quod existit et subsistit ex aliis, vocatur commune, et illa ex quibus consistit et subsistit dicuntur particularia; externa sunt quae consistunt ab internis, quapropter externa sunt communia respective; ita se habet cum homine et ejus facultatibus, quod quo exteriores sunt, eo communiores sint, consistunt enim ab interioribus, et haec ab intimis ordine. Ipsum corpus, et quae sunt corporis, ut quae vocantur sensus externi et actiones, sunt communissima respective; mens naturalis, et quae sunt illius mentis, sunt minus communia, quia interiora, et vocantur respective particularia; mens autem rationalis, et quae illius mentis, sunt adhuc interiora, et sunt respective singularia: haec ad vivum patent, cum homo exuitur corpore, et fit spiritus; tunc enim ei patet, quod corporea ejus non fuerint alia quam communissima illorum quae spiritus ejus sunt, et quod corporea exstiterint et substiterint ex illis quae ejus spiritus, ita quod quae spiritus, fuerint respective particularia; et cum idem spiritus fit angelus, hoc est, cum elevatur in coelum, quod illa quae in communi, ac ita in obscuro, vidit et sensit prius, tunc eadem in particulari et in claro videat et sentiat, nam innumerabilia tunc, quae prius viderat et senserat sicut unum. Hoc quoque patet ab ipso homine, cum vivit in mundo; quae is videt et sentit in infantia, sunt communissima, quae autem in pueritia et juventute, sunt communium illorum particularia, quae autem in adulta aetate, sunt particularium singularia; nam sicut homo aetate progreditur, ita in com-

munia infantiae insinuat particularia, et dein in particularia insinuat singularia, nam progreditur successive versus interiora, et implet communia particularibus, et particularia singularibus: inde nunc constare potest, quid intelligitur per ordinem a communibus in quibus reliqua, quae significantur per quod posuerit ancillas et natos illarum primo, et Leam et natos ejus posteriores, et Rachelem et natos ejus posteriores. Cum homine, quando regeneratur, seu quod idem, quando apud illum vera conjunguntur bono, similiter se habet, de qua re hic agitur; tunc communes affectiones cum illarum veris, quae hic sunt ancillae et earum nati, primum insinuantur bono, dein minus communia, hoc est, particularia respective, quae hic sunt Leah et ejus nati, demum adhuc minus communia, hoc est, singularia respective, quae hic sunt Rachel et Josephus; nam transit homo similiter tunc quasi per aetates, est ei infantia primum, dein pueritia et juventus, demum adulta aetas.

4346. Et ipse transivit ante illos, quod significet universale, ita omnia, constat a repraesentatione Jacobi, qui hic est *ipse*, quod sit veri bonum, hoc est, verum voluntate et actu, de qua n: 4337; veri bonum est universale omnium, nam communia, particularia et singularia, de quibus mox supra, sunt illius, quia in illo.

4347. Et incurvavit se terram septem vicibus, quod significet submissionem omnium, constat ex significatione incurvare se terram, quod sit affectus humiliationis, de qua n: 2153, proinde submissio; submissionis summus gradus significatur per septem vices, et submissio omnium per quod Jacob incurvavit se, Jacob enim repraesentat universale omnium, ut mox supra n: 4346, dictum. Quod humiliationem et submissionem attinet, pauci sciunt cur illa erit coram Divino, quando homo est in cultu, inde etiam nec sciunt quid illa efficit; qui non in interiorum cognitione sunt, non aliter credere possunt, quam quod Divinum velit humiliationem et submissionem hominis, sicut homo qui in cupiditate gloriae est, proinde quod Divinum velit inde gloriam, et afficiatur gloria, quam homo illi tribuit; sed res aliter prorsus se habet; Divinum non est in aliqua affectione gloriae, quid enim gloriae Divino ab homine; sed vult humiliationem et submissionem non sui sed hominis causa; homo enim

cum in humiliatione est, tunc aversatur malum et falsum apud se, n: 2327. 2423. 3994, et sic removet illa, quibus remotis Divinum potest influere cum bono et vero: quisque apud se hoc scire potest; qui animo elato est, in amore sui est, et se praeponit non solum aliis, sed etiam Divinum nihil curat, consequenter influxum boni, et inde conjunctionem ejus cum veris, rejicit; haec genuina causa humiliationis hominis est coram Divino: inde patet, quod bonum non conjungi possit cum veris, ita non regenerari homo, nisi se humiliet et submittat: de veris praedicatur humiliatio et submissio, quia vera influunt per Externum hominem, bonum autem per Internum, quae per Externum hominem influunt, secum habent fallacias, et inde falsa cum illorum affectionibus, quae autem per Internum, non ita, quia Divinum est quod per hunc influit, et obviam venit veris, ut conjungantur. Inde nunc patet, quid intelligitur per submissionem omnium, quae significatur per quod Jacob incurvaverit se terram septem vicibus, usque appropinquaverit se usque ad fratrem suum.

4348. Usque appropinquaverit se usque ad fratrem suum, quod significet conjunctionem a parte boni a vero quod Jacob, constat ex significatione appropinquare se, quod sit ad se conjungendum; ex repraesentatione Esavi, qui hic frater, quod sit Divinum Bonum in Naturali, de qua supra n: 4337; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit veri bonum, de qua etiam supra n: 4337. Quomodo haec se habent, mox supra n: 4347, explicatum est.

4349. [Vers: 4.] *Et cucurrit Esau obviam ei, et amplexus eum, et cecidit super collum ejus, et osculatus eum, et fleverunt.* Cucurrit Esau obviam ei, significat influxum Divini Boni Naturalis: et amplexus eum, significat amoris primam conjunctionem: et cecidit super collum ejus, significat conjunctionem secundam omnium in illo universali: et osculatus eum, significat conjunctionem interiorem ex amore: et fleverunt, significat effectum.

4350. Cucurrit Esau obviam ei, quod significet influxum Divini Boni Naturalis, constat ex significatione currere obviam, quod sit influxus; et ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Bonum Naturale, de qua n: 4337. 4340; quod currere

obviam hic sit influxus, est quia Divinum Bonum per Internum hominem influit, et obviam venit vero quod per Externum insinuatur, ut conjungantur; id etiam ex sequentibus patet, nam sequitur, quod amplexus eum, ceciderit super collum ejus, et osculatus eum, per quae quod significetur conjunctio per amorem, videbitur.

4351. Et amplexus eum, quod significet amoris primam conjunctionem, constat ex significatione amplecti, quod sit affectio, de qua n: 3807, et quia affectio est amoris, et amor spectat conjunctionem, inde est amoris conjunctio, quae hic significatur; quod prima amoris conjunctio sit, est quia sequitur quod ceciderit super collum, et dein quod osculatus eum, quae significant conjunctiones arctiores et interiores ex amore: quod amplecti sit effectus, qui ex amoris conjunctione fluit, absque ulteriore explicatione patet, proinde quod in sensu interno sit illa conjunctio; quae enim sensus interni sunt, illa in Verbo sistuntur per externa.

4352. Et cecidit super collum ejus, quod significet conjunctionem secundam [7] omnium quae in illo universali, constat ex significatione cadere super collum, quod sit arctior conjunctio, est enim arctior amplexatio; per collum etiam in sensu interno significatur influxus et communicatio interiorum et exteriorum, et inde conjunctio, videatur n: 3542. 3603: quod sit conjunctio omnium, seu cum omnibus in illo universali, est quia Jacob, qui hic est *ejus*, est universale omnium quoad vera, n: 4346. Conjunctio boni cum veris in Naturali hic describitur, cum qua ita se habet; Bonum per Internum hominem influit in Externum, et ibi se conjungit cum veris quae per Externum insinuata sunt; Bonum enim, quod per Internum influit, est amoris, non enim datur aliquod Bonum spirituale et coeleste, quod non est amoris, inde est, et inde dicitur Bonum apud hominem; ipse amor, qui est in bono et cum bono, est qui conjungit, nisi amor inesset et adesset, nusquam potuisset aliqua conjunctio dari, nam amor non aliud est quam conjunctio spiritualis, quia per illum fit: amor ille non aliunde est, quam ex Domino, nam Ipse est fons et origo omnis amoris coelestis et spiritualis, proinde omnis boni inde: amor ille est duplex, Coelestis et Spiritualis, amor coelestis est amor in Dominum, et

amor spiritualis est amor erga proximum, qui charitas vocatur; illi amores sunt, ex quibus omne bonum coeleste et spirituale, et qui conjungunt se cum veris quae fidei dicuntur; vera enim fidei absque amore spectata sunt modo voces absque vita, sed per amorem, ita per conjunctionem cum bono amoris, accipiunt vitam: inde constare potest, quod nusquam aliquid fidei sit, nisi apud illos qui in bono amoris sunt, et quod fides sit secundum amorem. Et quia nusquam aliquid fidei est, nisi apud illos, qui in bono amoris sunt, idcirco nec est aliqua Confidentia aut Fiducia; fiducia seu confidentia, quae vocatur fidei, apud alios, quam qui in amore et charitate sunt, est vel spuria, vel talis qualis etiam dari potest apud diabolicos spiritus, cum in statu timoris aut angoris sunt, aut in statu persuasionis ex amore sui et mundi: sed quia hodie fidem absque bonis charitatis fecerunt salvificam, et usque e longinquo vident, quod vera fidei non salvare possint, ex causa quia illa quoque dantur apud malos, ideo Confidentiam et Fiduciam agnoscunt, et illam vocant Fidem, non scientes quid illa, et quod etiam apud malos dabilis, et quod nulla confidentia spiritualis sit, nisi quae per bonum amoris et charitatis influit, non tunc cum homo in timore et angore est, aut in persuasione ex amore sui et mundi, sed cum in statu libero; nec apud alios, quam apud quos bonum conjunctum veris est, et irradicatum per ante actum vitae curriculum, ita non in morbis, infortuniis, periculis vitae, ac instante morte; si illa Confidentia seu fiducia, quae in coacto apparet, salvaret hominem, salvarentur omnes mortales, nam ad illam facile redigitur unusquisque, Dominus enim, qui omnium salutem vult, nullis non illam inderet; sed de Confidentia et fiducia, quae vocatur fides, quid sit, qualis sit, et apud quos sit, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicendum.

4353. Et osculatus eum, quod significet conjunctionem interiorem ex amore, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex amore, de qua n: 3573. 3574. 4215, hic conjunctio interior. Agitur in hoc Versu in genere de Conjunctione Boni Divini Naturalis, quod Esau, cum Vero ibi, quod Jacob; in sequentibus autem de Conjunctione illa in specie agitur. Quod ipsam Conjunctionem attinet, est illa quae facit Regenerationem apud hominem, nam homo regeneratur per id quod vera

apud illum conjungantur bono, hoc est, quod illa quae sunt fidei conjungantur illis quae sunt charitatis; processus hic et in sequentibus plene describitur: agitur quidem de Domino, quomodo Ipse Naturalo suum Divinum fecerat, proinde quomodo Ipse Divinum Bonum univerat Vero in Naturali; sed quia Regeneratio hominis est imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490, etiam de illa in sensu interno simul agitur; et quia Regeneratio in ideam hominis cadere potest, non autem ita glorificatio Domini, licet hanc illustrare per illam: Ex illis, quae explicata sunt, patet, quod conjunctio boni cum veris, per quam Regeneratio, interius et interius progrediatur, hoc est, vera interius successive conjungantur cum bono; finis enim Regenerationis est, ut conjungatur Internus homo cum Externo, ita Spiritualis per Rationale cum Naturali, absque conjunctione utriusque nulla est Regeneratio; nec potest illa conjunctio fieri, antequam bonum cum veris in Naturali prius conjunctum est: Naturale enim erit planum, et quae in naturali sunt, correspondebunt; haec causa est, quod, cum Naturale regeneratur, conjunctio boni cum veris interior successive fiat; nam Spirituale se conjungit primum cum illis quae intima sunt in Naturali, et dein per haec cum illis quae exteriora sunt: nec potest Internum hominis se conjungere cum Externo ejus, nisi verum in hoc fiat veri bonum, hoc est, voluntate et actu verum, n: 4337, tunc enim primum conjungi possunt, nam Dominus influit apud hominem per Internum hominem, et quidem per bonum ibi; bonum ibi cum bono in Externo homine conjungi potest, non autem bonum cum vero immediate; inde constare potest, quod verum apud hominem prius fieri debeat voluntate et actu verum, hoc est, veri bonum, antequam conjunctio Rationalis cum Naturali, seu Interni hominis cum Externo, existere potest: quomodo autem verum fit veri bonum, constare potest cuivis qui attendit; omne verum Divinum spectat bina haec praecepta, nempe amare Deum supra omnia, et proximum sicut semet, illa praecepta sunt, ex quibus vera, et propter quae vera, et ad quae vera, propius et remotius; quapropter cum vera in actum mittuntur, tunc insinuantur successive in principium et finem suum, nempe in charitatem erga proximum, et in amorem in Dominum, et inde verum fit bonum,

quod vocatur veri bonum; quod cum fit, tunc conjungi illud potest cum Interno homine, quae conjunctio fit interior successive quo interiora vera implantantur illi bono: actus praecedit, velle hominis succedit, nam quod agit homo ex intellectu, hoc tandem agit ex voluntate, et demum per habitum induit illud; et tunc insinuatur Rationali seu Interno homini; et cum illi insinuatum est, tunc non magis ex vero bonum agit, sed ex bono; incipit enim tunc percipere aliquid beati, et sicut aliquid coeli in illo; hoc manet illum post mortem, et per id elevatur in coelum a Domino.

4354. Et fleverunt, quod significet effectum, constat ex significatione flere, quod sit effectus doloris, et quoque effectus gaudii, de qua n: 3801, hic effectus gaudii ex conjunctione boni cum veris per amorem.

4355. Vers: 5. 6. 7. *Et sustulit oculos suos, et vidit foeminas et natos, et dixit, qui illi tibi, et dixit, nati quos gratiose largitus Deus servo tuo. Et appropinquaverunt ancillae, illae et nati illarum, et incurvaverunt se. Et appropinquavit etiam Leah et nati illius, et incurvaverunt se; et postea appropinquavit Joseph et Rachel, et incurvaverunt se.* Sustulit oculos suos, significat perceptionem: et vidit foeminas et natos, significat affectionum veri et verorum quae illis: et dixit, qui illi tibi, significat agnitionem: et dixit, nati quos gratiose largitus Deus servo tuo, significat vera ex Providentia Divina: et appropinquaverunt ancillae, illae et nati illarum, et incurvaverunt se, significat scientifica sensualia et illorum vera, et eorum submissionem: et appropinquavit etiam Leah et nati illius et incurvaverunt se, significat affectionem veri fidei quoad exteriora, et illorum vera, eorumque submissam introductionem: et postea appropinquavit Joseph et Rachel, et incurvaverunt se, significat affectiones veri fidei quoad interiora, eorumque submissam introductionem.

4356. Sustulit oculos suos, quod significet perceptionem, constat a significatione tollere oculos, quod sit perceptio, de qua n: 4083. 4339.

4357. Et vidit foeminas et natos, quod significet affectionum veri, et verorum quae illis, constat a significatione foeminarum, hic ancillarum, Leae et Rachelis, quod sint affectiones

veri, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819. 4344; et ex significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373, hic vera quae illis.

4358. Et dixit, qui illi tibi, quod significet agnitionem, constare potest ex eo, quod interrogationes in sensu literae, non sint interrogationes in sensu supremo, nam Dominus, de quo agitur in sensu illo, non opus habet interrogare hominem, novit enim omnia et singula; inde interrogatio haec „qui illi tibi" significat agnitionem; per Esau enim repraesentatur Dominus quoad Divinum Bonum Naturale, et Divinum Bonum agnoscit illico vera quae sibi conjunget; et praeterea omne bonum hoc facit, nam bonum non potest esse absque illis quae vocat vera, nec vera absque illo quod vocant bonum; se conjungunt ex se; sed quale bonum est, talia vera sibi conjungit, bonum est quod agnoscit illa, et se copulat sicut maritus cum uxore, conjunctio enim boni cum veris est conjugium in spirituali sensu, n: 2508. 2618: quod bonum agnoscat suum verum, et verum suum bonum, et conjungantur, videatur n: 3101. 3102. 3161. 3179. 3180.

4359. Et dixit, nati quos gratiose largitus Deus servo tuo, quod significet vera ex Providentia Divina, constat ex significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua mox supra n: 4357, et ex significatione quos gratiose largitus Deus, quod sit ex Providentia Divina, quicquid enim largitur Deus est Ipsius Providentiae.

4360. Et appropinquaverunt ancillae et nati illarum, et incurvaverunt se, quod significet scientifica sensualia et illorum vera, et eorum submissionem, constat ex significatione ancillarum, quod sint affectiones scientiarum et cognitionum, quae Externi hominis, de qua supra n: 4344, proinde scientifica sensualia, de quibus sequitur; ex significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua supra n: 4357; et ex significatione incurvare se, quod sit submissio. Scientifica sensualia, quae significantur per ancillas, sunt scientifica rerum externarum, quae mundi, et inde omnium communissima, n: 4345, suntque illa quae per sensus externos immediate intrant, et ipso sensu percipiuntur; in illis sunt omnes infantiae, ac inserviunt pro planis non modo cognitionibus rerum spiritualium; res enim

spirituales fundantur super naturalibus, et in his repraesentantur. Quia vera conjunguntur bono secundum ordinem a communioribus, ut supra n: 4344 ostensum, ideo hic memoratur, quod ancillae et earum nati primum se incurvaverint, hoc est, se submiserint.

4361. Et appropinquavit etiam Leah et nati illius, et incurvaverunt se, quod significet affectionem veri fidei quoad exteriora, et illorum vera, eorumque submissam introductionem, constat ex repraesentatione Leae, quod sit affectio veri exterioris, de qua n: **3793. 3819**, proinde affectio veri fidei quoad exteriora; ex significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua mox supra; et ex significatione incurvare se, quod sit submissio, hoc est, submissa introductio in Divinum Bonum Naturale, quod per Esau repraesentatur.

4362. Et postea appropinquavit Joseph et Rachel, et incurvaverunt se, quod significet affectiones veri fidei quoad interiora, eorumque submissam introductionem, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spirituale, de qua n: **4286**; ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: **3758. 3782. 3793. 3819**; et ex significatione incurvare se, quod sit submissa introductio, ut mox supra n: **4361**. Quomodo haec se habent, supra ad Versum 2 explicatum est.

4363. Vers: **8. 9. 10. 11.** *Et dixit, quae tibi omnia castra illa, quibus occurri; et dixit, ad inveniendum gratiam in oculis domini mei. Et dixit Esau, est mihi multum, frater mi, sit tibi quod tibi. Et dixit Jacob, ne quaeso, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, et accipias munus meum e manu mea, quia propterea quod vidi facies tuas, sicut videre facies Dei, et acceptasti me. Accipe quaeso benedictionem meam, quae adducta tibi, quia gratiose largitus mihi Deus, et quia est mihi omne; et ursit eum, et accepit.* Dixit, quae tibi omnia castra illa quibus occurri, significat specialia quae inde: et dixit, ad inveniendum gratiam in oculis domini mei, significat initiationem gratam: et dixit Esau, est mihi multum frater mi, sit tibi quod tibi, significat tacitam acceptationem, ut sic affectionem boni ex vero insinuaret: et dixit Jacob, ne quaeso, significat affectionis originem: si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, et accipias munus meum e manu mea, significat affectionis reci-

procum ut insinuaretur: quia propterea quod vidi facies tuas sicut videre facies Dei, et acceptasti me, significat ipsam affectionem perceptione, qua reciproce insinuata: accipe quaeso benedictionem meam, quae adducta tibi, significat Divina quae adjungenda Divino Bono naturali: quia gratiose largitus mihi Deus, significat ex Providentia: et quia est mihi omne, significat ejus divitias spirituales: et ursit illum, et accepit, significat quod a veri bono illa per affectionem inspiratam a Divino Bono insinuaretur.

4364. Dixit quae tibi omnia castra illa quibus occurri, quod significet specialia quae inde, constat a significatione castrorum hic, quod sint specialia, nam sunt quae in Cap: praec: Vers: 14. 15, [8] memorantur, nempe „caprae ducentae, et capri viginti, oves ducentae et arietes viginti, camelae lactantes et filii illarum triginta, juvencae quadraginta et juvenci decem, asinae viginti et pulli decem" quae quod bona et vera cum eorum servitiis essent, per quae initiatio fieret, videatur n: **4263. 4264**, proinde specialia; specialia hic non aliud sunt, quam confirmantia, quod vera sint vera et bona sint bona; accedunt ad cogitationes et ad affectiones hominis, hoc est, ad illa quae novit et quae amat, propter quae favet et affirmat quod ita sit; munera quae antiquitus in Ecclesia dabantur Regibus et Sacerdotibus, talia quoque involvebant; notum est, quod alius ad sententiam suam, seu ad illa, quae dicit bona et vera, tam per rationes quam per affectiones ducatur; ipsa confirmantia sunt, quae intelliguntur per specialia, et hic significantur per castra, quapropter dicitur, quod castra illa essent ad inveniendum gratiam in oculis domini mei; et dein, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, accipias munus meum e manu mea: similiter se habet in spiritualibus seu in rebus fidei, quando conjungantur cum bono charitatis: homo credit quod bona et vera immediate influant e coelo, ita absque mediis apud hominem, sed multum fallitur; Dominus ducit unumquemvis per affectiones ejus, et sic per tacitam Providentiam flectit, nam ducit per liberum, n: **1937. 1947**; quod omne liberum sit affectionis seu amoris, videatur n: 2870. 2873; et inde quod omnis conjunctio boni cum vero fiat in libero, non autem in coacto, n: **2875. 2876. 2877. 2878. 2881. 3145. 3146. 3158. 4031**; quando itaque homo

in libero ductus est ad bonum, tunc acceptantur vera, et implantantur, et tunc ille affici incipit illis, ac sic paullatim in liberum coeleste introducitur: qui regeneratus est, hoc est, qui amat proximum, et magis qui Dominum, si reflectit super vitam suam anteactam, reperiet tunc, quod per plura cogitationis suae, et per plura affectionis suae, ductus sit. Quid per specialia quae inde, in specie hic intelligitur, ab exemplis melius elucere potest; Verum, quod insinuandum est bono, sit quod vita homini sit post mortem; nisi confirmetur illud per specialia, non acceptatur; ut per haec, quod homo cogitare possit non solum de illis quae videt et sentit, sed etiam de illis quae non videt et sentit, quod etiam affici illis possit, quod per affectionem conjungi illis, proinde Coelo, imo ipsi Domino, et quod qui conjungi potest Divino, non possit mori in aeternum; haec et perplura similia sunt specialia, quae prius occurrunt, antequam insinuatur illud verum in bonum, hoc est, antequam plene creditur; Verum illud quidem primum se submittit, sed usque specialia illa faciunt, ut acceptetur. Sit quoque pro exemplo, quod homo sit spiritus, et quod is corpore amictus sit, cum vivit in mundo; hoc quoque est verum quod insinuandum est bono, nam nisi id insinuatum est, non curat coelum, cogitat enim tunc de se sicut de brutis animalibus; sed verum hoc non insinuari potest quam per specialia, sicut per haec, quod corpus, quod circumgestit, inserviat pro usibus ibi, ut nempe possit per oculos materiales videre illa quae in mundo sunt, perque musculos materiales agere, ex quibus vires ponderosis ibi adaequatae sunt; et quod usque interius sit aliquid quod cogitat et vult, cujus instrumentale seu organum materiale corpus est, quodque spiritus ejus sit ipse, seu ipse homo, qui per organica illa agit et sentit; et quod id per plures experientias apud se confirmare possit, si semel in fide est quod ita sit; omnia illa sunt specialia, quae praemittuntur, et quae faciunt ut insinuetur ipsum illud verum in bonum, suntque illa inde: haec et similia sunt, quae hic significantur per castra.

4365. Et dixit, ad inveniendum gratiam in oculis domini mei, quod significet initiationem gratam, constare potest absque explicatione; invenire enim gratiam, est ut accepta sint, et quae accepta sunt, initiantur grate, hoc est, insinuantur.

4366. Et dixit Esau, est mihi multum, frater mi, sit tibi quod tibi, quod significet tacitam acceptationem ut sic affectionem boni ex vero insinuaret, constare potest ex renuentia hic quod involvat assensionem, nam usque acceptavit; finis renuentiae, cum aliquis acceptat, est quandoque ut insinuetur affectio, augetur etiam inde, et sic transit a cogitare bene in velle bene; homo a Domino ducitur paene per similia in vita spirituali, per quae homo alios ducit in vita civili; in hac familiare est renuere ob finem, ut ex affectione, ita non ex cogitare solum, sed etiam ex velle, faciat, si enim non acceptaret, finis quem intendit, periret, quare finis urget, usque ut intensius cogitet illud, et sic ex corde velit: quod tale non appareat in vita spirituali, sicut in vita civili, est quia pauci sunt, apud quos bonum conjungitur cum veris, hoc est, qui regenerantur, et quoque illi pauci qui regenerantur, non reflectunt super talia, nec reflectere possunt, non enim sciunt quid bonum spirituale, quia non quid charitas et quid proximus in genuino sensu; et quia illa non sciunt, nec ideam interiorem de vero quod fidei habere possunt; et praeterea spiritualem vitam separant a civili in tantum, ut ab hac de illa nullam ideam haurire ausint; quod correspondeant, et quod illa in hac repraesentetur, prorsus ignorant, imo aliqui ne quidem comparationem admittunt; cum tamen res ita se habet, quod nulla idea de spirituali vita haberi possit, nisi ab illis quae sunt in civili, quapropter hac remota, cadit illa, usque tandem ut non amplius credatur; quod constare potest manifeste ex eo, quod non magis credatur, quod spiritus et angeli inter se conversentur sicut homines, quodque colloquantur, et de honesto et decoro, deque justo et aequo, ac de bono et vero, similiter ratiocinentur sicut homines, et multo perfectius, minus quod se mutuo videant, audiant, explorent, conjungant in societates, cohabitent, et perplura alia.

4367. Et dixit Jacob, ne quaeso, quod significet affectionis originem, constare potest ab illis quae mox supra dicta sunt, nempe quod renuentia acceptandi munus insinuet affectionem, quae hic manifestatur per quod dicit, ne quaeso, inde patet, quod sit affectionis origo.

4368. Si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, et accipias munus meum e manu mea, quod significet affectionis recipro-

cum ut insinuaretur, constat ex illis quae praecedunt et quae sequuntur; agitur enim de conjunctione boni cum veris in naturali, proinde de insinuatione affectionis a bono in verum; quod ideo renuentia muneris a Jacobo missi, nempe ut affectio vero insinuaretur, supra n: 4366, ostensum, ideo per illa quae proxime praecedunt, *ne quaeso*, significatur affectionis origo, n: 4367; inde per haec verba, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, et accipias munus meum e manu mea, significatur affectionis reciprocum ut insinuaretur; nam ex bene velle, hoc est, ex affectione hoc dicit; inde in sequentibus dicitur quod *urserit illum.* Per affectionis reciprocum, quod a Bono quod est Esau, insinuatur Vero quod est Jacob, intelligitur Affectio Veri; sunt enim binae affectiones, quae coelestes, nempe affectio boni et affectio veri, de quibus prius aliquoties actum est; affectio veri non aliunde trahit originem quam a bono, ipsa affectio est inde, nam Verum a se non habet vitam, sed vitam accipit a bono; quapropter cum homo afficitur vero, non est a vero, sed a bono quod in Verum influit, et facit ipsam affectionem; hoc intelligitur hic per affectionis reciprocum ut insinuaretur. Notum est, quod plures sint intra Ecclesiam, qui afficiuntur Verbo Domini, et lectioni ejus impendunt multam operam, sed usque pauci sunt qui illum finem habent, ut de vero instruantur, manent enim plerique in suo dogmate, quod solum confirmare ex Verbo student; hi apparent sicut in affectione veri essent, sed non sunt; in affectione veri sunt solum illi, qui amant instrui de veris, hoc est, scire quid verum, et ob illum finem scrutari scripturas: in hac affectione nullus est, quam qui est in bono, hoc est, qui in charitate erga proximum, et magis qui in amore in Dominum; apud hos ipsum bonum influit in verum, et facit affectionem, nam Dominus in illo bono est praesens: hoc illustrari potest ab his exemplis: qui in bono genuinae charitatis sunt et legunt illa verba quae Dominus dixit ad Petrum „Ego tibi dico, quod tu sis Petrus, et super hac petra aedificabo meam Ecclesiam, et portae inferni non praevalebunt ei: et dabo tibi claves Regni coelorum, et quicquid ligaveris super terra, erit ligatum in coelis, et quicquid solveris super terra, erit solutum in coelis" Matth: XVI: 15. 16. 17. 18. 19; illi, nempe qui in affectione veri ex bono genuinae charitatis sunt, amant

instrui, quid per illa verba intellectum sit, et cum audiunt, quod per petram ibi, super qua aedificabitur Ecclesia, significetur Fides charitatis, et consequenter per Petrum, et quod sic illi fidei datae sint claves aperiendi et claudendi coelum, videatur Praefatio ad Caput XXII Genes: tunc gaudent, et afficiuntur illo vero, quia sic Soli Domino, a quo fides, est potestas illa; at qui non in affectione veri ex bono genuinae charitatis sunt, sed in affectione veri ex bono alio, et magis si ex amore sui et mundi, illi non afficiuntur illo vero, sed contristantur, ut et irascuntur, nam sacerdotio vindicare illud volunt, irascuntur quia sic privantur dominio, et contristantur quia privantur condescendentia. Sit quoque pro exemplo, qui in affectione veri ex bono genuinae charitatis sunt, si audiunt quod charitas faciat *Ecclesiam*, non autem fides separata ab illa, id verum cum gaudio recipiunt; at qui in affectione veri ex amore sui et mundi sunt, non recipiunt. Et quoque, qui in affectione veri ex bono genuinae charitatis sunt, cum audiunt, quod amor erga proximum non inchoët a se, sed a Domino, gaudent, at qui in affectione veri ex amore sui et mundi sunt non recipiunt illud verum, sed acriter defendunt, quod amor ille a se inchoët; inde nec sciunt, quid sit amare proximum ut seipsum. Qui in affectione veri ex bono genuinae charitatis sunt, cum audiunt quod beatum coeleste sit aliis benefacere ex bene velle, propter nullum finem sui, gaudent; at qui in affectione veri ex amore sui et mundi sunt, hoc non volunt, ne quidem capiunt. Qui in affectione veri ex bono genuinae charitatis sunt, cum instruuntur quod opera Externi hominis nihil sint, nisi procedant ab Interno homine, ita a bene velle, recipiunt cum gaudio; at qui in affectione veri ex amore sui et mundi, opera Externi hominis laudant, sed Interni hominis bene velle non curant, imo nec sciunt quod Interni hominis bene velle maneat post mortem, et quod opera Externi hominis separata ab illo, sint mortua, et pereant; ita in omnibus reliquis; ab his patet, quod vera fidei nusquam conjungi alicui possint, nisi in bono genuinae charitatis sit, ita non nisi quam bono; tum quod omnis genuina affectio veri sit ab illo bono: unusquisque hoc videre potest confirmatum ab experientia, quae quotidie obvia est, nempe quod qui in malo sunt, non credant; sed quod qui in bono sunt; in-

de evidenter patet, quod verum fidei conjungatur bono, et nusquam malo.

4369. Quia propterea quod vidi facies tuas sicut videre facies Dei, et acceptasti me, quod significet affectionem perceptione qua reciproce insinuata, constat ex significatione videre facies sicut facies Dei, quod sit affectio perceptione, per facies enim significantur interiora, n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573. 4066; et per facies Dei, omne bonum, n: 222. 223; quod cum influit, dat affectionem perceptione; et ex significatione acceptare me, quod sit affectio insinuata; quod sit affectio insinuata, patet ab illis, quae de affectionis insinuatione mox supra dicta sunt, ita ex serie.

4370. Accipe quaeso benedictionem quae adducta tibi, quod significet Divina quae adjungenda Divino Bono Naturali, constat ex significatione benedictionis hic, quod sint illa quae in Capite praecedente XXXII, Vers: 14. 15, [9] memorata sunt, per quae quod Divina bona et vera, cum illorum servitiis per quae initiatio fieret, significata sint, videatur n: 4263. 4264; quae quod adjungenda Divino Bono Naturali, supra n: 4364, explicatum est.

4371. Quia gratiose largitus mihi Deus, quod significet ex Providentia, constat ex significatione horum verborum hic, quod sit Providentia, ut supra n: 4359.

4372. Et quia est mihi omne, quod significet ejus divitias spirituales, constat ex significatione omné quod ei, quod hic sint ejus divitiae spirituales; erant enim greges et armenta, per quae significantur bona et vera, ut prius ostensum, quae sunt quae dicuntur divitiae spirituales; divitiae spirituales praedicantur de vero, et usus illarum de bono.

4373. Et ursit illum, et accepit, quod significet quod a veri bono illa per affectionem inspiratam a Divino Bono insinuaretur, constare potest ab illis, quae huc usque a n: 4364, explicata sunt; ipsa affectio veri bono inspirata a Divino Bono testata est per quod urserit illum, videatur supra n: 4366. Quod affectionem veri, de qua in his Versibus actum est, ulterius attinet, sciendum, quod illa appareat esse a vero, ac ita in Vero, sed non est a Vero, sed a Bono, nam vero nihil vitae inest nisi quae est a Bono; quod appareat sicut foret a Vero, se habet compara-

tive sicut vita quae est in corpore, quae tamen non est corporis sed animae, nec animae sed per animam a primo vitae, hoc est, a Domino, et tamen apparet sicut corporis; et quoque se habet sicut imago in speculo, quae apparet in speculo, cum tamen est effigiei influentis. Quod Sensus internus horum verborum et praecedentium, talis sit, non quidem apparet illis qui in historicis tenent mentem, nam de Esau et Jacobo, deque munere praemisso, cogitant; non scientes quod per Esau repraesentetur Divinum Bonum in Naturali, et per Jacobum Verum quod Divino Bono conjungendum est ibi, et hic quod per amicam illorum colloquutionem significetur affectio inspirata Vero a Bono: at usque Historica illa non aliter intelligunt Angeli quando illa leguntur ab homine, Angeli enim nullam aliam ideam habent quam spiritualem, in hanc apud illos vertitur sensus historicus; correspondent ita cogitationes Angelicae cum humanis; sunt perpetuae correspondentiae tales, quae faciunt quod Verbum sanctum et Divinum sit, nam literalis sensus ita per ascensum fit spiritualis, et hoc usque ad Dominum, ubi Divinus: haec est Inspiratio.

4374. Vers: 12. 13. 14. 15. 16. *Et dixit, proficiscamur et eamus et ibo ad juxta te. Et dixit ad illum, dominus meus scit, quod nati teneri, et greges et armenta lactentia apud me, et impulerint ea die uno, et morientur omnes greges. Transeat quaeso dominus meus ante servum suum, et ego procedam lente ad pedem operis quod coram me, et ad pedem natorum, usque quod venero ad dominum meum ad Seir. Et dixit Esau, statuam quaeso cum te de populo qui mecum; et dixit, quare hoc, inveniam gratiam in oculis domini mei. Et reversus in die illo Esau, ad viam suam, ad Seir.* Dixit, proficiscamur et eamus, significat successivum: et ibo ad juxta te, significat quod conjungenda: et dixit ad illum, dominus meus scit, quod nati teneri, significat vera quae nondum vitam Divinam adepta: et greges et armenta lactentia apud me, significat bona interiora et naturalia, quae adhuc non vitam Divinam adepta: et impulerint ea die uno, et morientur omnes greges, significat moram et successivum, et quod aliter non viverent, ita quod ad conjunctionem praeparanda: transeat quaeso dominus meus ante servum suum, significat praesentiam communiorem: et

ego procedam lente, significat statum praeparationis successivum: ad pedem operis quod coram me, significat secundum communia: et ad pedem natorum, significat secundum vera quae ibi: usque quod venero ad dominum meum ad Seir, significat usque dum conjungi possent; Seir est conjunctio spiritualium cum coelestibus in naturali: et dixit Esau, statuam quaeso cum te de populo qui mecum, significat quod conjungerentur aliqua de boni vero: et dixit, quare hoc, inveniam gratiam in oculis domini mei, significat illustrationem a praesentia interius: et reversus in die illo Esau ad viam suam, ad Seir, significat statum Divini Boni Naturalis tunc cui adjuncta veri bona; via est veri bonum respective.

4375. Dixit proficiscamur et eamus, quod significet successivum, nempe conjunctionis boni cum vero, constat ex significatione proficisci et ire, quae quod involvant progressionem ad ulteriora, patet, progressio enim et successivum continetur in sensu interno illorum quae nunc sequuntur.

4376. Et ibo ad juxta te, quod significet quod conjungenda, constat ex significatione ire juxta te, quod sit adjunctio, hic itaque quod conjungenda nempe bonum cum veris.

4377. Et dixit ad illum, dominus meus scit, quod nati teneri, quod significet vera quae nondum vitam Divinam adepta, constat a significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; et a significatione tenerorum, quod sint recentia, ita quae aliquam vitam adepta, sed nondum genuinam, hic Divinam, quia de glorificatione Domini quoad Divinum Naturale, agitur: illustrari haec possunt ab illis quae existunt apud hominem qui regeneratur, nam regeneratio hominis est imago glorificationis Domini; homo, qui regeneratur, percurrit sicut homo qui nascitur, aetates, nempe infantiam, pueritiam, adolescentiam seu juventutem, et adultam aetatem, homo enim qui regeneratur e novo nascitur; cum infans est, tunc vera apud illum quidem vitam habent, sed nondum spiritualem, sunt modo vera communia absque particularibus et singularibus, cum quibus bonum tunc conjungitur, proinde non nisi quam exterius, non autem interius; interius conjungitur successive, prout progreditur in aetates sequentes: infantiae illius status est, qui significatur per quod nati teneri,

et quoque per illa quae mox sequuntur „et greges et armenta lactentia apud me, et impulerint ea die uno, et morientur omnes greges."

4378. Et greges et armenta lactentia apud me, quod significet bona interiora et naturalia, quae adhuc non vitam Divinam adepta, constat a significatione gregum, quod sint bona interiora, de qua n: 2566. 3783; ex significatione armentorum, quod sint bona exteriora seu naturalia, n: 2566, et praeterea n: 2180. 2781; et ex significatione lactentium, quod quoque sint recentia, hic spiritualia nascentia in Naturali; in statu enim infantiae, cum regeneratur homo, spiritualia insunt potentia, nam spiritualis vita successive prodit a quacunque aetate, sicut ab ovo; aetas infantiae est quasi ovum aetati pueritiae, et aetas pueritiae est quasi ovum aetati adolescentiae et juventutis, et haec sicut ovum aetati adultae, sic quasi continue nascitur homo; inde patet, quid intelligitur per bona interiora et naturalia quae adhuc non vitam Divinam adepta, quae hic significantur per greges et armenta lactentia; videantur etiam quae mox supra n: 4377 de infantiae statu dicta sunt.

4379. Et impulerint ea die uno, et morientur omnes greges, quod significet moram et successivum, et quod aliter non viverent, ita quod ad conjunctionem praeparanda, constare potest ab ipsa serie; in illis enim, quae praecedunt, actum est de conjunctione boni cum veris in genere, hic autem de eadem in specie agitur; ipse processus insinuationis veri in bonum hic in sensu interno describitur; qui qualis sit, quidem ab explicatione in communi aliquantisper elucere potest, sed non quoad sua arcana, quae innumerabilia sunt; haec arcana patent solum illis qui in luce coeli sunt, et quoad aliquam rudem imaginem illis qui in luce mundi, quando lux coeli in hanc admittitur: hoc satis constare potest ex eo, quod homo cum renascitur percurrat aetates sicut qui nascitur, et quod praecedens status semper sit sicut ovum respective ad sequentem, ita quod continue concipiatur et nascatur; et hoc non modo cum vivit in mundo, sed etiam cum venit in alteram vitam in aeternum, et usque tamen non ultra perfici potest, quam ut sit sicut ovum ad illa quae supersunt, quae indefinita sunt: ex his patet, quam innumerabilia sunt, quae existunt circa regenerationem hominis, quo-

rum tamen vix aliqua novit homo, ita quanta in sensu interno hic continentur, ubi de statu et modo insinuationis boni in vera successivo agitur.

4380. Transeat quaeso Dominus meus ante servum suum, quod significet praesentiam communiorem, constat a significatione transire ante aliquem, quod hic, ubi de conjunctione boni cum veris agitur, sit praesentia communior; cum regeneratione enim, quae fit per conjunctionem boni cum veris, ita se habet, quod bonum sit quod agit, et verum quod se agi patitur, cumque bonum se applicuerat veris, et se paulisper conjunxerat cum illis, tunc apparet verum reagere, at non est verum sed est bonum illi conjunctum vel adjunctum quod per verum reagit; haec adjunctio est quae intelligitur per praesentiam communiorem. Conjunctio boni cum veris dicitur, sed intelligitur homo in quo bonum et verum, nam haec praedicari nequeunt absque subjecto, quod est homo; in coelo per abstracta ita cogitant et loquuntur, ex causa quia sibi non tribuunt bonum nec verum, sed Domino, et quia bonum et verum a Domino implet totum coelum; ita loqui etiam antiquis fuit familiare.

4381. Et ego procedam lente, quod significet statum praeparationis successivum, constare potest a significatione procedere lente, hic ubi agitur de insinuatione boni in verum, et de receptione illius ab hoc, quod sit praeparationis successivum.

4382. Ad pedem operis quod coram me, quod significet secundum communia, constare potest ex illis quae praecedunt; per pedem operis intelliguntur illa quae supra dicta sunt, nempe „quod nati teneri, et greges et armenta lactentia apud me, et impulerint ea die uno, et morientur omnes greges" per quae quod significatum sit, quod sit secundum communia, patet ab illis quae ibi dicta sunt: pes operis, et dein pes natorum, dicitur, quia per pedem significatur naturale, videatur n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280, et hic de naturali agitur.

4383. Et ad pedem natorum, quod significet secundum vera quae ibi, constat a significatione natorum seu filiorum, quod sint vera, de qua aliquoties supra: vera quae ibi, sunt vera in communibus; communia enim sunt illa, quae supra n: 4378 comparata sunt ovo, nam in communibus continentur

particularia, et in his singularia, n: 4325. f. 4329. 4345; in primo statu, nempe in statu infantiae, sunt ibi particularia et in his singularia potentia, dein autem producunt, et se exerunt actu, et sic successive; qui regenerantur, ita a Domino ducuntur, imbuuntur enim communibus, in quibus illa sunt quae sequuntur, quae quoque successive prodeunt, et hoc ordine et serie incomprehensibili; nam omnia et singula a Domino praevidentur, etiam qualia erunt in aeternum; quapropter communia vera non alia conjunguntur bono apud hominem qui regeneratur, quam talia quibus inaptari possunt particularia vera, et his singularia: at usque particularia haec, imo particularium singularia, sunt ad illa quae supersunt, non nisi quam communia respective, nam in singulis usque indefinita sunt: fatentur etiam id angeli, qui tamen in tanta sapientia respective ad hominem sunt, ut ineffabilia sint quae sciunt et percipiunt, nempe quod solum communissima respective sciant, et quod illa quae non sciunt, indefinita sint, non audent dicere infinita, quia nullus respectus datur et nulla ratio inter finitum et infinitum. Inde quoque concludi potest, quale est Verbum, hoc quia Divinum, a prima origine infinita in se continet, ac inde ineffabilia quae sunt sapientiae Angelicae, et denique modo talia quae adaequata sunt captui humano.

4384. Usque quod venero ad dominum meum in Seir, quod significet usque dum conjungi possent, nempe verum quod est Jacob cum Bono quod est Esau, constare potest a significatione Seir, quod sit conjunctio spiritualium cum coelestibus in Naturali, hoc est, veri quod fidei cum bono quod est charitatis; bonum cui conjunctum est verum in naturali, ac in supremo sensu Divinum Naturale Domini quoad Bonum conjunctum Vero ibi, est quod proprie significatur per Seir in his locis in Verbo, in Prophetico Mosis de filiis Israëlis „ Jehovah de Sinai venit, et *exortus est de Seir illis*, exsplenduit e monte Paran, et venit ex myriadibus sanctitatis," Deut: XXXIII: 2. 3. [10] In Prophetia Bileami „ Video Ipsum, et non jam, conspicio Ipsum et non propinquus; orietur stella e Jacobo, et surget sceptrum ex Israële; et erit Edomus haereditas, et *erit haereditas Seir*, hostium illius, et Israël faciens robur," Num: XXIV: 17. [18.] In Cantico Deborae et Baraki „ *Jehovah cum exivisti e Seir*, cum

egressus es ex agro Edomi, terra contremuit, montes defluxerunt; hic Sinai coram Jehovah Deo Israëlis," Jud: V: 4. 5. Apud Esaiam "*Ad me clamans e Seir*, custos quid de nocte, custos quid de nocte, dixit custos, venit mane, etiamque nox," XXI: 11. 12; videantur haec de Seir, ut et quae allata sunt, n: 4240.

4385. Et dixit Esau, statuam quaeso cum te de populo qui mecum, quod significet quod conjungerentur aliqua de boni vero, constat ex significatione statuere cum te, quod sit conjungere; et ex significatione populi qui mecum, quod sint aliqua de boni vero; quod populus sint vera, videatur n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581, inde populus qui mecum, sunt boni vera: quid boni vera, aliquoties prius dictum est; sunt illa vera quae procedunt a bono, et quae bonum influens per Internum hominem in Externum secum habet; quod illa vera significata sint per quadringentos viros, quos Esau secum habebat, videatur supra n: 4341; hic ideo aliqua ex illis, nam dicitur de populo qui mecum.

4386. Et dixit, quare hoc, inveniam gratiam in oculis domini mei, quod significet illustrationem a praesentia interius, constare potest ex illis, quae submissionis haec formula involvit, per illam enim renuitur praesentia proxima, sed annuitur praesentia remota, quae eadem est cum praesentia interius, a qua illustratio.

4387. Et reversus in die illo Esau ad viam suam ad Seir, quod significet statum Divini Boni Naturalis tunc cui adjuncta veri bona, constat ex significatione diei [11] quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462, inde reversus in die illo, est status quem tunc induerat; ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Bonum Naturale, de qua supra n: 4340; ex significatione viae, quod sit verum voluntate et actu, n: 4337. 4353; et ex significatione Seir, quod sit conjunctio veri cum bono, de qua supra n: 4384; ex quibus in unum sensum collatis, patet, quod per illa verba significetur status Divini Boni Naturalis tunc cui adjuncta veri bona: quod haec significentur per illa verba, haudquaquam apparet ex sensu illorum historico, sed usque illa sunt, quae in sensu spirituali seu interno involvunt; coelum enim, quod in homine est, hoc est, angeli qui

apud illum, nihil prorsus curant historica mundana, nec sciunt quid Esau, nec quid Seir, etiam nec cogitant de die quo reversus Esau, nec de via ad Seir, sed ex spiritualibus, quae illis correspondent, ideas capiunt, ac inde in eodem instanti talem sensum hauriunt; correspondentiae enim hoc faciunt, quae paene se habent sicut cum quis loquitur lingua aliena, et alter in instanti sensum, sicut ex sua, intelligit, nec morantur illum voces aliter sonantes et articulatae; ita sensus internus Verbi, qui coincidit prorsus cum lingua universali, in qua sunt angeli, seu cum loquela cogitationis illorum spirituali; loquela illorum est spiritualis, quia cogitatio illorum est ex luce coeli, quae a Domino.

4388. Vers: 17. 18. 19. 20. *Et Jacob profectus ad Succoth, et aedificavit sibi domum, et acquisitioni suae fecit tuguria, propterea vocavit nomen loci Succoth. Et venit Jacob Schalem, urbem Schechemi, quae in terra Canaan, in veniendo eo e Paddan-Aram, et castrametatus ad facies urbis. Et emit portionem agri, ubi tetendit tentorium suum, e manu filiorum Chamoris patris Schechemi centum Kesithis. Et statuit ibi altare, et vocavit id El Elohe Israël.* Jacob profectus ad Succoth, significat statum vitae boni a vero tunc: et aedificavit sibi domum, significat incrementum boni a vero in illo statu: et acquisitioni suae fecit tuguria, significat similiter illorum quae in communi, bono a vero tunc: propterea vocavit nomen loci Succoth, significat quale ejus status: et venit Jacob Schalem urbem Schechemi, significat interiora vera fidei quae tranquillitatis: quae in terra Canaan, significat in Regno Domini: in veniendo eo e Paddan-Aram, significat post statum priorem: et castrametatus ad facies urbis, significat [12] applicationem: et emit portionem agri, significat appropriationem boni ex illo vero: ubi tetendit tentorium suum, significat sanctum: e manu filiorum Chamoris patris Schechemi, significat originem illius veri a stirpe Divina aliunde: centum Kesithis, significat plenum: et statuit ibi altare, significat cultum interiorem: et vocavit id El Elohe Israël, significat quod a Divino Spirituali.

4389. Jacob profectus ad Succoth, quod significet statum vitae boni a vero tunc, constat a repraesentatione Jacobi, quod sit veri bonum, de qua supra, hic bonum a vero tunc ex illis

quae adjuncta ei sunt a bono quod Esau, de quibus actum est; a significatione proficisci, quod sit vitae ordo et instituta, de qua n: 1293, ita vitae status; et a significatione Succoth, quod sit quale ejus status, de qua in sequentibus n: 4391. 4392.

4390. Et aedificavit sibi domum, quod significet incrementum boni a vero in illo statu, constat a significatione aedificare domum, quod sit instruere intelligentia et sapientia Externum hominem, de qua n: 1488; et quia intelligentia est veri, et sapientia est boni, hic per aedificare domum significatur incrementum boni a vero; quod domus sit bonum, videatur n: 2233. 2234. 3128. 3142. 3652. 3720: quid bonum veri, supra n: 4337. 4353, dictum est, quod nempe sit verum voluntate et actu, id verum est quod bonum dicitur; et conscientia quae ex illo bono est, vocatur conscientia veri. Hoc bonum quod ex vero, tantum crescit, quantum homo exercet charitatem ex velle bene, ita quantum et qualiter amat proximum. Quod toties in explicationibus Bonum et Verum nominentur, est causa, quia omnia quae in coelo sunt, et inde omnia quae in Ecclesia Domini, se referunt ad Verum et Bonum; haec bina includunt in genere omnia quae sunt Doctrinae et quae sunt Vitae, Vera quae sunt Doctrinae, et Bona quae sunt Vitae: Mens humana etiam in universali non alia objecta habet, quam quae sunt Veri et Boni, ejus Intellectus quae sunt Veri, et ejus Voluntas quae sunt boni: inde patet, quod Verum et Bonum sint latissimae significationis, et quod derivationes eorum sint numero ineffabiles: inde est, quod toties Verum et Bonum nominentur.

4391. Et acquisitioni suae fecit tuguria, quod significet similiter in communi, bono et vero tunc, constat ex significatione acquisitionis, quod sint bona et vera in communi; et ex significatione facere tuguria seu tentoria, quod sit simile cum aedificare domum, nempe accipere incrementum boni a vero, cum differentia, quod aedificare domum sit minus commune, ita interius, et facere tuguria seu tentoria sit communius, ita exterius; illud erat pro ipsis, nempe Jacobo, ejus foeminis et natis, hoc pro servitiis, gregibus et armentis: tuguria seu tentoria in Verbo proprie significant sanctum veri, et distinguuntur a tabernaculis, quae etiam tentoria vocantur, per id quod haec si-

gnificent sanctum boni, n: 414. 1102. [13] 2145. 2152. 4128; illa in lingua originali appellantur Succoth, haec autem Ohalim: sanctum veri est bonum quod a vero. Quod significatio tuguriorum seu tentoriorum, quae vocantur Succoth, illa sit, patet quoque ab his locis in Verbo; apud Davidem „ Jehovah Deus equitavit super Cherubo, et volavit, et vectus super alis venti, posuit tenebras absconsionem suam, et *circuitus suos Tentorium suum*, tenebrae aquarum, *nubes coelorum*," Psalm: XVIII: 11. 12; et alibi „ Inclinavit coelos cum descendit, et densae tenebrae sub pedibus Ipsius: et equitavit super Cherubo, et volavit, et vectus super alis venti, et posuit tenebras circum se *tentoria*, ligaturas aquarum, *nubes coelorum*," II Sam: XXII: 10. 11. 12; ubi de revelatione Divina seu Verbo; inclinare coelos cum descendit, pro abscondere interiora Verbi; densae tenebrae sub pedibus Ipsius, pro quod illa quae apparent homini sint tenebrae respective, sensus literalis Verbi est talis; equitare super Cherubo, pro quod ita provisum; ponere tenebras circum se tentoria, seu circuitus suos tentorium suum, pro sanctum veri in abscondito, nempe intus in sensu literali; ligaturae aquarum, et nubes coelorum, sunt Verbum in litera; quod nubes coelorum sit Verbum in litera, videatur Praefatio ad Cap: XVIII: Genes: et n: 4060: simile significatur per haec apud Esaiam „ Creabit Jehovah super omne habitaculum montis Zionis, et super convocationes ejus, *nubem interdiu*, et fumum et splendorem ignis flammae noctu, nam super omni *gloria* obtegumentum; et *Tentorium* erit in umbram interdiu, et in refugium et absconsionem contra inundationem et pluviam," IV: 5. 6; nubes quoque hic est sensus literalis Verbi, et gloria sensus internus, ut quoque apud Matthaeum Cap: XXIV: 30. Marcum Cap: XIII: 26. Lucam Cap: XXI: 27; tentorium quoque hic pro sancto veri. Quod dicatur quod interiora vera sint in abscondito, est ob causam, si revelata fuissent, quod tunc illa prophanavissent, videatur n: 3398. 3399. 4289; [14] quod etiam exponitur per haec verba apud Davidem „ Occultas eos in abdito facierum tuarum prae insidiosis consiliis viri, *abscondis eos in tentorio* prae lite linguarum," Psalm: XXXI: 21. Quod Tentorium sit sanctum veri, patet etiam apud Amos „ In die illo *erigam Tentorium Davidis lapsum*, et obsepiam rupturas,

et destructa erigam, et aedificabo juxta dies aeternitatis," IX: 11; erigere tentorium Davidis lapsum, pro sanctum veri restaurare postquam periit, David pro Domino respective ad Divinum Verum, n: 1888, Rex enim est Divinum Verum, n: 2015. 2069. 3009. Quia Tentorium significabat Sanctum veri, et habitare tentoria significabat cultum inde, ideo festum tentoriorum, quod vocatur festum tabernaculorum, in Ecclesia Judaica et Israëlitica, institutum erat, Levit: XXIII: 34. 42. 43. Deut: XVI: 13. 16, ubi etiam festum illud vocatur festum Succoth seu tentoriorum.

4392. Propterea vocavit nomen loci Succoth, quod significet quale ejus status, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; et ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321; quale hujus status, est quod Succoth involvit, nempe quale status sancti vero a bono tunc; Succoth enim significat tentoria, et tentoria sanctum veri, ut mox supra n: 4391, ostensum est: simile etiam significat Succoth apud Davidem „ Dividam Schechemum, et vallem *Succoth* dimetiar: Mihi Gilead, et Mihi Menascheh, et Ephraim robur Capitis mei, Jehudah legislator meus," Psalm: LX: 8. et CVIII: 8.

4393. Et venit Jacob Schalem, urbem Schechemi, quod significet interiora vera fidei quae tranquillitatis, constat ex significatione Schalem, quod sit tranquillitas pacis, de qua sequitur; et ex significatione urbis Schechemi, quod sint interiora vera fidei, de qua in Capite sequente, ubi de Schechemo et ejus urbe agitur; quod urbs sit verum fide, videatur n: 402, 2268. 2449. 2451. [15] 2712. 2943. 3216: quod Schalem significet tranquillitatem pacis, constare potest apud Davidem „ Notus in Jehudah Deus, in Israël magnum nomen Ipsius, *et est in Schalem Tentorium Ipsius*, et habitaculum Ipsius in Zione: ibi fregit prunas arcus, scutum, et gladium, et bellum," Psalm: LXXVI: 2. 3. 4; ubi quod Schalem sit tranquillitas pacis patet, nam dicitur, quod ibi fregerit prunas arcus, scutum, gladium, et bellum; tum a significatione ejus in lingua originali, Schalem enim est tranquillitas et perfectio; quid tranquillitas pacis videatur n: 1726. 3696; in illa sunt interiora vera, hoc est,

illi qui in interioribus veris fide et vita sunt; sed quamdiu in exterioribus veris sunt, et cumprimis quando ab exterioribus venitur in interiora, tunc status intranquillus est, nam tunc pugnae tentationum: id quoque repraesentatur per Jacobum hic, quod postquam in timore et anxietate fuerit pro Esavo, nunc ad statum tranquillitatis pervenerit.

4394. Quae in terra Canaan, quod significet in Regno Domini, constat ex significatione terrae Canaanis, quod sit Regnum Domini, de qua n: 1413. 1437. 1607. 3038. 3481. 3705: homo cum est in interioribus veris fide et vita, est in Regno Domini, et in statu tranquillitatis, et tunc spectat exteriora, sicut qui ex edito colle, mare quod tumultuatur.

4395. In veniendo eo e Paddan-Aram, quod significet post statum priorem, constat a significatione in veniendo eo, quod sit post; et a significatione Paddan-Aram, quod sit cognitiones boni et veri, de qua n: 3664. 4107. 4112, sed cognitiones exteriores, quae inserviunt introducendis bonis et veris genuinis, nam ibi Laban, per quem quod affectio talis boni repraesentetur, videatur n: 3612. 3665. 3778. 3974. 3982. 3986 f. 4063. 4189. 4206; quare in veniendo eo e Paddan-Aram dicitur, quia ab externis veris et bonis ad interiora, ita a statu priori ad hunc, perventum.

4396. Et castrametatus ad facies urbis, quod significet applicationem, nempe ad bona illius veri, constat a significatione castrametari, quod proprie sit dispositio secundum ordinem, de qua n: 4236, hic autem applicatio, nam castrametari hic significat sedem figere cum armentis suis et gregibus, qui quoque supra n: 4364, castra dicta sunt; et ex significatione ad facies urbis, quod sit ad bona illius veri, facies enim significat interiora, n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573. 4066, proinde affectiones boni et veri, quae elucent ex facie; quod urbs sit verum, videatur n: 402. 2268. 2449. 2451. [15] 2712. 2943. 3216.

4397. Et emit portionem agri, quod significet appropriationem boni ex illo vero, constat ex significatione emere, quod sit sibi appropriare; et ex significatione portionis agri, quod sit bonum quod ex illo vero; quod ager sit Ecclesia quoad bonum, ita bonum, videatur n: 2971. 3196. 3317. 3500. 3508. 3766.

4398. Ubi tetendit tentorium suum, quod sit sanctum,

constat ex significatione tentorii, quod sit sanctum, de qua n: 414. 1102. 2145. 2152. 3210.

4399. E manu filiorum Chamoris patris Schechemi, quod significet originem illius veri a stirpe Divina aliunde, constabit ex illis quae in Capite sequente dicenda, ubi de Chamore et Schechemo agitur.

4400. Centum Kesithis, quod significet plenum, constat ex significatione centum, quod sit status plenus, de qua n: 2636, proinde plenum, sed proprie per centum hic significatur multum, agitur enim de appropriatione boni ex veris interioribus, quae significantur per filios Chamoris patris Schechemi, n: 4399: per Kesithas, quae nummi erant, in sensu interno significantur talia vera; derivatur etiam vox illa a voce, quae significat verum, Psalm: LX: 6. De conjunctione boni cum illis veris, dicetur infra n: 4402.

4401. Et statuit ibi altare, quod significet cultum interiorem, constat ex significatione statuere altare, quod sit cultus; altare enim erat principale repraesentativum Domini, n: 921. 2777. 2811, inde etiam principale cultus; per cultum hic intelligitur cultus interior ex Divino Spirituali, de qua re nunc sequitur.

4402. Et vocavit id El Elohe Israël, quod significet ex Divino Spirituali, nempe cultus interior, constat ex significatione El Elohe, de qua sequitur; et ex significatione Israël, quod sit spirituale, de qua n: 4286. 4292. Cum his, quae a Versu 17 hujus Capitis huc usque dicta sunt, ita se habet: agitur in hoc Capite in sensu supremo de Domino, quomodo Ipse Naturale suum, Divinum fecerat; sed quia illa quae in sensu supremo sunt de Domino, excedunt ideas cogitationis hominis, sunt enim Divina, licet illustrare illa per talia, quae propius cadunt in ideas, nempe per id quomodo Dominus Naturale hominis regenerat; de regeneratione enim hominis quoad ejus Naturale in sensu interno hic etiam agitur, nam Regeneratio hominis est imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490, Dominus enim secundum ordinem Divinum se glorificavit, hoc est, Divinum fecit, et quoque secundum talem ordinem, hominem regenerat, hoc est, coelestem et spiritualem facit; hic quomodo spiritualem, nam Israël significat illum: Spiritualis homo

non est interior rationalis homo, sed interior naturalis; interior rationalis homo est qui vocatur coelestis: quae differentia sit inter spiritualem et coelestem hominem, saepius prius dictum est; homo spiritualis fit per id, quod apud illum conjungantur vera cum bono, hoc est, illa quae sunt fidei cum illis quae sunt charitatis, et hoc in Naturali ejus, ibi conjunguntur primum vera exteriora cum bono, et dein vera interiora; de conjunctione verorum exteriorum in naturali actum est in hoc Capite a Versu 1 ad 17, et de conjunctione verorum interiorum cum bono, a Versu 17 ad finem: vera interiora non aliter conjunguntur cum bono, quam per illustrationem influentem per Internum hominem in Externum, ex illustratione illa patent vera Divina non nisi quam communiter, comparativé quemadmodum objecta innumerabilia oculo sicut unum obscurum absque distinctione; haec illustratio, ex qua vera non nisi quam communiter apparent, significata est per Esavi verba ad Jacobum „Statuam quaeso cum te de populo mecum,“ et per responsum Jacobi „Quare hoc, inveniam gratiam in oculis tuis,“ de quibus videatur n: 4385. 4386; quod Spirituali homini sit obscurum respective, videatur n: 2708. 2715. 2716. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3241. 3246. 3833; spiritualis hic homo est qui repraesentatur per Israëlem, n: 4286: spiritualis homo dicitur ex eo, quod lux coeli, in qua est intelligentia et sapientia, influat in illa quae sunt lucis mundi apud hominem, et faciat ut illa quae sunt lucis coeli repraesententur in his quae sunt lucis mundi, utque sic correspondeant; spirituale enim in se spectatum est ipsa Divina Lux quae a Domino, proinde intelligentia veri, et indé sapientia; sed lux illa apud spiritualem hominem incidit in illa quae sunt fidei apud illum et credit esse vera, at apud coelestem in bonum amoris: Sed haec, tametsi clara sunt illis qui in luce coeli, usque obscura sunt illis qui in luce mundi, ita plerisque hodie, et fortassis ita obscura, ut vix intelligibilia; veruntamen quia de illis agitur in sensu interno, ac illa talia sunt, non supersedendum quin aperiantur; venturum est tempus, quando illustratio. Quod altare vocatum sit El Elohe Israel, et per id significatus cultus interior ex Divino spirituali, est, quia El Elohe idem est in sensu supremo cum Divino Spirituali et quoque Israël; quod Israël sit Dominus quoad Divinum

Spirituale, ac in sensu repraesentativo Ecclesia spiritualis Domini, seu quod idem, homo qui talis, videatur n: 4286. 4292; El Elohe in lingua originali significat Deum Deum, et stricte secundum verba, Deum deorum: in Verbo Jehovah seu Dominus plurimis in locis nominatur El in singulari, etiam Eloah, et quoque nominatur Elohim in plurali, uterque aliquoties in uno Versu aut in una serie; qui sensum internum Verbi non scit, non scire potest cur ita: quod El involvat aliud, et Eloah aliud, ac Elohim aliud, quisque potest judicare ex eo, quod Verbum sit Divinum, hoc est, a Divino ducat originem, et quod sit inde inspiratum quoad omnes voces, imo quoad omnium minimum apicem: quid El, cum nominatur, et quid Elohim, involvit, constare potest ab illis quae supra passim ostensa sunt, quod nempe El et Elohim seu Deus dicatur, cum agitur de Vero, videatur n: 709. 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 f. 4287; inde est, quod per El et Elohim in sensu supremo significetur Divinum Spirituale, nam hoc idem est cum Divino Vero, sed cum differentia, quod per El significetur Verum voluntate et actu, quod idem est cum Veri bono, n: 4337. 4353. 4390: Elohim in plurali dicitur, quia per Verum Divinum intelliguntur omnia vera quae a Domino; inde etiam Angeli in Verbo aliquoties dicuntur Elohim seu dii, n: 4295, ut quoque patebit a locis infra e Verbo adductis. Quia nunc El et Elohim in sensu supremo significant Dominum quoad Verum, etiam significant Ipsum quoad Potentiam, nam Verum est, de quo praedicatur potentia, bonum enim per verum agit, cum potentiam exercet, n: 3091. 4015; quapropter ubi in Verbo agitur de Potentia ex vero, Dominus El ac Elohim, seu Deus, dicitur; inde quoque est, quod El in lingua originali etiam significet Potentem. Quod El et Elohim seu Deus, dicantur in Verbo, ubi agitur de Divino Spirituali, seu quod idem, de Divino Vero, et inde Divina Potentia, constare potest adhuc ab his locis; apud Mosen „ Dixit Deus Israëli in visionibus noctis, Ego *Deus deorum* (El Elohe) patris tui, non timeas a descendendo in Aegyptum, quia in gentem magnam ponam te ibi, " Genes: XLVI: 2. 3; ibi quia ad Israëlem, quem ponet in gentem magnam, et sic de vero et ejus potentia agitur, dicitur El Elohe, quod in sensu proximo significat Deum deorum; quod Elohim in sensu proximo sint dii,

quia praedicantur de veris et inde potentia, etiam patet apud Eundem „Ibi aedificavit Jacob Altare, et vocavit locum *El-Beth-El*, quia ibi revelati sunt illi *Elohim*, in fugiendo illo coram fratre suo," Genes: XXXV: 7: et alibi apud Eundem „Jehovah Deus vester, [16] Ipse *Deus deorum*, et Dominus dominorum, *Deus* (El) magnus, potens et formidabilis," Deut: X: 17; ubi Deus deorum exprimitur per Elohe Elohim, et dein Deus per El, cui tribuitur magnitudo et potentia. Apud Davidem „Deus (El) magnus Jehovah, et Rex magnus super omnes *deos* (Elohim), in cujus manu pervestigationes terrae, et robora montium Ipsi," Psalm: XCV: 3. 4; ibi Deus seu El dicitur, quia de Divino Vero et inde Potentia agitur; tum dii dicuntur, quia de veris quae inde; Rex enim in sensu interno significat verum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 3670; inde quid Rex magnus super omnes deos involvit, constat; pervestigationes terrae sunt quoque vera Ecclesiae, quae vocantur robora montium a potentia ex bono. Apud Eundem „Quis in coelo comparabit se Jehovae, assimilabitur Jehovae in *filiis deorum* (Elim), *Deus* (El) validus in arcano sanctorum, Jehovah *Deus* Zebaoth, quis sicut Tu fortis Jah," Psalm: LXXXIX: 7. 8. 9; ibi filii deorum seu Elim pro Veris Divinis, de quibus quod praedicetur potentia, patet, nam dicitur Deus (El) validus, Jehovah Deus exercituum, quis fortis sicut Tu. Similiter alibi apud Eundem „Date Jehovae *filii deorum*, date Jehovae gloriam et *robur*," Psalm: XXIX: 1. Apud Mosen „Ceciderunt super facies suas, et dixerunt, *Deus deorum* (El Elohe) spirituum omnis carnis," Num: XVI: 22. Apud Davidem „Ego dixi, dii (Elohim) vos, et filii Altissimi omnes vos," Psalm: LXXXII: 6. Joh: X: 34, ubi dii dicuntur a veris, nam filii sunt vera, n: 489. 491. 533. 1147. 2628. 3373. 3704. Apud Eundem „Confitemini *Deo deorum* (Elohe Elohim), confitemini Domino dominorum," Psalm: CXXXVI: 2. 3. Apud Danielem „Aget pro lubitu suo rex, et efferet se, et exaltabit se super omnem *deum* (El), et super *Deum deorum* (El Elohim) loquetur mira," XI: 36: Inde patet, quod El Elohe in proximo sensu sit Deus deorum, et quod dii in sensu interno praedicentur de veris quae a Domino. Quod El seu Deus in singulari dicatur, ubi agitur de potentia quae ex Divino Vero, seu quod idem, ex Divino

Spirituali Domini, constare potest ab his locis, apud Mosen „Sit *Deo* (El) manus mea ad faciendum cum te malum," Gen: XXXI: 29: et alibi „Nec pro *Deo* (El) manus," Deut: XXVIII: 32: et apud Micham „Nec pro *Deo* (El) manus," II: 1; pro Deo manus est ut sit potentia; quod manus sit potentia, videatur n: 878. 3387; et quod manus praedicetur de vero, n: 3091. Apud Davidem „Ponam in mari *manum* Ipsius, et in fluviis *dextram* Ipsius; Ille vocabit Me Pater meus Tu, *Deus* (El) meus, petra salutis meae," Psalm: LXXXIX: 26. 27; ubi de potentia ex veris. Apud Eundem „Impius dicit in corde suo, oblitus est *Deus* (El), occultavit facies suas, non videt in perpetuum: surge Jehovah *Deus* (El), extolle *manum* tuam, quapropter contemnit impius *Deum* (Elohim)" Psalm: X: 11. 12. 13, similiter. Apud Eundem „Jehovah petra mea, et propugnaculum meum, et ereptor meus, *Deus* (El) meus, rupes mea," Psalm: XVIII: 3, ubi de potentia. Apud Esaiam „Residuum revertetur, residuum Jacobi ad *Deum* (El) *potentem*," X: 21. Apud Eundem „Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero principatus, vocabit nomen Ipsius, Mirabilis, Consilarius, *Deus* (El), *Potens*, Pater aeternitatis, Princeps pacis," IX: 5. Apud Eundem „Ecce *Deus* (El) salutis meae, confidam, et non timebo, quia *robur* meum," XII: 2. Apud Eundem „Ego *Deus* (El) etiam ex die, Ego Ipse, et nemo e manu mea eripiens, facio et quis retractabit illud," XLIII: 12. 13, ibi de potentia. Apud Jeremiam „*Deus* (El) *magnus*, *potens*, cujus nomen Jehovah exercituum," XXXII: 18. In Libro II Samuelis „Cum *Deo* (El) meo transiliam murum, *Deus* (El) integra via Ipsius, sermo Jehovae purus, quis *Deus* (El) praeter Jehovam, quis petra praeter *Deum* (Elohim) nostrum, *Deus* (El) refugii mei *robur*," XXII: [30.] 31. 32. 33. Apud Mosen „Non vir *Deus* (El) et mentiatur, aut filius hominis et poeniteat Ipsum, num ille dixerit, et non fecerit, aut loquutus fuerit, et non stabiliverit: eduxit eos ex Aegypto, sicut robora unicornis illi; tempore illo dicetur Jacobo et Israëli, quid fecerat *Deus* (El)" Num: XXIII: 19. 21. 22 [. 23]; ubi in sensu interno de potentia et vero: et apud Eundem „*Deus* (El) qui eduxit eum ex Aegypto, sicut robora unicornis illi; consumet gentes hostes suos, et ossa eorum franget, et tela ejus con-

teret," Num: XXIV: 8; quod cornua et robora unicornis significent potentiam veri ex bono, videatur n: 2832: praeter in multis aliis locis. Quia in Verbo pleraque etiam oppositum sensum habent, ita quoque deus et dii, qui ita nominantur cum de falso, et de potentia ex falso, agitur; ut apud Ezechielem „Alloquentur illum *dii* (Elim) *fortium* in medio inferni," XXXII: 21. [17] Apud Esaiam „Incaluistis in *diis* (Elim) sub omni arbore viridi," LVII: 5: ubi dii dicuntur ex falsis: similiter alibi.

Continuatio de Maximo Homine et de Correspondentia; hic de Correspondentia cum Oculo, et cum Luce.

4403. *Spiritus quales essent, et ad quam provinciam corporis pertinerent, etiam animadvertere et scire datum est ex illorum situ et loco apud me, tum quoque a plano in quo essent, et a distantia in illo: qui prope ad me visi sunt, utplurimum fuerunt subjecta integrarum societatum; societates enim a se mittunt* [18] *Spiritus ad alios, et per illos percipiunt cogitata et affectiones, et sic communicant; sed de Subjectis ita dictis seu de Spiritibus emissariis, singillatim, ex Divina Domini Misericordia, dicetur; de quibus haec observata sunt; qui supra caput apparent, et prope ad illud, sunt qui docent, et quoque facile doceri se patiuntur; qui sub occipitio, sunt qui tacite et prudenter agunt; qui a tergo prope, similiter cum differentia; qui ad thoracem seu pectus, sunt qui in charitate; qui ad lumbos, sunt qui in amore conjugiali; qui ad pedes, sunt qui naturales sunt; et qui ad plantas, sunt illius generis crassiores: qui autem ad faciem, sunt diverso genio, secundum correspondentiam cum Sensoriis quae ibi; ut qui ad Nares, sunt qui perceptione pollent; qui ad aures, sunt qui obediunt; et qui ad Oculos, sunt qui intelligentes et sapientes sunt; et sic porro.*

4404. *Sensus externi, qui sunt quinque, nempe Tactus, Gustus, Odoratus, Auditus, et Visus, singuli habent Correspondentiam cum Sensibus internis; sed Correspondentiae hodie vix alicui notae sunt, quia non sciunt quod Correspondentiae aliquae sint, et minus quod Correspondentia Spiritualium sit cum naturalibus, seu quod idem, illorum quae sunt Interni hominis cum illis quae sunt Externi: quod Correspondentias sensuum attinet, Sensus tactus in genere correspondet affectioni boni; sensus gustus affectioni sciendi; sensus odoratus affectioni percipiendi; sensus auditus, affectioni discendi, tum obedientiae; sensus autem visus affectioni intelligendi et sapiendi.*

4405. *Quod Sensus visus correspondeat affectioni intelligendi et sapiendi, est quia visus corporis prorsus correspondet visui spiritus ejus, ita intellectui: sunt enim binae Luces, una quae est mundi a sole, altera quae est coeli a Domino; in luce mundi nihil intelligentiae est, at in luce coeli est intelligentia; inde quantum apud hominem illa quae sunt lucis mundi illuminantur ab illis quae sunt lucis coeli, tantum intelligit et sapit homo; ita quantum correspondent.*

4406. *Quia Visus oculi correspondet intellectui, ideo quoque intellectui tribuitur visus, et vocatur visus intellectualis; etiam illa quae appercipit homo, vocantur objecta illius visus; et quoque in familiari sermone dicitur quod videantur illa cum intelliguntur: et quoque praedicatur de intellectu lux et illuminatio, et inde claritas, ac vicissim umbra et obtenebratio, et inde obscuritas: haec et similia in usum loquendi venerunt apud hominem ex eo, quod correspondeant; ejus spiritus enim est in luce coeli, et ejus corpus in luce mundi, et spiritus est qui vivit in corpore, et quoque qui cogitat; inde plura, quae sunt interiora, ita ceciderunt in voces.*

4407. *Oculus est organum faciei nobilissimum, ac immediatius communicat cum Intellectu, quam reliqua organa sensoria hominis; etiam modificatur a subtiliore atmosphaera, quam Auris, ideo etiam Visus per breviorem et interiorem viam, quam loquela percepta aure, penetrat ad sensorium internum, quod in Cerebro: inde quoque est, quod quaedam animalia, quia intellectu carent, bina quasi succenturiata Cerebra intra*

oculorum illorum orbitas habeant; intellectuale enim eorum a visu eorum pendet, homo autem non ita, sed amplo Cerebro pollet, ut non intellectuale ejus a visu pendeat, sed visus ab intellectuali. Quod visus ab intellectuali pendeat, patet manifeste ex eo, quod affectiones naturales hominis se repraesentative effigient in facie; at interiores affectiones, quae sunt cogitationis, appareant in oculis a quadam vitae flamma, et inde lucis evibratione, quae emicat secundum affectionem in qua est cogitatio: hoc quoque novit homo et observat, tametsi non instructus per aliquam scientiam; causa est, quia ejus spiritus est in societate cum spiritibus et angelis in altera vita, qui ex evidente perceptione id sciunt: quod unusquisque homo quoad suum spiritum sit in societate cum spiritibus et angelis, videatur n: 1277. 2379. 3644. 3645.,

4408. *Quod Correspondentia visus ocularis sit cum visu intellectuali, apparet manifeste illis qui reflectunt; objecta enim mundi, quae omnia trahunt aliquid ex luce solis, per oculum intrant, et se reponunt in memoria, et hoc evidenter sub specie visuali simili, nam quae inde reproducuntur, videntur intus, inde imaginatio hominis, cujus ideae a Philosophis vocantur ideae materiales; haec objecta cum adhuc interius apparent, sistunt cogitationem, et hoc quoque sub aliqua specie visuali sed puriori, et hujus ideae appellantur immateriales, tum intellectuales: quod lux interior sit, in qua vita, proinde intelligentia et sapientia, quae illuminat visum interiorem, et occurrit illis quae intrarunt per visum externum, luculenter patet; tum quod lux interior operetur secundum dispositionem rerum quae a luce mundi ibi sunt. Quae per auditum intrant, vertuntur etiam intus in species similes visualium, quae sunt ex luce mundi.*

4409. *Quia visus ocularis correspondet visui intellectuali, etiam correspondet veris, nam ad Verum se referunt omnia quae sunt intellectus, et quoque ad bonum, nempe ut non modo sciat bonum, sed etiam afficiatur bono: etiam omnia Visus externi, se referunt ad Verum et Bonum, quoniam ad objectorum symmetrias, proinde ad eorum pulchritudines et inde amoenitates: qui perspicax est, videre potest quod omnia et singula in natura se referant ad verum et bonum; et per id*

quoque scire potest, quod universa natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini.

4410. *Per multam experientiam mihi patefactum est quod visus oculi sinistri correspondeat veris quae intellectus, et oculus dexter affectionibus veri quae quoque sunt intellectus; proinde quod oculus sinister correspondeat veris fidei, et oculus dexter bonis fidei. Quod talis Correspondentia sit, est, quia in Luce quae a Domino, non modo est lux sed etiam Calor, ipsa lux est verum quod procedit a Domino, et calor est bonum; inde et quoque ex influxu in bina haemisphaeria Cerebri est Correspondentia talis; nam qui in bono sunt, ad dextrum Domini sunt, et qui in vero ad sinistrum.*

4411. *Omnia et singula, quae sunt in oculo, habent suas correspondentias in coelis, sicut tres humores, aqueus, vitreus, et crystallinus; nec solum humores, sed etiam tunicae, imo unaquaevis pars: quae interiora oculi sunt, correspondentias pulchriores et amoeniores habent, sed differenter in unoquovis coelo; Lux illa, quae a Domino procedit, cum influit in intimum seu Tertium Coelum, recipitur ibi ut bonum, quod vocatur Charitas; et cum influit in medium seu Secundum Coelum, mediate et immediate, recipitur ut Verum quod ex Charitate; at cum Verum hoc influit in ultimum seu Primum Coelum, mediate et immediate, recipitur substantialiter, et apparet ibi sicut paradisus, et alibi sicut civitas in qua palatia; ita succedunt Correspondentiae usque ad Visum Angelorum externum: in homine similiter, in ejus ultimo, quod est Oculus, sistitur id materialiter, per visum, cujus objecta sunt quae sunt mundi aspectabilis: homo, qui in amore et charitate, et inde in fide est, habet interiora sua talia, nam correspondet tribus coelis, et est in effigie parvulum coelum.*

4412. *Erat quidam in vita corporis mihi notus, sed non quoad animum et affectiones interiores, is mecum in altera vita aliquoties loquutus, sed paulisper e longinquo; is se communiter manifestabat per repraesentativa amoena, potuit enim sistere talia quae delectabant, sicut omnis generis colores, et coloratas formas pulchras, introducere infantes pulchre decoratos sicut angelos, et perplura similia quae amoena et jucunda essent; agebat per influxum lenem et mollem, et hoc in oculi*

sinistri tunicam; per talia insinuabat se in affectiones aliorum, fine beneplacendi et jucundandi vitam illorum: dictum mihi ab angelis, quod tales sint qui ad tunicas oculi pertinent, et quod communicent cum coelis paradisiacis, ubi in forma substantiali repraesentantur vera et bona, ut supra n: **4411**, *dictum.*

4413. *Quod Lux coeli in se habeat intelligentiam et sapientiam, et quod sit intelligentia veri et sapientia boni a Domino, quae coram oculis angelorum ut Lux apparet, per vivam experientiam mihi scire datum est; elevatus sum in lucem quae scintillabat sicut lux radiosa ex adamantibus; in qua cum tenerer, visus sum mihi abduci ab ideis corporeis, ac induci in ideas spirituales, ac ita in illa quae sunt intelligentiae veri et boni; ideae cogitationis, quae a luce mundi suam originem traxerunt, apparebant tunc a me remotae et quasi ad me non pertinentes, tametsi obscure aderant: inde nosse datum, quod quantum homo in lucem illam venit, tantum in intelligentiam: inde est, quod [quo] intelligentiores Angeli sunt, eo in majori et illustriori luce sint.*

4414. *Lucis differentiae in Coelo totidem sunt, quot sunt Societates angelicae quae constituunt coelum, imo quot sunt Angeli in quavis societate; causa est, quia coelum ordinatum est secundum omnes differentias boni et veri, ita secundum omnes status intelligentiae et sapientiae, consequenter secundum receptiones lucis quae a Domino; inde est, quod nullibi in universo coelo sit prorsus similis lux, sed differt secundum temperaturas cum flammeo et candido, et secundum gradus intensionis; nam Intelligentia et Sapientia non aliud est, quam eminens modificatio lucis coelestis quae a Domino.*

4415. *Animae recentes seu spiritus novitii, qui nempe aliquot diebus post mortem corporis in alteram vitam veniunt, mirantur summopere quod Lux in altera vita sit, trahunt enim secum illam ignorantiam, quod non aliunde lux sit quam a sole et a flamma materiali; et adhuc minus sciunt, quod sit aliqua lux quae illuminat intellectum, nam hanc in vita corporis non apperceperunt; et adhuc minus, quod illa lux det cogitandi facultatem, et per influxum in formas, quae sunt a luce mundi, sistat omnia quae sunt intellectus: illi, si boni fuerunt, ut instruantur, elevantur ad Societates coelestes, et a*

societate in societatem, ut per vivam experientiam percipiant, quod in altera vita sit lux, et illa intensior quam usquam datur in mundo, utque simul appercipiant, quod quantum in luce ibi sunt, tantum in intelligentia sint: quidam, qui sublati in lucis coelestis sphaeras, inde mecum loquuti sunt, et fassi quod nusquam tale crediderint, et quod lux mundi respective tenebrae sit; etiam inde spectarunt per meos oculos in lucem mundi, et hanc non aliter perceperunt quam nimbum tenebrosum; et ex miseratione dixerunt, quod in tali sit homo. Ex his quae dicta sunt, etiam constare potest, cur Angeli coelestes in Verbo dicantur lucis angeli; et quod Dominus sit Lux et inde vita hominibus, Joh: I: 1 *ad* 9. *Cap:* VIII: 12.

4416. *Spiritus in altera vita ex Luce, in qua sunt, apparent quales sunt, nam lux, in qua vident, correspondet luci ex qua percipiunt, ut dictum est: qui vera sciverunt, et quoque illa confirmaverunt apud se, et tamen vitam mali vixerunt, illi apparent in luce nivea, sed frigida, qualis est lux hyemalis; at cum ad illos, qui in luce coeli sunt, accedunt, tunc illorum lux prorsus obtenebratur et fit caliginosa; et cum removent se a luce coeli, succedit lumen flavum sicut ex sulphure, in quo apparent tanquam spectra, ac vera illorum sicut phantasmata; nam vera eorum fuerunt fidei persuasivae, quae talis est, ut crediderint, quia illis honor, lucrum, et fama inde, et illis perinde fuerit, quid verum modo receptum. Qui autem in malo sunt et inde in falsis, apparent in lumine tanquam ignis carbonarei; hoc lumen fit prorsus furvum ad lucem coeli; sed ipsa lumina, ex quibus vident, variantur secundum falsum et malum, in quibus sunt. Inde etiam patuit, cur illi qui vitam mali agunt, nusquam possint veris Divinis fidem ex sincero corde habere; sunt enim in lumine illo fumoso, in quod cum lux coelestis incidit, fit illis tenebricosum, ut nec videant oculis nec videant mente, et praeterea tunc in angores, et quidam quasi in deliquia cadunt, inde est, quod mali nusquam recipere possint verum, sed unice boni. Homo qui vitam mali agit, non credere potest, quod in tali lumine sit, quia non videre lumen in quo ejus spiritus est, sed modo lumen in quo ejus oculi visus, et inde ejus mens naturalis; at si videret lumen spiritus sui, et experiretur qualis fieret si lux veri et boni*

e coelo in id influeret, sciret manifeste quam longe abesset a recipiendis illis quae sunt lucis, hoc est, quae sunt fidei, et magis ab imbuendis illis quae sunt charitatis, ita quantum distaret a coelo.

4417. *Sermo fuit cum Spiritibus quondam de Vita, quod nempe nemo aliquid vitae a se habeat, sed a Domino, tametsi videatur vivere a se, conferatur n:* 4320; *et tunc primum sermo fuit quid vita, quod nempe sit intelligere et velle, et quia omne intelligere se refert ad verum, et omne velle ad bonum, n:* 4409, *quod intelligentia veri et voluntas boni sit vita. Sed spiritus ratiocinatores dicebant; sunt enim spiritus qui dicendi sunt ratiocinatores, quia de omnibus num ita sit ratiocinantur, illi utplurimum in obscuro sunt de omni veritate, dicebant inquam, quod usque qui in nulla intelligentia veri et voluntate boni sunt, vivant, imo credant se prae aliis vivere; sed respondere illis datum, quod vita malorum appareat quidem illis sicut vita, sed usque quod sit vita quae vocatur mors spiritualis, quod scire possent ex eo, cum intelligere verum et velle bonum sit vita a Divino, tunc quod intelligere falsum et velle malum, non possit esse vita, quia mala et falsa contraria ipsi vitae sunt: ut evincerentur, ostensum est, qualis vita eorum, quae cum visa apparuit similis lumini ex igne carbonario, cui intermistum fumosum; in quo lumine cum sunt, opinari non aliter possunt, quam quod vita eorum cogitationis et eorum voluntatis sit unice vita, et adhuc magis ex eo, quod lux intelligentiae veri, quae est ipsius vitae, illis prorsus non apparere possit, ut primum enim in lucem illam veniunt, fit lumen illorum tenebricosum, adeo ut plane nihil videre possint, ita quoque nihil percipere: ostensum quoque, qualis status vitae eorum tunc erat, per abstractionem jucundi eorum ex falso, quod in altera vita fit per separationem spirituum quorum in societate sunt, quo facto, apparebant facie lurida, sicut cadavera, ut dici potuissent mortis effigies. De animalium autem vita, singillatim, ex Divina Domini Misericordia, agetur.*

4418. *Qui in infernis sunt, dicuntur esse in tenebris, sed in tenebris dicuntur esse quia in falsis; sicut enim lux correspondet veris, ita tenebrae falsis: sunt enim in lumine sicut ignis carbonarei et sulphurei flavo, ut supra dictum; hoc lu-*

men est quod intelligitur per tenebras, nam secundum lumen proinde secundum visum inde, est eorum intellectus, quia correspondent: tenebrae etiam dicuntur, quia lumina illa fiunt tenebrae ad lucem coelestem.

4419. *Erat spiritus apud me, qui cum vixit in mundo, multa scivit, et inde credidit quod prae omnibus saperet; a quo id malum contraxerat, quod ubicunque esset, omnia vellet regere; is missus ad me a quadam societate, ut inserviret illis pro subjecto, seu pro communicatione, n:* 4403, *et quoque ut abalienarent illum a se, quippe incommodus per id quod illos ex sua intelligentia regere vellet: cum apud me fuit, loqui dabatur cum illo de intelligentia ex proprio, quod illa in Orbe Christiano tantum valeat, ut credatur quod omnis intelligentia sit inde, et sic nulla ex Deo, tametsi cum ex doctrinalibus fidei loquuntur, dicunt, quod omne verum et bonum sit e coelo, ita a Divino, proinde omnis intelligentia, nam haec est veri et boni; sed cum ille spiritus ad haec attendere nolebat, dicebam, quod benefaceret si recederet, quia sphaera ejus intelligentiae infestabat; at quia in persuasione erat, quod intelligens prae aliis esset, non volebat; tunc ei ostendebatur ab Angelis, qualis est intelligentia ex proprio, et qualis intelligentia a Divino, et hoc per luces, talia enim in altera vita per lucis variegationes mirabiliter sistuntur videnda; Intelligentia ex proprio ostendebatur per lumen, quod apparebat sicut lumen fatuum, circum quod limbus tenebrosus esset, et praeterea ad parum distantiae se extendebat a foco; ostensum porro, quod illico extinguatur, cum inspicitur ab Angelica quadam Societate, prorsus sicut lumen fatuum ad lucem aut diem solis: deinde ostensum, qualis esset Intelligentia a Divino, etiam per Lucem, haec erat candida et luminosa plus quam meridiana solis, et se extendens ad omnem distantiam, seque terminans sicut lux solis in universo; et dictum, quod intelligentia et sapientia intret ab undique in illius lucis sphaeram, et faciat ut percipiatur verum et bonum intuitione paene illimitata, sed hoc secundum quale veri ex bono.*

4420. *Ex his constare potest, quod illa quae sunt lucis mundi apud hominem, correspondeant illis quae sunt lucis coeli; consequenter quod visus Externi hominis, qui est oculi,*

correspondeat visui Interni hominis, qui est intellectus: tum quod per Luces in altera vita appareat, qualis est intelligentia.

4421. *Continuatio de Correspondentia cum Oculo et cum Luce, ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

4422. Ante hoc Caput veniunt explicanda verba Domini apud Matthaeum Cap: XXIV: a Vers: 42 ad finem, quae sunt ultima in illo Capite de Consummatione saeculi seu Adventu Domini, quae sunt haec in litera „ *Vigilate ergo, quia non scitis qua hora Dominus vester venit. Illud vero scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua custodia fur venit, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Propterea etiam vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Quis ergo est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus ejus super famulitium suum, ad dandum illis cibum in tempore. Beatus servus ille, quem veniens Dominus ejus invenerit facientem ita. Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum. Si vero dixerit malus servus ille in corde suo, moratur Dominus meus venire. Ceperitque percutere conservos, edere vero et bibere cum ebriosis. Veniet Dominus servi hujus in die quo non exspectat, et in hora qua non novit. Et dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet: ibi est planctus et stridor dentium.*" Quid haec involvunt, constare potest a serie rerum; actum enim est in toto hoc Capite apud Evangelistam de Ultimo tempore Ecclesiae, quod in sensu interno est Consummatio saeculi, et Adventus Domini; quod ita sit, ab explicatione omnium illorum, quae in illo Capite, patere potest, quae videantur in praemissis ante Capita quae proxime praecedunt, nempe ante Caput XXVI, n: 3353 ad 3356: Cap: XXVII, n: 3486 ad 3489: Cap: XXVIII, n: 3650 ad 3655: Cap: XXIX, n: 3751 ad 3757: [1] Cap: XXX, n: 3897 ad

3901: Cap: XXXI, n: 4056 ad 4060: Cap: XXXII, n: 4229 ad 4231: Cap: XXXIII, n: 4332 ad 4335: quid in serie continuerunt, ibi etiam dictum est, nempe, cum Ecclesia Christiana post adventum Domini instaurata se vastare inciperet, hoc est, recedere a bono, quod tunc I. Non inciperent scire quid bonum et verum, sed litigarent de illis. II. Quod contemnerent illa. III. Quod dein non corde agnoscerent. IV. Postea quod prophanarent. V. Et quia adhuc permansurum verum fidei et bonum charitatis apud quosdam, qui electi vocantur, describitur status fidei tunc. VI. Et dein status charitatis. VII. Demum agitur de initio novae Ecclesiae: et VIII. De statu quoad bonum et verum intra Ecclesiam sic dictam, cum illa rejicitur, et nova adoptatur: ex hac serie constare potest, quid illa verba, quae supra exscripta sunt, et ultima illius Capitis sunt, involvunt; quod nempe sint Exhortationis ad illos qui in Ecclesia, ut in bono fidei sint, et si non, quod perituri.

4423. Quomodo se habet cum rejectione Veteris Ecclesiae, et adoptatione Novae, vix aliquis novit; qui non hominis interiora et horum status, et inde hominis status post mortem scit, non aliter capere potest, quam quod illi, qui ex vetere Ecclesia sunt, apud quos bonum et verum vastatum est, hoc est, non amplius corde agnoscitur, perituri sint, vel sicut antediluviani diluvio, vel sicut Judaei expulsione e terra sua, vel aliter: sed Ecclesia, cum vastata est, hoc est, cum non amplius in aliquo bono fidei est, principaliter perit quoad status interiorum suorum, ita quoad status in altera vita; removet se tunc coelum ab illis, et consequenter Dominus, et se transfert ad alios, qui loco illorum adoptantur; nam absque Ecclesia alicubi in tellure non datur communicatio coeli cum homine, Ecclesia enim est instar cordis et pulmonum Maximi hominis in terra, n: 468. 637. 931. 2054. 2853; qui tunc ab Ecclesia veteri sunt, et sic remoti a coelo, in quadam inundatione sunt quoad interiora, et quidem in inundatione supra caput; hanc inundationem ipse homo, cum vivit in corpore, non appercipit, sed in illam venit post mortem; inundatio illa manifeste apparet in altera vita, et quidem instar nimbi nebulosi, quo circumcinguntur, et per illum separantur a coelo: status illorum qui in nimbo illo nebuloso, est, quod nequicquam possint videre quid verum fidei, et

minus quid bonum ejus; lux enim coeli, in qua est intelligentia et sapientia, in illum nimbum penetrare non potest: hic est status Ecclesiae vastatae.

4424. Quid verba Domini supra allata in sensu interno involvunt, constare potest absque explicatione; Dominus enim ibi non per repraesentativa et significativa ita loquutus est, sed per comparativa; solum quid verba ultimi Versus significant, dicendum, quod nempe, „Dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet; ibi est planctus et stridor dentium:" *Dividet eum*, significat separationem et remotionem a bonis et veris; qui enim in cognitionibus boni et veri sunt, ut sunt illi qui intra Ecclesiam, et tamen in vita mali, illi dicuntur dividi, cum removentur ab illis; nam cognitiones boni et veri ab illis in altera vita separantur, et tenentur in malis, et inde quoque in falsis; causa est, ne per cognitiones boni et veri communicent cum coelo, et per mala et inde falsa communicent cum inferno, et sic pendeant inter utrumque; tum quoque ne bona et vera prophanent, quod fit cum commiscentur cum falsis et malis: tale quoque significatur per verba Domini ad illum, qui abscondidit talentum in terra „Tollite ab eo talentum, et date habenti decem talenta: habenti namque omni [2] dabitur, ut abundet; ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur," Matth: XXV: 28. 29; tum per illa, quae Dominus dicit alibi apud Matthaeum Cap: XIII: 12. tum apud Marcum Cap: IV: 25; et apud Lucam Cap: VIII: 18. *Et partem ejus cum hypocritis ponet*, significat sortem ejus, quae est pars, cum illis qui extrinsecus apparent in vero quoad doctrinam, et in bono quoad vitam, sed intrinsecus nihil veri credunt, et nihil boni volunt, qui sunt hypocritae; illi ita divisi sunt; quapropter cum auferuntur illis externa, ut fit ab omnibus in altera vita, apparent quales sunt quoad interna, quod nempe absque fide et charitate; has usque praetulerunt, ob causam ut captarent alios ad foenerandum honores, lucrum et famam: qui intra Ecclesiam vastatam sunt, paene omnes tales sunt; externa enim habent, sed nulla interna; inde illis inundatio interiorum, de qua mox supra n: 4423. *Ibi erit planctus et stridor dentium*, significat statum illorum in altera vita, planctus statum quoad mala, et stridor dentium statum quoad falsa: dentes enim in Verbo significant infima na-

turalia, in genuino sensu illorum vera, et in opposito sensu illorum falsa; etiam dentes correspondent illis; quapropter stridor dentium est collisio falsorum cum veris; qui in meris naturalibus sunt, et in illis ex fallaciis sensuum, et nihil credunt quod non inde vident, illi dicuntur in stridore dentium esse, et quoque in altera vita apparent sibi esse, cum de veris fidei ex fallaciis suis concludunt: in Ecclesia quoad bonum et verum vastata, abundant tales: simile etiam significatur alibi per stridorem dentium, ut apud Matthaeum „ Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit planctus et *stridor dentium*, " VIII: 12; filii regni sunt qui in Ecclesia vastata; tenebrae sunt falsa, n: 4418, in tenebris enim sunt, cum in nimbo nebuloso, de quo supra; stridor dentium, est collisio falsorum cum veris ibi: pariter alibi, ut apud Matthaeum Cap: XIII: 42. 50. Cap: XXII: 13. Cap: XXV: 30. et Luc: XIII: 28.

CAPUT XXXIV.

1. Et exivit Dinah filia Leae, quam peperit Jacobo, ad videndum filias terrae.

2. Et vidit illam Schechem filius Chamoris Chivaei, principis terrae, et sumsit eam, et cubuit cum ea, et compressit eam.

3. Et adhaerebat anima illius in Dinam filiam Jacobi, et amavit puellam, et loquutus super cor puellae.

4. Et dixit Schechem ad Chamor patrem suum, dicendo, accipe mihi natam hanc ad mulierem.

5. Et Jacob audivit, quod polluerit Dinam filiam suam; et filii ejus erant cum acquisitione ejus in agro; et tacuit Jacob usque ad venire illos.

6. Et exivit Chamor pater Schechemi ad Jacobum, ad loquendum cum eo.

7. Et filii Jacobi venerunt ab agro, ut audire illos et doluerunt viri, et exarsit illis valde, quia stultitiam fecit in Israële, ad cubandum cum filia Jacobi, et ita non fiet.

8. Et loquutus Chamor cum illis, dicendo, Schechem filius

meus, desiderat anima illius in filiam vestram, detis quaeso eam illi ad mulierem.

9. Et affinitates societis cum nobis, filias vestras detis nobis, et filias nostras accipiatis vobis.

10. Et cum nobis habitetis, et terra erit coram vobis, habitate, negotiando pervagamini eam, et possidete in ea.

11. Et dixit Schechem ad patrem ejus, et ad fratres ejus, inveniam gratiam in oculis vestris, et quod dicitis ad me, dabo.

12. Multiplicate super me valde dotem et donum, et dabo quemadmodum dicitis ad me, et detis mihi puellam ad mulierem.

13. Et responderunt filii Jacobi Schechemo et Chamori patri illius in fraude, et loquuti sunt, quia polluit Dinam sororem illorum.

14. Et dixerunt ad illos, non possumus facere verbum hoc, dare sororem nostram viro cui praeputium, quia opprobrium hoc nobis.

15. Veruntamen in hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos, ad circumcidendum vobis omnem masculum.

16. Et dabimus filias nostras vobis, et filias vestras accipiemus nobis, et habitabimus cum vobis, et erimus in populum unum.

17. Et si non audiatis ad nos ad circumcidendum, et sumemus filiam nostram, et ibimus.

18. Et bona fuerunt verba illorum in oculis Chamoris, et in oculis Schechemi filii Chamoris.

19. Et non tardavit puer facere verbum, quia beneplacuit in filia Jacobi; et ille honoratus prae omnibus domus patris sui.

20. Et venit Chamor, et Schechem filius illius ad portam urbis suae, et loquuti ad viros urbis suae, dicendo.

21. Viri illi pacifici ii cum nobis, et habitent in terra, et negotiando pervagentur eam, et terra ecce lata spatiis coram illis, filias illorum accipiamus nobis ad foeminas, et filias nostras demus illis.

22. Veruntamen in hoc consentient nobis viri ad habitandum cum nobis, ad esse in populum unum, in circumcidi nobis omnem masculum, quemadmodum illi circumcisi sunt.

23. Acquisitio illorum, et emtio illorum, et omnis bestia

illorum, annon nobis illa; tantummodo consentiamus illis, et habitabunt cum nobis.

24. Et audiverunt ad Chamorem et ad Schechemum filium illius omnes egredientes portam urbis ejus, et circumciderunt omnem masculum, omnes egredientes portam urbis illius.

25. Et factum in die tertio, in esse illos dolentes, et acceperunt duo filii Jacobi Schimeon et Levi, fratres Dinae, quisque gladium suum, et venerunt super urbem confidenter, et occiderunt omnem masculum.

26. Et Chamorem et Schechemum filium illius occiderunt ad os gladii, et sumserunt Dinam e domo Schechemi, et exiverunt.

27. Filii Jacobi venerunt super confossos, et depraedati urbem, quod polluerint sororem suam.

28. Greges illorum, et armenta illorum, et asinos illorum, et quicquid in urbe, et quicquid in agro, sumserunt.

29. Et omnes opes illorum, et omnem infantem illorum, et foeminas illorum, captivarunt, et depraedati, et omne quod in domo.

30. Et dixit Jacob ad Schimeon et ad Levi, perturbastis me, ad foetere faciendum me habitatori terrae, Cananaeo et Perisaeo, et ego mortales numeri; et congregabuntur super me, et percutient me, et perdar ego et domus mea.

31. Et dixerunt, an sicut meretricem faciet sororem nostram.

CONTENTA.

4425. Agitur hic in sensu interno de Jacobi posteris, quod exstinxerint omne verum doctrinae quod fuit Ecclesiae Antiquae: Chamor et Schechemus cum populo urbis illorum, repraesentant id verum: Ecclesiae enim repraesentativum apud posteros Jacobi constabat solum in externis absque internis; Ecclesia autem repraesentativa apud Antiquos in externis cum internis.

SENSUS INTERNUS.

4426. Vers: 1. 2. 3. 4. *Et exivit Dinah filia Leae quam peperit Jacobo, ad videndum filias terrae. Et vidit illam Schechem filius Chamoris Chivaei, principis terrae, et sumsit eam, et cubuit cum ea, et compressit eam. Et adhaerebat anima illius in Dinam, filiam Jacobi, et amavit puellam, et loquutus super cor puellae. Et dixit Schechem ad Chamor patrem suum, dicendo, accipe mihi natam hanc ad mulierem.* Exivit Dinah, significat affectionem omnium fidei, et Ecclesiam inde: filia Leae, quam peperit Jacobo, significat in externis; ad videndum filias terrae, significat ad cognoscendum affectiones veri, et Ecclesias quae sunt inde; et vidit illam Schechem, significat verum; filius Chamoris Chivaei, significat ab Antiquis; principis terrae, significat primarium inter Ecclesias; et sumsit eam, et cubuit cum ea, et compressit eam, significat quod non aliter posset conjungi cum affectione veri per filios Jacobi fratres ejus significati; et adhaerebat anima illius in Dinam, filiam Jacobi, significat propensionem ad conjunctionem; et amavit puellam, et loquutus super cor ejus, significat amorem; et dixit Schechem ad Chamor patrem suum, significat cogitationem ex vero apud Antiquos; dicendo, accipe mihi natam hanc ad mulierem, significat quod conjungi vellet cum affectione illius veri.

4427. Exivit Dinah, quod significet affectionem omnium fidei, et Ecclesiam inde, constat a repraesentatione Dinae, quod sit affectio verorum omnium, et Ecclesia inde, de qua n: 3963. 3964; duodecim enim filii Jacobi repraesentarunt omnia fidei, ita omnia quae sunt Ecclesiae, n: 2129. [3] 2130. 3858. 3926. 3939; inde Dinah, quae post decem filios Jacobi ex Leah et ancillis, nata est, significat affectionem eorum, ita Ecclesiam, nam Ecclesia est ex affectione veri, usque adeo, ut sive dicas affectionem veri, sive Ecclesiam, idem sit, homo enim ex affectione veri est Ecclesia.

4428. Filia Leae, quam peperit Jacobo, quod significet in externis, constat a repraesentatione Leae, quod sit affectio veri externi, de qua n: 3793. [4] 3819; et a repraesentatione Jacobi, quod in supremo sensu sit Dominus quoad Divinum ve-

rum Naturalis, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [5] 3576. 4234. 4273. 4337; et in sensu respectivo sit Ecclesia externa, seu quod idem, Ecclesiae externum, de qua n: 3305. 4286, inde patet, quod filia Leae, quam peperit Jacobo, significet affectionem veri in externis.

4429. Ad videndum filias terrae, quod significet ad cognoscendum affectiones veri et Ecclesias quae sunt inde, constat ex significatione videre, quod sit cognoscere, de qua aliquoties prius; ex significatione filiarum, quod sint affectiones, et inde Ecclesiae, de qua n: 2362. 3024. 3963; et ex significatione terrae, hic terrae Canaanis, quod sit tractus ubi Ecclesia, et inde quoque ipsa Ecclesia, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118. 2928. [6] 3355. 3705. 3686. Quid per haec, quae in hoc Versu continentur, significatur, constare potest ab illis quae sequuntur, agitur enim de repraesentativo Ecclesiae, quod apud posteros Jacobi instituendum erat; quod hoc repraesentativum apud illos non institui potuerit, priusquam quoad interiora vera prorsus vastati fuissent, hoc est, priusquam non amplius scivissent illa, videatur n: 4289; interiora vera sunt omnia illa quae repraesentantur [7] et significantur per Ritualia, quae illis mandata fuerunt; omnia enim ritualia repraesentarunt et significarunt aliquid in Regno Domini in *Coelis* et inde aliquid in Regno Domini in terris, hoc est, in Ecclesia; [8] haec quae significabantur et repraesentabantur sunt hic interiora vera: quod omnia et singula, quae mandata sunt posteris Jacobi, cum Ecclesiae repraesentativum apud illos institueretur, de quibus in Libris Mosis, imprimis in Exodo et Levitico, fuerint repraesentativa et significativa coelestium et spiritualium Regni Domini, ubivis in explicationibus ostensum est: haec omnia fuerunt posteris Jacobi ignota, quia tales fuerunt, ut illa prophanavissent, si novissent, n: 301. 302. 303. 2520. 3398. 3479. 3769. 4281. 4293; idcirco non prius venerunt in repraesentativa illa, quam cum prorsus quoad interiora vastati fuissent: in hoc Capite itaque agitur de illis veris, et quod exstinxerint illa. Repraesentativa, quae mandata fuerunt posteris Jacobi, non fuerunt nova, sed pleraque talia, quae prius in usu apud Antiquos, verum Antiqui non coluerunt externa, sicut posteri Jacobi, seu Judaei et Israëlitae, sed in-

terna, per interna agnoverunt Ipsum Dominum; reliquiae Ecclesiae ab antiquo adhuc fuerunt in terra Canaane; imprimis apud illos qui Chittaei et Chivaei dicebantur; inde est, quod per illas gentes repraesententur vera quae fuerunt Ecclesiae; ex his nunc aliquatenus constare potest, quid significatur per quod exiverit Dinah filia Jacobi ex Leah, ad videndum filias terrae; per Dinam enim repraesentatur Ecclesia externa, qualis instituere-tur apud posteros Jacobi; et per filias terrae significantur Ecclesiae apud Antiquos; quod filiae ubivis in Verbo, in sensu ejus interno significant Ecclesias, videatur n: 2362. 3024, ubi id ostensum; et quod terra tractum et gentem, ubi Ecclesia, ita Ecclesiam, n: 662. 1066. 1067. 1738. 1850. 2117. 2118. 2928. [6] 3355. 3705. 3686.

4430. Et vidit illam Schechem, quod significet verum, constat a repraesentatione Schechemi, quod sit verum, hic verum Ecclesiae ab Antiquo; quod hoc per Schechemum repraesentetur, est ex eo, quod adhuc apud illam gentem, ubi Schechemus, reliquiae Ecclesiae essent; quod inter probas gentes fuerit, patet ex sinceritate, ex qua loquuti Chamor et Schechem ad Jacobum et ejus filios, Vers: 8. 9. 10. 11. 12, et ex condescendentia ut Schechemus acciperet Dinam in uxorem, Vers: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24; et quia ita, repraesentabatur verum Ecclesiae per illos; et praeterea Schechem urbs, erat prima statio Abramo cum venit ex Syria in terram Canaanem, Gen: XII: 6; et nunc quoque prima Jacobo etiam ex Syria, ubi tetendit tentorium, fecit tuguria, et statuit Altare, Gen: Cap: praec: XXXIII: 17. 18. 19. 20; quod per itinera seu peregrinationes Abrahami et Jacobi repraesentatae sint progressiones in vera fidei et bona amoris, quae Domino in supremo sensu, et quae homini qui regeneratur a Domino in sensu respectivo, aliquoties ostensum est; inde per Schechem significatum est primum lucis, n: 1440. 1441; proinde verum interius, hoc enim est primum lucis. Sed in hoc Capite agitur in sensu interno de posteris Jacobi, quomodo illi hoc primum lucis seu interius verum apud se exstinxerunt; filii Jacobi significant in hoc sensu, qui est sensus internus historicus, omnem suam posteritatem; in sensu enim interno Verbi agitur solum de rebus quae sunt Regni Domini, ita quae sunt Ecclesiae Ipsius; ipsi filii Jacobi non ali-

quam Ecclesiam constituebant, sed posteri illorum. et hoc non prius quam postquam egressi sunt ex Aegypto, et actualiter non prius quam venerunt in terram Canaanem. Praeterea quod urbem hanc a Schechemo dictam attinet, illa antiquitus vocata fuit Schalem, ut constat in Cap: praeced: XXXIII [9] „Venit Jacob *Schalem*, urbem Schechemi, quae in terra Canaan,“ Vers: 18; quod per Schalem significetur tranquillitas, et quod per urbem Schechemi significentur interiora vera fidei, et quod ad statum tranquillum veniat homo cum ad illa vera, videatur n: 4393: postmodum autem eadem urbs dicta fuit Schechem, ut constare potest apud Joschuam „Ossa Josephi, quae ascendere fecerunt filii Israëlis ex Aegypto, sepeliverunt in *Schechem*, in parte agri, quem emit Jacob a filiis Chamoris patris Schechemi centum Kesithis,“ XXIV: 32; et in Libro Judicum „Dixit Gaal filius Ebed ad cives *Schechemi*, quis est Abimelech, et quis est Schechem, ut serviamus illi, nonne filius Jerubaalis, et Sebul praefectus ejus, servite viris Chamoris patris Schechemi, et quare serviemus huic,“ IX: 28: Eadem urbs dein vocata fuit Sichar, ut patet apud Johannem „Jesus venit in urbem Samariae dictam *Sichar*, prope agrum quem dedit Jacob Josepho filio suo; erat ibi fons Jacobi,“ IV: 5. 6; quod per illam urbem significetur Verum interius, patet ab illis locis, tum ex aliis ubi nominatur; et quoque apud Hoscheam „Gilead urbs operantium iniquitatem, foedata a sanguine, et juxta exspectare virum turmas, sodalitium sacerdotum, via occidunt *ad Schechemum*, quia scelus fecerunt, in domo Israëlis vidi rem foedam,“ VI: 8. 9; ubi via occidunt ad Schechemum, significat quod exstinguant vera usque ad interiora, ita omnia externa: exstinctio etiam veri interioris significatur per quod Abimelech destruxerit illam urbem, et conseverit sale, Jud: IX: 45.

4481. Filius Chamoris Chivaei, quod significet ab antiquis, constat a significatione filii, qui hic est Schechemus, quod sit verum interius, de qua mox supra, quod filius sit verum, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373. 4257; et ex repraesentatione Chamoris, quod sit pater illius veri, ita ab antiquis, emanavit enim Verum quod interius erat in ritualibus et repraesentativis ab Ecclesia quae ab Antiquo, et quia ita, Chamor etiam nominatur Chivaeus; Gens enim Chivaea fuit per

quam tale verum apud Antiquos significatum fuit, quia ab Antiquo tempore in tali fuerunt, inde est quod Chamor hic dicatur Chivaeus; per omnes enim gentes in terra Canaane aliquod bonum aut verum Ecclesiae tempore Antiquo significatum fuit, nam Antiquissima Ecclesia, quae Coelestis, ibi fuerat, n: 4116; sed postmodum illae gentes, sicut reliquae, apud quos Ecclesia fuit, deflexerunt ad idololatrica, ideo quoque per easdem significantur idololatriae; sed quia per Chivaeos ab Antiquo significatum est verum interius, et illi inter gentes probiores fuerunt, apud quos non ita consummata fuit iniquitas, hoc est, non ita verum Ecclesiae exstinctum, ut apud alios, ideo ex Providentia Domini conservati sunt Chivaei Gibeonitae, per foedus quod Joschua et Principes cum illis pepigerunt, Jos: IX: 15; quod illi Chivaei fuerint, videatur Josch: IX: 7. [10] Cap: XI: 19. Ex his nunc patet, unde est, quod per Schechemum filium Chamoris Chivaei significetur Verum interius ab Antiquis.

4432. Principis terrae, quod significet primarium inter Ecclesias, constat a significatione principis, quod sit primarium, de qua n: 1482. 2089; et a significatione terrae, quod sit Ecclesia, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118. 2928. [6] 3355. 3705. 3686.

4433. Et sumsit eam, et cubuit cum ea, et compressit eam, quod significet quod non aliter posset conjungi cum affectione veri per filios Jacobi fratres ejus significati, constat a significatione sumere eam, cubare cum ea, et comprimere eam, quod sit conjungi, sed non modo legitimo qui fit per desponsationem; quod autem per illa verba significetur, quod non aliter conjungi posset, non constare potest nisi sciatur, quomodo res se habet; verum interius ab antiquis, quod per Schechemum filium Chamoris Chivaei significatur, est id verum quod internum Ecclesiae fuerat apud Antiquos, ita quod internum in eorum statutis, judiciis et legibus, verbo in ritualibus et similibus; illa vera fuerunt doctrinalia illorum secundum quae vivebant, et quidem doctrinalia charitatis, nam antiquo tempore illis qui a genuina Ecclesia non alia doctrinalia fuerunt; eadem vocari possunt vera interiora fidei respective ad doctrinam, sed bona respective ad vitam: si aliqua Ecclesia apud Gentem e Jacobo institueretur, necessum fuit, ut in illa vera et bona initiarentur;

nam nisi interna sunt in externis, hoc est, nisi cogitatur de internis cum in externis sunt, et simul nisi afficiuntur internis, ad minimum nisi afficiuntur externis propter interna, non est aliquid Ecclesiae, interna enim faciunt Ecclesiam, nam in illis est Dominus, quippe in illis sunt spiritualia et coelestia quae ab Ipso. Sed Gens e Jacobo, hoc est, Gens Israëlitica et Judaica, non potuit initiari in illa modo legitimo, qui fit per desponsationem, ob causam quia cultus eorum externus non correspondebat; a Patribus enim suis, nempe ab Abrahamo, Jischako et Jacobo, acceperunt cultum ab Ebero institutum, qui quod in externis diversus fuerit a cultu Ecclesiae Antiquae, videatur n: 1238. 1241. 1343. 2180; et quia cultus ille diversus fuit, non potuerunt vera interiora quae apud Antiquos, cum illo conjungi modo legitimo qui fit per desponsationem, sed modo qui hic describitur; inde potest intelligi quid sit, quod non aliter posset conjungi cum affectione veri per filios Jacobi fratres Dinae significati. Sed tametsi conjunctio fieri potuit illo modo, secundum legem etiam antiquis notam, de qua Exod: XXII: 15. Deuter: XXII: 28. 29, usque gens illa talis erat, ut nullatenus admitteret aliquam conjunctionem veri interioris quod ab Antiquis, cum externis cultus quae apud posteros Jacobi, n: 4281. 4290. 4293. 4307. 4314. 4316. 4317, ideo apud illam gentem non potuit institui aliqua Ecclesia, sed loco ejus modo repraesentativum Ecclesiae, videatur n: 4281. 4288. 4307; quod talis gens fuerit, quod nempe non solum non recipere potuisset vera interiora, sed etiam quod apud se prorsus illa extingueret, repraesentatum hic est per quod filii Jacobi responderent [II] Schechemo et Chamori in fraude, Vers: 13, et dein quod Schimeon et Levi percuterent urbem ore gladii, et occiderent Schechemum et Chamorem, Vers: 25. 26, et quod reliqui filii venirent super confossos, et depraedarentur urbem, atque auferrent greges, armenta, et quicquid in urbe, in agro, et in domo esset, Vers: 27. 28. 29. Inde patet, quid per Prophetica Jacobi tunc Israëlis, significatur „Schimeon et Levi fratres, instrumenta violentiae machaerae eorum; in arcanum eorum ne veniat anima mea, in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in complacito suo enervarunt bovem; maledicta ira eorum quia vehemens, et fu-

ror eorum quia gravis; dividam eos in Jacobum, et dispergam eos in Israëlem," Genes: XLIX: 5. 6. 7.

4434. Et adhaerebat anima illius in Dinam, quod significet propensionem ad conjunctionem, constat a significatione adhaerere anima, quod sit propensio; quod ad conjunctionem patet, quia quae amoris conjugialis sunt, in sensu interno involvunt conjunctionem spiritualem, quae est veri cum bono ac boni cum vero; quod illa quae amoris conjugialis sunt, in sensu interno involvant conjunctionem illam, est causa quia amor conjugialis ex conjugio veri et boni ac boni et veri, ducit originem, videatur n: 2618. 2727. 2728. 2729. 2737. 2803. 3132; inde quoque adulterationes boni intelliguntur per adulteria, et falsificationes veri per scortationes in Verbo, n: 2466, 2729. 2750. 3399; ex his constare potest, quod per omnia haec quae de Schechemo et de Dinah in hoc Capite memorantur, non aliud in sensu interno intelligatur, quam conjunctio veri quae repraesentatur per Schechemum, cum affectione veri quae per Dinam, ita quod per haec verba „ Adhaerebat anima ejus in Dinam " significetur propensio ad conjunctionem. Quia in toto hoc Capite agitur de amore conjugiali erga Dinam, et quod ambiret illam in mulierem, et quia per illa quae amoris conjugialis sunt, significatur conjunctio spiritualis, licet ex Verbo confirmare, quod conjugia et quae conjugiorum sunt, ibi non aliud involvant; apud Johannem „ Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Ipsi, quia venit tempus *Nuptiarum Agni*, et *Uxor Ipsius* paravit se; sicut qui ad Coenam *Nuptiarum Agni* vocati," Apoc: XIX: 7. 9. Apud Eundem „ Vidi Civitatem sanctam, Hierosolymam novam, descendentem a Deo e Coelo, paratam sicut *Sponsam ornatam marito suo.* Unus de septem Angelis loquutus est mecum, dicens, veni, ostendam tibi *Sponsam*, *Agni Uxorem;* abstulit me in spiritu super montem magnum et altum, et ostendit mihi Civitatem magnam, sanctam Hierosolymam descendentem e Coelo a Deo," Apoc: XXI: 2. 9. 10; quod per sponsale et conjugiale hic non aliud significetur quam conjunctio Domini cum Ecclesia, et hoc per verum et bonum, patet manifeste, Civitas enim sancta et Hierosolyma nova non aliud est quam Ecclesia, quod Civitas sit Ecclesiae verum, videatur n: 402. 2268. 2449. [12] 2451. 2712. 2943. 3216; quod Hieroso-

lyma sit Ecclesia spiritualis, n: 402. 2117. 3654. Apud Malachiam „Perfide egit Jehudah, et abominatio facta est in Israële, et in Hierosolyma, nam profanavit Jehudah sanctitatem Jehovae, quia *amavit et desponsavit sibi filiam Dei alieni.* Jehovah testificatus est inter te et *inter uxorem juventutis tuae,* contra quam tu perfide egisti," II: 11. 14. 15; ubi amare et desponsare filiam Dei alieni, est conjungere se cum falso, loco veri quod est uxor juventutis. Apud Ezechielem „Sumsisti *filios tuos* et *filias tuas*, quas *peperisti* mihi, et sacrificasti ad devorandum: num parum de *scortationibus* tuis; filia matris tuae tu fastidientis *maritum suum* et *filios suos,* et soror tu sororum tuarum, quae fastidiverunt *maritos suos* et *filios suos*," XVI: 20. 45; ibi de abominationibus Hierosolymae, quae quia erant ex malis et falsis, describuntur in illo Capite per talia quae conjugiis contraria sunt, scilicet per adulteria et scortationes; mariti, quos fastidiverunt, sunt bona, filii sunt vera, et filiae affectiones illorum. Apud Esaiam „Canta *sterilis* non *peperat,* persona cantu et jubila *non parturivit*, quia multi *filii desolatae*, prae *filiis maritatae.* Opprobrii *viduitatis* tuae non recordaberis amplius, quia *mariti tui* factores tui, Jehovah Zebaoth nomen Ipsius, et Redemptor tuus Sanctus Israëlis, Deus totius terrae vocatur: nam sicut *mulierem relictam* et afflictam spiritu vocavit te Jehovah, et *mulierem juventutis* cum repudiatur, dixit Deus tuus. Omnes *filii tui* docti a Jehovah, et multa [13] pax *filiorum tuorum,*" LIV: 1. 5. 6. 13; quia per conjugium significatur conjunctio veri et boni ac boni et veri, constare potest quid significatur per maritum et uxorem, per filios et filias, per viduas, per repudiatas, perque parere, parturire, desolari, sterilis esse, nam haec sunt conjugii, de singulis illis, quid in sensu spirituali significant, in explicationibus multoties ostensum est. Apud Eundem „Propter Zionem non tacebo, et propter Hierosolymam non quiescam, non dicetur tibi amplius *deserta,* sed terrae tuae vocabitur *maritata*, nam beneplacebit Jehovae in te, et terra tua *maritabitur,* quia *maritabit juvenis virginem, maritabunt te filii tui*, et gaudium *sponsi* super *sponsa*, gaudebit super te Deus tuus," LXII: 1. 4. 5; qui non sensum internum Verbi novit, opinari potest, quod talia in Verbo solum sint comparativa, qualia in sermone vulgari plura, et inde quod

Ecclesia comparetur filiae, virgini, uxori, ita quae fidei et charitatis sunt illis quae conjugii; sed in Verbo omnia sunt repraesentativa spiritualium et coelestium, et reales correspondentiae, descendit enim Verbum e coelo, et quia descendit inde, in sua origine est Divinum coeleste et spirituale, cui illa quae sunt sensus literae correspondent; inde est, quod quae conjugii coelestis sunt, quod est conjunctio boni et veri, cadant in correspondentia, ita in illa quae sunt conjugiorum in terra. Inde quoque est, quod Dominus assimilaverit Regnum coelorum, hoc est, Regnum Ipsius in coelo, et Regnum Ipsius in terra quod est Ecclesia, cum „homine Rege, qui *fecit nuptias* filio suo, ac invitavit plures ad illas," Matth: XXII: 2 seq: Et quoque cum „decem *Virginibus*, quae accipientes lampadas, exiverunt in occursum *Sponsi*," Matth: XXV: 1 seq: Et quoque Dominus illos qui ab Ecclesia vocavit filios nuptiarum „Dixit Jesus, num possunt *filii nuptiarum* lugere, quamdiu cum illis est *Sponsus*; venient vero dies, quando auferetur ab iis *Sponsus*, et tunc jejunabunt," Matth: IX: 15. Inde quoque affectio boni et affectio veri dicitur Gaudium et laetitia sponsi et sponsae, quia gaudium coeleste est ex affectionibus et in affectionibus illis; ut apud Esaiam „*Maritabunt* te filii tui, et erit gaudium *sponsi* super *sponsa*, gaudebit super te Jehovah Deus tuus," LXII: 5: [14] Apud Jeremiam „Vox gaudii et vox laetitiae, et vox *sponsi* et vox *sponsae*, vox dicentium, confitemini Jehovae, quia bonus Jehovah," XXXIII: 11: Apud Eundem „Cessare faciam ex urbibus Jehudae et ex plateis Hierosolymae vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem *sponsi* et vocem *sponsae*, quia in vastitatem evadet terra," VII: 34: Cap: XVI: 9. Cap: XXV: 10. Et apud Johannem „Lux lucernae non lucebit in Babylone amplius, et vox *sponsi* et *sponsae* non audietur in illa amplius," Apoc: XVIII: 22. [23.] Quia conjugia in terra per amorem vere conjugialem correspondent Conjugio coelesti, quod est boni et veri, ideo leges in Verbo de desponsationibus et conjugiis latae prorsus correspondent legibus spiritualibus conjugii coelestis; ut quod unam solum uxorem ducerent, Marc: X: 2 ad 8. Luc: XVI: 18; in conjugio enim coelesti se ita habet, nempe quod bonum non conjungi queat nisi suo vero, et verum suo bono, si alii vero quam suo, bonum nusquam subsisteret, sed distra-

heretur et sic periret; uxor in Ecclesia spirituali repraesentat bonum et vir repraesentat verum, at in Ecclesia coelesti maritus repraesentat bonum et uxor verum; et, quod arcanum, non solum illa repraesentant, sed etiam illis actualiter correspondent. Leges quoque quae de Conjugiis latae sunt in Veteri Testamento similiter correspondentiam habent cum legibus conjugii coelestis, ut quae Exod: XXI: 7. 8. 9. 10. 11. [15] Cap: XXII: 15. 16. Cap: XXXIV: 16. Num: XXXVI: 6. Deut: VII: 3. 4. Cap: XXII: 28. 29: et quoque Leges de gradibus vetitis, Levit: XVIII: 6 ad 20: de quibus singulis, ex Divina Domini Misericordia, alibi: quod gradus et leges conjugiorum ex legibus veri et boni, quae sunt conjugii coelestis, ducant originem, et se ad illas referant, patet apud Ezechielem „Sacerdotes Levitae *viduam* aut *repudiatam non accipient sibi in uxores*, sed *virgines* de semine domus Israëlis; et *viduam* quae fuerit *vidua* a sacerdote accipient," XLIV: 22, ibi agitur de Civitate sancta Hierosolyma nova et de Canaane coelesti, quae quod sint Regnum Domini et Ecclesia Ipsius, constat, proinde quod non per Levitas Levitae, nec per viduam et repudiatam vidua et repudiata, significentur, sed talia quibus correspondent.

4435. Et amavit puellam, et loquutus super cor ejus, quod significet amorem, constat absque explicatione.

4436. Et dixit Schechem ad Chamor patrem suum, quod significet cogitationem ex vero apud Antiquos, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio et inde cogitatio, de qua n: 3395; et ex repraesentatione Schechemi filii Chamoris, quod sit verum apud Antiquos, de qua n: 4430. 4431; inde patet, quod dixit Schechem ad Chamorem patrem suum, sit cogitatio ex vero apud Antiquos.

4437. Dicendo, accipe mihi natam hanc ad mulierem, quod significet quod conjungi vellet cum affectione illius veri, constat ex significatione natae, hic Dinae, quod sit affectio veri per filios Jacobi fratres ejus significati, de qua n: 4427. 4433; et ex significatione accipere in mulierem, quod sit conjungi, de qua mox supra n: 4434.

4438. Vers: 5. 6. 7. *Et Jacob audivit, quod polluerit Dinam filiam suam; et filii ejus erant cum acquisitione ejus in agro; et tacuit Jacob usque ad venire illos. Et exivit Chamor*

pater Schechemi ad Jacobum, ad loquendum cum eo. Et filii Jacobi venerunt ab agro; ut audire illos, et doluerunt viri, et exarsit illis valde, quia stultitiam fecit in Israële ad cubandum cum filia Jacobi, et ita non fiet. Jacob audivit quod polluerit Dinam filiam suam, significat conjunctionem non legitimam; Jacob est hic Antiqua Ecclesia externa: et filii ejus erant cum acquisitione ejus in agro, significat posteros quod in suo religioso essent: et tacuit Jacob usque ad venire illos, significat consultationem ex veris fidei, quae illi et posteris ejus: et exivit Chamor pater Schechemi ad Jacobum ad loquendum cum eo, significat consultationem de vero Ecclesiae illius: et filii Jacobi venerunt ab agro, significat quod consultaverint ex religioso suo: et doluerunt viri, et exarsit illis valde, significat quod in malo essent contra verum Ecclesiae apud Antiquos; quia stultitiam fecit in Israële ad cubandum cum filia Jacobi, et ita non fiet, significat conjunctionem in oculis illorum illicitam contra verum quod illis.

4439. Jacob audivit quod polluerit Dinam filiam suam, quod significet conjunctionem non legitimam, nempe cum affectione veri, quod Ecclesiae externae per Jacobum hic repraesentatae, constat ex significatione polluere, quod sit conjunctio non legitima, per conjugia enim significatur conjunctio legitima, n: 4434, inde per pollutionem eorum significatur conjunctio non legitima; de qua videatur n: 4433; ex repraesentatione Dinae, quod sit affectio omnium fidei et Ecclesia inde, de qua n: 4427; et ex repraesentatione Jacobi, qui hic est Ecclesia Antiqua Externa. Quod per Jacobum significetur hic Ecclesia Antiqua Externa, est quia illa Ecclesia erat instituenda apud posteros ejus, ac instituta fuisset, si posteri recepissent vera interiora quae fuerunt apud Antiquos; quod per Jacobum illa Ecclesia hic repraesentetur, patet quoque ex serie in hoc Capite, non enim fuit in consilio cum filiis suis, quod percuterent urbem, et occiderent Chamorem et Schechemum; quapropter etiam dixit ad Schimeonem et Levi, „Perturbastis me ad foetere faciendum me habitatori terrae," Vers: 30; et in Prophetico ante mortem „In arcanum eorum ne veniat anima mea, in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in complacito suo enervarunt bovem," Gen:

XLIX: 6; et praeterea in Verbo in plerisque locis per Jacobum repraesentatur Antiqua Ecclesia Externa, n: 422. 4286; causa quod Jacob illam repraesentet, est quia in supremo sensu repraesentat Divinum Naturale Domini, cui Ecclesia Externa correspondet: per filios autem ejus significantur posteri, qui verum apud Antiquos apud se exstinxerunt, et sic destruxerunt id quod Ecclesiae esset, remanente sic apud illos solum repraesentativo ejus, de quo n: 4281. 4288. 4289. 4303.

4440. Et filii ejus erant cum acquisitione ejus in agro, quod significet posteros quod in suo religioso essent, constat a significatione filiorum ejus, quod sint posteri; ex significatione acquisitionis, quod sint vera externa, de qua n: 1435. 4391; et ex significatione agri, quod sit Ecclesia, de qua n: 2971. 3766. inde per quod filii ejus essent cum acquisitione ejus in agro, significatur quod in suo religioso essent, nam religiosum dicendum est tale Ecclesiae, quale apud illos fuit, erat enim cultus externus absque interno.

4441. Et tacuit Jacob usque ad venire illos, quod significet consultationem ex veris fidei quae illi et posteris ejus, constat ex significatione tacere, quod sit cogitare et tacite consultare; et ex significatione usque venire illos, nempe filios, quod sit ex veris fidei quae illi et posteris ejus, quod filii sint vera, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373. 4257; quia cum filiis consultatio fieret, sic cum veris, quae per filios Jacobi significantur, proinde ex veris quae illi et posteris ejus.

4442. Et exivit Chamor pater Schechemi ad Jacobum ad loquendum cum eo, quod significet consultationem de vero Ecclesiae illius, constat ex repraesentatione Chamoris patris Schechemi, quod sit Antiquorum verum, de qua n: 4430. 4431; ex repraesentatione Jacobi, quod sit Ecclesia Antiqua Externa, de qua mox supra n: 4439; et ex significatione loqui cum eo, quod sit consultare; inde per illa verba significatur consultatio de vero Ecclesiae illius. Qui non scit, quod nomina in Verbo significent res, mirabitur quod per haec verba „Exivit Chamor pater Schechemi ad Jacobum ad loquendum cum eo" significatur consultatio veri Ecclesiae apud Antiquos cum vero quod secundum Ecclesiam Antiquam apud posteros Jacobi instaurandam; sed non mirabitur, qui scit quod talis sensus internus

Verbi sit; ne quidem illi, qui morem scribendi apud Antiquos ex libris eorum sibi notum fecerant; commune enim fuerat apud illos introducere res quasi colloquentes, ut Sapientiam, Intelligentiam, Scientias, et similia; et quoque indere illis nomina, per quae talia significabantur, veterum dii et semidei non aliud fuerunt, et quoque personae, quas finxerunt, ut res historice concinnarent: Veteres Sophi hunc morem tulerunt ab Antiqua Ecclesia, quae per multum orbis Asiatici dispersa fuit, n: 1238. 2385; nam qui ab Ecclesia Antiqua fuerunt, res sacras per repraesentativa et significativa concinnarunt: Antiqua autem Ecclesia hoc tulit ex ore Antiquissimorum qui ante diluvium, n: 920. 1409. 1977. 2896. 2897; et hi a coelo, nam communicationem cum coelo habuerunt, n: 784. 1114 ad 1125; Primum enim Coelum, quod est ultimum Trium, in talibus repraesentativis et significativis est; inde est quod Verbum tali stylo conscriptum sit; sed Verbum prae Veterum scriptis hoc peculiare habet, quod singulae res in continua serie repraesentent coelestia et spiritualia Regni Domini, ac in supremo sensu Ipsum Dominum; et quod ipsa Historica etiam talia sint; et quod magis, quod reales correspondentiae sint, et hae continuae per tres coelos a Domino.

4443. Et filii Jacobi venerunt ab agro, quod significet quod consultaverint ex religioso suo, constat ex significatione filiorum Jacobi, quod sit gens quae ab illis, apud quam repraesentativum Ecclesiae institutum est; et ex significatione agri, quod sit religiosum, de qua supra n: 4440, a quo venire, quod sit consultatio ex illo, sequitur ex serie, tum etiam ex eo, quod religiosum eorum sit, de quo praedicatur venire.

4444. Ut audire illos, et doluerunt viri, et exarsit illis valde, quod significet quod in malo essent contra verum Ecclesiae apud Antiquos, constat a significatione dolere et exardescere valde, quod hic sit in malo esse; quod contra verum Ecclesiae apud Antiquos, sequitur, quia contra Schechemum filium Chamoris, per quem quod significetur verum apud Antiquos, supra n: 4430. 4431, dictum est. Quod in malo fuerint, patet ab illis quae sequuntur, quod nempe loquuti sint in fraude, Vers: 13, et dein postquam Schechemus et Chamor condescendebant ad verba illorum, occiderint illos, Vers: 26 ad 29; in-

de est, quod per dolere hic et exardescere valde, significetur quod in malo essent; apparet sicut Zelus fuerit, quia cubuit cum sorore eorum, secundum verba quae mox sequuntur „Quia stultitiam fecit in Israële ad cubandum cum filia Jacobi, et ita non fiet" et in fine Capitis „dixerunt, an sicut meretricem faciet sororem nostram," Vers: 31; sed non fuit Zelus, Zelus enim nusquam dari potest apud aliquem qui est in malo, sed solum apud illum qui in bono, nam Zelus in se bonum habet, n: 4164; religiosum quidem, quod apud posteritatem illorum, in se bonum habuit, nam ejus omnia et singula repraesentabant coelestia et spiritualia, quae sunt Regni Domini, sed quoad illos qui in illo erant, nihil boni habuit, in externis enim solum fuerunt absque internis, ut supra ostensum; se habet hoc sicut religiosum illius gentis in quo etiam hodie sunt, agnoscunt Mosen et Prophetas, ita Verbum, hoc sanctum in se est, sed quoad illos non sanctum est, nam in singulis ibi semet spectant, et sic mundanum, imo terrestre faciunt Verbum, nam quod inibi aliquid coeleste sit, non sciunt, ne quidem curant; qui in tali statu sunt, non possunt in bono esse cum in suo religioso, sed in malo, nam nihil coeleste influit, hoc enim apud se exstinguunt. Secundum Legem in Antiqua Ecclesia etiam notam, fuit, quod qui compressit virginem, dotem daret, et acciperet illam in uxorem, juxta haec apud Mosen „Si persuaserit vir virgini, quae non desponsata, et cubat cum ea, dote dotabit eam sibi in uxorem; si renuendo renuit pater ejus dare eam illi, argentum pendet, quantum dos virginum," Exod: XXII: 15. 16; et alibi „Si invenerit vir puellam virginem, quae non desponsata est, et apprehenderit illam, ac cubuerit cum illa, et deprehensi fuerint, dabit vir qui cubuit cum ea, patri puellae quinquaginta argenti, et erit illi in uxorem, pro quod compresserit illam; et non poterit repudiare illam omnibus diebus suis," Deut: XXII: 28. 29: quod eadem haec Lex nota fuerit Antiquis, patet manifeste a Schechemi verbis ad puellae patrem et fratres „Dixit Schechem ad patrem ejus et ad fratres ejus, inveniam gratiam in oculis vestris, et quod dicitis ad me, dabo; multiplicate super me valde dotem et donum, et dabo quemadmodum dicetis ad me, et detis mihi puellam ad mulierem," Vers: 11. 12; et quia Schechemus Legem illam complere voluit, et

fratres Dinae consenserunt, si fieret sicut illi, circumcidendo omnem masculum, secundum verba quae sequuntur „Veruntamen in hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos, ad circumcidendum vobis omnem masculum, et dabimus filias nostras vobis, et filias vestras accipiemus nobis, et habitabimus cum vobis, et erimus in populum unum," Vers: 15. 16; inde patet, quod non ex Lege egerint, ita non ex bono, sed contra Legem, proinde ex malo. Ex Lege quidem fuit, quod non conjugia inirent cum Gentibus, de qua apud Mosen „Ne accipias de filiabus illarum filiis tuis, et scortentur filiae earum post deos eorum, et scortari faciant filios tuos post deos eorum," Exod: XXXIV: 16: et alibi „Non affinitatem contrahes cum gentibus, filiam tuam non dabis filio illius, et filiam illius non accipies filio tuo: ideo quod seducturus sit filium tuum a post me, ut serviant diis aliis," Deut: VII: 3. 4: sed haec lex lata est de Gentibus idololatris, ne per conjugia ad cultum idololatricum deflecterent a cultu vere repraesentativo, nam cum idololatrae facti sunt, non amplius repraesentare potuerunt coelestia et spiritualia Regni Domini, sed opposita, qualia sunt infernalia, quippe ab inferno tunc evocabant quendam diabolum quem colebant, et cui repraesentativa Divina applicabant; quapropter dicitur, ne scortarentur post deos illorum; tum ob causam, quia per gentes significabantur mala et falsa, cum quibus bona et vera, quae illi repraesentabant, non commiscerentur, proinde non diabolica et infernalia cum coelestibus et spiritualibus, n: 8024 f: Sed nusquam vetitum fuit matrimonia contrahere cum gentibus, quae acceptarunt cultum eorum, et qui postquam circumcisi essent agnoscebant Jehovam; illos vocabant Peregrinos peregrinantes cum illis, de quibus ita apud Mosen „Si *peregrinabitur tecum peregrinus*, et voluerit facere Pascha Jehovae, *circumcidetur ei omnis masculus*, et tunc accedet ad faciendum illud, et erit sicut incola terrae: *lex una erit incolae et peregrino qui peregrinatur in medio vestrum*," Exod: XII: 48. 49; et alibi „Quando *peregrinatus fuerit vobiscum peregrinus*, faciet Pascha Jehovae, juxta statutum Paschae, et juxta statuta ejus, sic faciet: *statutum unum erit vobis tam peregrino quam indigenae terrae*," Num: IX: 14; quod dicti sint peregrini peregrinantes in medio illorum et cum illis, erat quia pe-

regrinari significabat instrui, ac ita peregrinus illos qui in statutis et doctrinalibus instrui se passi sunt; quod peregrinari et peregrinus id significent, videatur n: 1463. 2025. 3672: Apud Eundem „Quod *si peregrinatus fuerit vobiscum peregrinus*, qui fecerit ignitum odoris quietationis Jehovae, quemadmodum facitis, sic faciet: quantum ad concionem, *statutum unum vobis et peregrino peregrinanti*, statutum aeternitatis in generationes vestras: *quales vos talis peregrinus coram Jehovah; lex una, et judicium unum erit vobis et peregrino peregrinanti vobiscum*," Num: XV: 14. 15. 16: tum alibi „*Sicut indigena ex vobis, erit vobis peregrinus peregrinans vobiscum*," Levit: XIX: 34; „*Judicium unum erit vobis, quale peregrino tale indigenae erit*," Levit: XXIV: 22. Quod hoc statutum non modo Jacobo et filiis ejus, sed etiam Schechemo et Chamori notum fuerit, patet a verbis illorum; nam statuta, judicia et leges, quae Genti Israëliticae et Judaicae data sunt, non fuerunt nova, sed talia, quae fuerunt prius in Antiqua Ecclesia, et in Altera Antiqua quae Hebraea ab Ebero dicta fuit, ut passim ostensum est; quod inde Lex illa nota fuerit, patet a verbis filiorum Jacobi „Dixerunt filii Jacobi ad Chamorem et Schechemum, non possumus facere verbum hoc, dare sororem nostram viro cui praeputium, quia opprobrium hoc nobis; veruntamen in hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos, ad circumcidendum vobis omnem masculum, et dabimus filias nostras vobis, et filias vestras accipiemus nobis, et habitabimus cum vobis, et erimus in populum unum," Vers: 14. 15. 16; et a Verbis Chamoris et Schechemi, quod non modo consenserint, sed etiam quod circumcidi fecerint se et omnem masculum urbis suae, Vers: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24: inde patet, quod Schechemus talis factus, qualis peregrinus, de qua in Lege, et sic quod filiam Jacobi potuerit in mulierem accipere; ita, quod occiderint illos, fuerit factum nefandum; quod etiam testificatus Jacob ante mortem suam, Genes: XLIX: 5. 6. 7. Quod non modo Jehudah, sed etiam Moses, tum Reges Judaeorum et Israëlitarum, ut et plures ex populo, duxerint uxores a Gentibus, ex historicis Verbi constat; quae quin receperint statuta, judicia et leges eorum, et pro peregrinis agnitae fuerint, non dubitandum.

4445. Quia stultitiam fecit in Israële ad cubandum cum filia Jacobi, et ita non fiet, quod significet conjunctionem in oculis illorum illicitam contra verum quod illis, constat ex significatione stultitiam facere ad cubandum cum filia Jacobi, quod sit conjunctio illicita; quod cubare cum illa et sic polluere, sit conjunctio non legitima, videatur supra n: 4439: in Israële dicitur, quia per Israëlem significatur internum Ecclesiae, et dein filia Jacobi dicitur, quia per Jacobum significatur externum Ecclesiae; quod Israël sit Ecclesiae internum, et Jacob externum, videatur n: 4286. 4292. 4439. Quod in oculis illorum id apparuerit illicitum, tametsi licitum, constare potest ab illis quae mox supra n: 4444, et alibi, dicta et ostensa sunt.

4446. Vers: 8. 9. 10. 11. 12. *Et loquutus Chamor cum illis, dicendo, Schechem filius meus, desiderat anima illius in filiam vestram, detis quaeso eam illi ad mulierem. Et affinitates societis cum nobis, filias vestras detis nobis, et filias nostras accipiatis vobis. Et cum nobis habitetis, et terra erit coram vobis, habitate, negotiando pervagamini eam, et possidete in ea. Et dixit Schechem ad patrem ejus, et ad fratres ejus, inveniam gratiam in oculis vestris, et quod dicitis ad me dabo. Multiplicate super me valde dotem et donum, et dabo quemadmodum dicitis ad me, et detis mihi puellam ad mulierem.* Loquutus Chamor cum illis, dicendo, significat bonum Ecclesiae apud antiquos: Schechem filius meus, significat verum inde: desiderat anima illius in filiam vestram, detis quaeso eam illi ad mulierem, significat desiderium conjunctionis cum nova hac quae apparet externa facie Antiquae similis: et affinitates societis cum nobis, filias vestras detis nobis, et filias nostras accipiatis vobis, significat unionem bonorum et verorum: et cum nobis habitetis, significat vitam: et terra erit coram vobis, habitate, significat Ecclesiam quae una: negotiando pervagamini eam, et possidete in ea, significat dogmata ex communi quae consensura: et dixit Schechem ad patrem ejus et ad fratres ejus, significat consultationem veri ex antiqua Divina stirpe cum bono et vero hujus religiosi: inveniam gratiam in oculis vestris, et quod dicitis ad me, dabo, significat si illis mens similis a sua parte, quod esset a sua; multiplicate super me valde dotem et donum, dabo, quemadmodum dicitis ad me,

significat quod acceptabit illa quae apud illos, et faciet sua: et detis mihi puellam ad mulierem, significat modo conjunctio.

4447. Loquutus Chamor cum illis, dicendo, quod significet bonum Ecclesiae apud antiquos, constat a repraesentatione Chamoris, quod sit ab antiquis, de qua n: 4431, nempe bonum Ecclesiae ab illis, nam bonum Ecclesiae est pater, et verum inde, quod hic Schechemus, est filius, inde etiam per patrem in Verbo significatur bonum, et per filium verum. Hic dicitur bonum Ecclesiae apud Antiquos, non autem bonum Ecclesiae Antiquae, hoc ob causam, quia per Ecclesiam apud Antiquos intelligitur Ecclesia derivata ab Ecclesia Antiquissima, quae fuit ante diluvium, et per Ecclesiam Antiquam intelligitur Ecclesia quae post diluvium; de binis illis Ecclesiis in praecedentibus aliquoties actum est; et ostensum, quod Antiquissima Ecclesia, quae ante diluvium, fuerit coelestis, sed antiqua Ecclesia, quae post diluvium, fuerit spiritualis, de differentia utriusque etiam saepe actum est: Reliquiae Antiquissimae Ecclesiae, quae coelestis, fuerunt adhuc in terra Canaane, et ibi cumprimis apud illos, qui Chittaei et Chivaei vocabantur: quod non alibi, erat, quia Antiquissima Ecclesia, quae vocata est Homo seu Adam, n: 478. 479, in terra Canaane fuit, proinde ibi Hortus Edenis, per quem ibi significata est Intelligentia et Sapientia hominum illius Ecclesiae, n: 100. 1588, et per arbores ibi perceptio eorum, n: 103. 2163. 2722. 2972; et quia Intelligentia et Sapientia per Hortum seu Paradisum illum significata est, etiam ipsa Ecclesia per illum intelligitur, et quia Ecclesia, etiam Coelum, et quia Coelum, etiam in supremo sensu Dominus; inde est, quod Terra Canaan quoque significet in supremo sensu Dominum, in sensu respectivo Coelum, et quoque Ecclesiam, et in sensu singulari hominem Ecclesiae, n: 1413. 1437. 1607. 3038. 3481. 3705; et quoque inde est, quod Terra simpliciter nominata in Verbo simile significet, n: 566. 662. 1066. 1067. 1413. 1607. 3355; et quod novum Coelum et nova Terra, sit Ecclesia nova quoad internum et externum ejus, n: 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355 f. Quod Antiquissima Ecclesia fuerit in Terra Canaan, videatur n: 567; et quod inde oriunda sint repraesentativa locorum, et quod ideo Abram jussus [16] sit illuc ire, tum quod terra illa data sit po-

steris illius ex Jacobo, ut nempe repraesentativa locorum retinerentur, secundum quae Verbum conscriberetur, n: 3686: Quodque inde omnia loca ibi, tum montes et fluvii, atque omnes termini circumcirca repraesentativi facti sint, n: 1585. 1866. 4240. Ex his patet, quid per Ecclesiam apud Antiquos hic intelligitur, quod nempe reliquiae ab Ecclesia Antiquissima: et quia apud Chittaeos et Chivaeos illae fuerunt, ideo quoque Abraham, Jischak et Jacob, cum uxoribus illorum sepulturae locum nacti sunt apud Chittaeos in terra eorum, Gen: XXIII: 1 ad f. Cap: XLIX: 29. 30. 31. 32.[17] Cap: L: 13; et Josephus apud Chivaeos, Jos: XXIV: 32: Reliquias illius Ecclesiae repraesentabat Chamor pater Schechemi, quapropter per illum significatur bonum Ecclesiae apud Antiquos, proinde origo veri interioris ex stirpe Divina, n: 4399. Quid discrimen sit inter Ecclesiam Antiquissimam quae fuit ante diluvium, et inter Ecclesiam Antiquam quae erat post diluvium, videatur n: 597.[18] 607. 608. 640. 641. 765. 784. 895. 920. 1114 ad 1128. 1238. 1327. 2896. 2897.

4448. Schechem filius meus, quod significet verum inde, constat ex repraesentatione Schechemi, quod sit verum interius, de qua n: 4430, ita verum inde, nempe ex bono quod est Chamor, n: 4447; omne enim verum Ecclesiae est a bono ejus, aliunde nusquam verum existit: hoc verum, quod per Schechemum repraesentatur, vocatur verum interius, estque in sua essentia non aliud quam bonum charitatis; Antiquissima enim Ecclesia, quia coelestis, in bono amoris in Dominum fuit, ac inde in perceptione omnis veri, nam homines illius Ecclesiae paene sicut Angeli fuerunt, communicabant etiam cum illis, inde eorum perceptio; quapropter nec usquam ratiocinabantur de aliquo vero fidei, sed dicebant, quia percipiebant e coelo, quod ita sit; et hoc usque adeo, ut ne quidem nominare voluerint fidem, sed loco ejus charitatem, videatur n: 202. 337. 2715. 2718. 3246; inde est, quod per verum interius hic intelligatur bonum charitatis; quod apud Chamorem Chivaeum et filium ejus Schechemum, fuerint reliquiae illius Ecclesiae, videatur mox supra n: 4447. Aliter se habuit cum Ecclesia Antiqua, quae spiritualis, haec non in amore in Dominum fuit, sicut Ecclesia Antiquissima, sed in charitate erga proximum, et ad cha-

ritatem non pervenire potuerunt quam per Verum fidei, cujus nullam perceptionem habuerunt, sicut Antiquissimi, ideo tunc inceptum fuit disquirere de Vero, num ita sit. De differentia inter Coelestes qui perceptionem habuerunt, et inter Spirituales, qui non habent, videatur n: 2088. 2669. 2708. 2715. 3235. 3240. 3246. 3887.

4449. Desiderat anima illius in filiam vestram, detis quaeso eam illi ad mulierem, quod significet desiderium conjunctionis cum nova hac, quae apparet externa facie Antiquae similis, constat ex significatione desiderare anima, quod sit desiderium; ex repraesentatione Dinae, quae hic est filia, quod sit affectio veri, proinde Ecclesia, nam Ecclesia ab affectione veri est Ecclesia, haec per novam illam hic intelligitur; et ex significatione dare eam ad mulierem, quod sit conjunctio, de qua n: 4434. Quoad id, quod nova illa Ecclesia, quae apud posteros Jacobi instaurata est, appareat externa facie Antiquae similis, sciendum, quod statuta, judicia, et leges, quae Genti Israëliticae et Judaicae, per Mosen, mandata sunt, non aliena fuerint a statutis, judiciis et legibus, quae in Antiqua Ecclesia, sicut quae de desponsationibus et conjugiis, de servis, de animalibus quae ad esum conducerent et non conducerent, de mundationibus, de festis, tabernaculis, igne perpetuo, et de pluribus aliis: etiam de Altaribus, holocaustis, sacrificiis, libaminibus, quae recepta fuerunt in altera Ecclesia Antiqua, quae ab Ebero; quae quod nota fuerint prius, quam mandata sunt Genti illi, patet manifeste ab Historicis Verbi; ut solum quod altaria, holocausta et sacrificia; de Bileamo memoratur, quod jusserit ut aedificarentur septem altaria, et super illis holocausta et sacrificia ex juvencis et arietibus offerrentur, [19] Num: XXIII: 1. 2. 14. 15. 29; et praeterea de gentibus, multis in locis, quod destruerentur illarum altaria; et quoque de prophetis Baalis quod sacrificaverint, quos Elias interfecit; inde constare potest, quod sacrificia, quae mandata fuerunt populo Jacobi, non fuerint nova; ita nec reliqua statuta, judicia et leges; sed quia haec facta sunt idololatrica apud gentes, cumprimis per id, quod per talia colerent aliquem deum prophanum, et sic quae repraesentabant Divina, deflecterent ad infernalia, praeter quod superaddiderint plura, ideo ut cultus repraesentativus, qui fuit

Antiquae Ecclesiae, restauraretur, [20] eadem revocata sunt: inde constare potest, quod nova haec Ecclesia, quae apud posteros Jacobi instituta est, apparuerit externa facie Antiquae similis.

4450. Et affinitates societis cum nobis, filias vestras detis nobis et filias nostras accipiatis vobis, quod significet unionem bonorum et verorum, constat ex significatione affinitates sociare, quod sit unio, de qua n: 4434; ex significatione filiarum, quod sint affectiones, ita bona, de qua n: 489. 490. 491. 2362. 3963; quod cum veris, significatur per detis nobis, et accipiatis vobis, per Schechemum enim, et per filios Jacobi, significantur vera, ut supra ostensum: inde patet, quod per illa verba significetur unio bonorum et verorum, hoc est, quod nova illa Ecclesia non solum externa, sed etiam interna facie similis esset Antiquae, per unionem.

4451. Et cum nobis habitetis, quod significet vitam, constat ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613, ita habitare cum nobis est vivere simul, ac unam Ecclesiam facere.

4452. Et terra erit coram vobis, habitate, quod significet Ecclesiam, quae una, constat ex significatione terrae, quod sit Ecclesia, de qua n: 566. 662. 1066. 1067. 1413. 1607. 3355. 4447; et ex significatione habitare cum nobis, quod sit vivere simul, de qua mox supra n: 4451, ita quod una esset Ecclesia.

4453. Negotiando pervagamini eam, et possidete in ea, quod significet dogmata ex communi quod consensura, constat ex significatione negotiari, quod sit cognitiones sibi comparare, et quoque communicare, de qua n: 2967, inde negotiando pervagari terram, est intrare in cognitiones boni et veri, quae per Schechemum filium Chamoris, et per urbem ejus significantur: et a significatione possidere in ea, quod sit unum facere, ita consentire, qui enim simul terram possident, illi unum faciunt et consentiunt. Quod negotiari sit cognitiones sibi comparare et quoque communicare, est quia in coelo, ubi Verbum percipitur secundum sensum internum, non detur aliqua negotiatio, non enim ibi Aurum, nec argentum, nec talia cum quibus in mundo negotiantur, quapropter cum negotiari legitur in Verbo,

intelligitur id in sensu spirituali, et tale percipitur quod correspondet, in genere comparatio et communicatio cognitionum, et in specie illud quod nominatur; ut si aurum nominatur, intelligitur bonum amoris et sapientiae, n: 113. 1551. 1552; si argentum, intelligitur verum quod intelligentiae et fidei, n: 1551. 2048. 2954; si oves, arietes, haedi, agni, per quae antiquitus negotiati sunt, intelliguntur talia quae oves, arietes, haedi, et agni, significant, et sic porro: sicut apud Ezechielem „Dic Tyro, habitatrix super introitibus maris, *Negotiatrix populorum* ad insulas multas: Tharschisch *mercatrix tua* ex multitudine omnium opum, in argento, in ferro, in stanno et plumbo, dederunt *nundinationes tuas.* Javan, [21] Thubal, et Meschech, hi *negotiatores tui,* in anima hominis, et vasis aeris, *dederunt commercium tuum.* Filii Dedanis *Negotiatores* tui; insulae multae *mercatura manus tuae.* Syria *Mercatrix tua* in multitudine operum tuorum. Jehudah et terra Israëlis, illi *Negotiatores tui* in triticis, minnith, et pannag, et melle et oleo, et opobalsamo, *dederunt commercium tuum.* Damascus *Mercatrix tua* in multitudine operum tuorum ex multitudine omnium opum, in Vino Chesbonis et lana Zacharis. Dan et Javan netum in *nundinationibus tuis* dederunt. Dedan *Negotiatrix tua* in vestibus libertatis ad currum. Arabs et omnes principes Kedar, illi *Mercatores manus tuae,* in agnis et arietibus et hircis, in his *Mercatores tui. Negotiatores* Schebae et Raamae, illi *Negotiatores tui* in primario omnis aromatis; et per omnem lapidem pretiosum et aurum, dederunt *Negotiationes tuas.* Charan et Channeh [22] et Eden, *Negotiatores* Schebae, Aschur, Kilmad *Negotiatrix tua.* Hi *Negotiatores tui* cum perfectionibus, cum glomeribus hyacinthi, et acupicto, et cum thesauris vestium pretiosarum, per funes ligatos et cedrina in *Mercatura tua:* unde impleta es, et honorata facta valde in corde marium" XXVII: 1 ad f. [23] Ex his et pluribus aliis locis in Verbo, apparet quod negotiationes, commercia, mercaturae, ac merces, non aliud sint, quam quae sunt cognitionum boni et veri; quid enim Verbum propheticum cum negotiationibus Tyri, nisi per illas spiritualia et coelestia significentur; et quia ita, manifeste constare potest, quod non solum per merces alia significentur, sed etiam per gentes ibi nominatas [24] illi apud quos

talia; tum quod non sciri possit quid significant, nisi ex sensu interno, ut quid Tharschisch, Javan, [21] Thubal, Meschech, filii Dedanis, Syria, Jehudah, Israël, Dan, Javan, Dedan, Arabs, Scheba, Ramah, Charan, Channeh,[22] Eden, Aschur, Kilmad; tum quid merces eorum, ut Argentum, Ferrum, Stannum, Plumbum, Vasa aeris, Tritica, Minnith, Pannag, Mel, Oleum, Opobalsamum, Vinum Chesbonis, Lana Zacharis, Netum, Vestes libertatis ad currum; Agni, Arietes, Hirci, Aroma, Lapis pretiosus, Aurum, Glomeres hyacinthini, Acupictum, Funes ligati, Cedrina: haec et similia significant bona et vera, quae sunt Ecclesiae, et Regni Domini, atque eorum cognitiones; quapropter de Tyro ibi actum est, ex causa quia per Tyrum significantur Cognitiones, n: 1201: et quia tales merces, seu bona et vera, in Ecclesia et Regno Domini sunt, etiam Terra Canaan, per quam Ecclesia et Regnum Domini significatur, ab Antiquissimo tempore ita nominata fuit a mercibus seu mercaturis, Canaan enim in Lingua originali, id significat. Ex his nunc patet, quid significatur per Negotiando pervagari terram.

4454. Et dixit Schechem ad patrem ejus et [ad] fratres ejus, quod significet consultationem Veri ex Antiqua Divina stirpe cum bono et vero hujus religiosi, constat a significatione dicere, quod hic sit consultare; a repraesentatione Schechemi, quod sit Verum ex Antiqua Divina stirpe, de qua supra n: 4447; a significatione patris, qui hic Jacob, quod sit bonum veri, de qua n: 4273. 4337; et a significatione fratrum, qui hic filii Jacobi, quod sint vera, de qua supra. Quod Schechem sit verum ex Antiqua Divina stirpe, patet ab illis quae supra n: 4447, allata sunt; fuerat enim Chamor Chivaeus cum sua gente et familia in terra Canaane inter reliquias Antiquissimae Ecclesiae, quae coelestis; illa Ecclesia prae omnibus Ecclesiis in universo orbe fuit a Divino, nam in bono amoris in Dominum fuit; voluntarium eorum ac intellectuale faciebant unum, ita unam mentem, quapropter perceptionem veri ex bono habebant, influebat enim Dominus per viam internam in bonum voluntatis eorum, et per hoc in bonum intellectus, seu verum, inde est, quod illa Ecclesia prae caeteris vocata sit Homo, n: 477. 478. 479, [25] et quoque Similitudo Dei, n: 51. 473. 1013; inde patet, cur Chamor et Schechemus dicantur ab Antiqua Divina stirpe, ut quo-

que prius n: 4399. Quod Antiquissima Ecclesia, quae Homo, aut Hebraea voce Adam, dicta est, fuerit in terra Canaane, prout supra n: 4447, dictum, patet manifeste a posteris illorum, qui dicti sunt Nephilim, Gen: VI: 4, qui quod in terra Canaane fuerint, dicitur Num: XIII: 33, videatur n: 581: sed Terra Canaan tunc dicta fuit omnis Terra a fluvio Aegypti ad fluvium Euphratem, Genes: XV: 18.

4455. Inveniam gratiam in oculis vestris, et quod dicitis ad me, dabo, quod significet si illis mens similis a sua parte, quod esset a sua, constat a significatione invenire gratiam in oculis alicujus, quod sit formula involvens propensionem, de qua n: 3980, hic propensionem ad id, quod daret quicquid diceret ad illum, per quae verba quod significetur, quod a sua parte esset mens si similis a parte illorum, patet a serie in sensu interno, nam dare quod illi dicunt, in illo sensu est unum facere cum illis quoad verum et bonum.

4456. Multiplicate super me valde dotem et donum, et dabo quemadmodum dicitis ad me, quod significet quod acceptabit illa quae apud illos, et faciet sua, nempe externa Ecclesiae quae illorum cum internis quae sua, ac ita simul unam Ecclesiam constituent, constat ex significatione dare quemadmodum dicitis, quod sit unum facere cum illis quoad verum et bonum, de qua mox supra n: 4455: ipsa dos et donum, quae dixit ut multiplicarent super illum, significat consensum in unum, nam dos, quae dabatur virgini desponsandae, erat tessera quod utrinque consensus: dicit quod multiplicarent super illum valde dotem et donum, ac ita super statutum, quod erat quinquaginta argenti, ex causa, quia cubuit cum illa antequam acceptavit eorum religiosum, et quod esset a parte Jacobi consentire vel renuere, secundum Legem antiquis etiam notam, de qua Exod: XXII: 15. 16; imprimis quia desiderata erat conjunctio, nempe interioris veri quod Schechem, cum affectione exterioris quae Dinah. Quod dos fuerit tessera consensus, [26] et sic confirmatio initiationis, est quia appendere seu dare argentum erat signum quod suum esset, ita quod virgo illius, et acceptare illud esset reciprocum, ita sponsa esset sponsi, et sponsus sponsae.

4457. Et detis mihi puellam ad mulierem, quod modo sit conjunctio, constat a significatione dare in mulierem, quod sit

conjunctio, de qua n: 4434, hic modo sit conjunctio quia adhuc non constipulatum.

4458. Vers: 13. 14. 15. 16. 17. *Et responderunt filii Jacobi Schechemo et Chamori patri illius in fraude, et loquuti sunt, quia polluit Dinam sororem illorum. Et dixerunt ad illos, non possumus facere verbum hoc, dare sororem nostram viro cui praeputium, quia opprobrium hoc nobis. Veruntamen in hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos, ad circumcidendum vobis omnem masculum. Et dabimus filias nostras vobis, et filias vestras accipiemus nobis, et habitabimus cum vobis, et erimus in populum unum. Et si non audiatis ad nos ad circumcidendum, et sumemus filiam nostram, et ibimus.* Responderunt filii Jacobi Schechemo et Chamori patri illius in fraude, significat malam opinionem et intentionem de vero et bono Ecclesiae apud Antiquos: et loquuti sunt, quia polluit Dinam sororem illorum, significat quod initiatio ad conjunctionem, quae non alia esse potuit, fieret per accessionem: et dixerunt ad illos, non possumus facere verbum hoc, significat quod improbarent: dare sororem nostram viro cui praeputium, significat nisi in repraesentativis ponerent verum et bonum Ecclesiae, et recederent ab illis quae significant: quia opprobrium hoc nobis significat quod contra eos esset: veruntamen in hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos, significat accessionem ad illorum religiosum: ad circumcidendum vobis omnem masculum, significat repraesentativum externum solum, et sic illis puri essent: et dabimus filias nostras vobis, et filias vestras accipiemus nobis, significat sic conjunctionem: et habitabimus cum vobis, significat quoad vitam: et erimus in populum unum, significat quoad doctrinam: et si non audiatis ad nos ad circumcidendum, significat nisi recesserint a suis veris, et accesserint ad repraesentativa externa: et sumemus filiam nostram et ibimus, significat quod nulla conjunctio.

4459. Responderunt filii Jacobi Schechemo et Chamori patri illius in fraude, quod significet malam opinionem et intentionem de vero et bono Ecclesiae apud Antiquos, constat a repraesentatione Schechemi, quod sit verum apud Antiquos, seu quod idem, verum ex Antiqua Divina stirpe, de qua n: 4399. 4454; ex repraesentatione Chamoris, quod sit bonum ex quo

illud verum, de qua n: 4399. 4431. 4447. 4454; et ex significatione fraudis, quod sit mala opinio et intentio; fraus enim in genere involvit malum contra alterum, et contra illa quae loquitur et quae agit, nam qui in fraude est, cogitat et intendit diversum ab altero, quod etiam ab effectu, de quo in hoc Capite, constat; inde patet, quod per responderunt filii Jacobi Schechemo et Chamori patri illius in fraude, significetur mala opinio et intentio de vero et bono Ecclesiae apud Antiquos. Filii Jacobi, seu posteri illius, non aliam opinionem et intentionem habere potuerunt de vero et bono Interni hominis, quam malam, quia in externis fuerunt absque internis, n: 4281. 4293. 4307. 4429. 4433; et quoque interna nihili fecerunt et ideo illa prorsus contemserunt: talis quoque est gens illa hodie; et tales sunt omnes, qui solum in externis sunt; qui in solis externis sunt, ne quidem sciunt quid sit esse in internis, nam non sciunt quid internum; si quis coram illis nominat internum, vel affirmant quod sit, quia ex doctrinali norunt esse, sed tunc affirmant ex fraude, vel sicut corde etiam ore negant; non enim vadunt ultra sensualia quae sunt Externi hominis; inde est, quod non credant aliquam vitam post mortem, et nisi corpore resurrecturos esse non dari posse resurrectionem, quapropter permissum est, ut talem opinionem de resurrectione habeant, alioquin nullam habuissent, nam ponunt omne vitae in corpore, nescientes quod vita corporis eorum sit ex vita eorum spiritus, qui post mortem vivit: qui in solis externis sunt, nusquam aliam fidem possunt habere, nam externa apud illos exstinguunt omne cogitationis, proinde omne fidei de internis. Quia talis ignorantia hodie regnat, dicendum est, quid sit esse in externis absque internis; qui absque conscientia sunt, omnes illi in solis externis sunt, nam Internus homo per conscientiam se manifestat; et omnes illi nullam conscientiam habent, qui verum et bonum cogitant et faciunt non propter verum et bonum, sed propter se, sui honoris et lucri causa, et quoque qui solum propter timorem legis ac vitae, nam si non periclitaretur fama, honor, lucrum, vita, ruerent [27] absque conscientia in omnia nefaria: hoc patet manifeste ab illis in altera vita, qui tales fuerunt in vita corporis, ibi, quia interiora patent, in perpetuo conatu sunt perdendi alios, quapropter in inferno sunt, et ibi spirituali modo

vincti tenentur. Ut adhuc sciatur, quid sit in externis esse, et quid in internis, et quod qui in solis externis sunt, non capere possint quid interna, proinde non possunt his affici, nam nemo afficitur illis quae non capit; sit pro exemplo, quod minimus esse sit maximus esse in coelo, et quod humilis sit altus esse, tum quod pauper et egenus sit dives et abundans esse; qui in solis externis sunt, ii haec non capere possunt, cogitant enim quod minimus nusquam possit maximus esse, nec humilis altus, et pauper dives, ac egenus abundans; cum tamen prorsus ita se habet in coelo; et quia non capere possunt, inde nec affici possunt illis, et cum reflectunt super illa ex corporeis et mundanis, in quibus sunt, aversantur illa; quod ita se habeat in coelo, prorsus non sciunt, et quamdiu in solis externis sunt, non scire volunt, imo nec scire possunt; in coelo enim qui scit, agnoscit, credit ex corde, hoc est, ex affectione, quod nihil potentiae ex semet sit, sed quod omne potentiae ei a Domino, is minimus dicitur, et tamen est maximus, quia ei potentia a Domino est; similiter se habet cum illo qui humilis est, quod sit altus, nam qui humilis est, agnoscens et credens ex affectione, quod nihil potentiae ei sit a se, nihil intelligentiae et sapientiae a se, et nihil boni et veri a se, is donatur potentia, intelligentia veri, et sapientia boni, prae aliis, a Domino; pariter quod pauper et egenus sit dives et abundans, pauper enim et egenus dicitur, qui credit ex corde et affectione, quod nihil possideat ex se, nihil sciat et sapiat ex se, et nihil possit ex se, is in coelo dives est et abundat, Dominus enim illi dat omnem opulentiam, sapiens enim est prae reliquis, et dives est prae reliquis, in magnificentissimis habitat palatiis, n: 1116. 1626. 1627, ac in thesauris omnium divitiarum coeli. Sit quoque pro exemplo, qui in solis externis est, nequaquam capere potest, quod gaudium coeleste sit proximum amare prae se, et Dominum supra omnia, et quod secundum amoris illius quantum et quale sit felicitas; nam qui in solis externis est, se amat prae proximo, et si amat alios, est quia sibi favent, et ita amat illos sui causa, proinde se in illis et illos in se; qui talis est, non scire potest quid sit amare alios prae se, imo non scire vult, nec scire potest, quare cum dicitur ei quod coelum consistat in tali amore, n: 548, aversatur illud; inde est, quod qui tales fuerunt in vita corporis, non approximare possint ad

aliquam societatem coelestem, et cum approximant, quod propter aversationem dejiciant se praecipites in infernum. Quia pauci hodie sciunt, quid sit in externis esse, et quid in internis, et quia plerique credunt, quod qui in internis sunt non possint esse in externis, et vicissim, licet illustrationis causa adhuc unum exemplum afferre; sit Nutritio corporis et Nutritio animae; qui in voluptatibus mere externis est, is curat pelliculam, indulget stomacho, amat opipare vivere, et in eduliis ac nectareis ponit summum voluptatis; at qui in internis est, etiam volupe habet in illis, sed ejus affectio regnans est, ut corpus nutriatur cibis cum voluptate propter sanitatem ejus, ob finem ut mens sana sit in corpore sano, ita principaliter propter mentis sanitatem, cui sanitas corporis inservit pro medio; qui spiritualis homo est, non ibi quiescit, sed sanitatem mentis seu animae spectat ut medium ad imbuendum intelligentiam et sapientiam, non propter famam, honores, lucrum, sed propter vitam post mortem; qui in interiori gradu spiritualis est, is intelligentiam et sapientiam spectat ut finem medium ut is servire possit pro membro utili in Regno Domini; et qui coelestis homo est, ut serviat Domino; huic cibus corporeus est medium ad fruendum cibo spirituali, et cibus spiritualis est medium ad fruendum cibo coelesti; et quia ita inservire debent, etiam cibi illi correspondent; inde etiam vocantur cibi: ex his constare potest, quid sit in solis externis esse, et quid in internis. Gens Judaica et Israëlitica, de qua in hoc Capite in sensu interno historico agitur, praeter illos qui mortui sunt infantes, quoad perplurimam partem talis est, sunt enim prae omnibus aliis in externis, nam sunt in avaritia; qui lucra et quaestus amant non propter alium usum, quam propter aurum et argentum, et in illis possidendis omne vitae jucundum ponunt, in extimis seu infimis sunt, quippe prorsus terrestria sunt quae amant; qui autem aurum et argentum propter aliquem usum amant, illi secundum usum a terrestribus se elevant, ipse usus quem homo amat, determinat vitam ejus, et distinguit ab aliis, usus malus facit illum infernalem, usus bonus facit illum coelestem; non quidem ipse usus, sed amor usus, nam in amore est vita cujusvis.

4460. Et loquuti sunt, quia polluit Dinam sororem illorum, quod significet quod initiatio ad conjunctionem, quae non

alia esse potuit, fieret per accessionem, constare potest ab explicatione illorum verborum „Sumsit eam, et cubuit cum ea, et compressit eam," per quae significatum, quod non aliter posset conjungi cum affectione veri per filios Jacobi fratres ejus significati, videatur n: 4433; hic quod polluerit illam, simile involvit.

4461. Et dixerunt ad illos, non possumus facere verbum hoc, quod significet quod improbarent, constat absque explicatione.

4462. Dare sororem nostram viro cui praeputium, quod significet nisi in repraesentativis ponerent verum et bonum Ecclesiae, et recederent ab illis quae significant, constat ex significatione praeputii, quod sit repraesentativum externum, signum quod essent ab Ecclesia; inde commune fuit dicere, Circumcisio et praeputium, cum distinguerent inter illos qui ab Ecclesia erant, et illos qui non erant; circumcisio enim significat recessionem ab amoribus spurcis, nempe ab amore sui et mundi, et accessionem ad amores coelestes, qui sunt in Dominum, et erga proximum, ita accessionem ad Ecclesiam, inde est, quod per illa verba significetur accessio ad illorum religiosum, proinde quod sicut illi in repraesentativis ponerent verum et bonum Ecclesiae, recedendo ab internis quae significantur, alioquin enim non similes essent illis, secundum ea quae sequuntur „In hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos:" quod circumcisio sit signum purificationis ab amoribus spurcis, videatur n: 2039. 2632; et quod praeputiati dicti sint qui in amoribus illis, n: 2049. 3412. 3413. Vix aliquis hodie novit, quid circumcisio in specie significat, quapropter dicendum; per Genitalia in utroque sexu significantur illa quae conjunctionis boni et veri sunt; nec modo significant, sed etiam actualiter illis correspondent; ad finem Capitum ostensum est, quod omnia Organa et Membra hominis correspondentiam habeant cum rebus spiritualibus in coelo; ita quoque Organa et Membra generationi dicata; haec correspondent conjugio boni et veri; ex hoc conjugio etiam descendit amor conjugialis, videatur n: 2618. 2727. 2728. 2729. 2803. 3132. 4434: praeputium quia obtegit Genitale, correspondebat in Antiquissima Ecclesia obscurationi boni et veri, sed in Antiqua Ecclesia conspurcationi eorum; nam apud

hominem Antiquissimae Ecclesiae, quia internus homo fuit, obscurari potuit bonum et verum, non autem conspurcari, at apud hominem Antiquae Ecclesiae, quia respective externus homo fuit, bonum et verum conspurcari potuit, nam externa, nempe externi amores sunt qui conspurcant; quapropter illi qui ab Antiquissima Ecclesia fuerunt, nihil noverunt de Circumcisione, sed modo illi qui ab Antiqua: ab hac etiam Circumcisio ad plures gentes emanavit; et injuncta est Abrahamo et posteris ejus non ut novum quid, sed ut intermissum quod restauraretur, et facta est posteritati ejus in signum quod essent ab Ecclesia; sed illa gens non sciebat quid significabat, nec volebat scire, nam religiosum ponebat in solis repraesentativis, quae sunt externa; ideo communiter incircumcisos damnabat, cum tamen circumcisio esset modo signum repraesentativum purificationis ab amore sui et mundi, a quo qui purificati sunt, spiritualiter circumcisi sunt, et dicuntur circumcisi quoad cor; ut apud Mosen „*Circumcidet Jehovah Deus cor tuum, et cor* seminis tui, *ad amandum* Jehovam Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua," Deut: XXX: 6: apud Eundem „*Circumcidetis praeputium cordis vestri*, et cervicem vestram ne induretis amplius," Deut: X: 16. 18: et apud Jeremiam „Novate vobis novale, et *removete praeputium cordis vestri*," IV: 3. 4: qui autem in amoribus sui et mundi sunt, vocantur praeputiati, quantumvis circumcisi fuerint, ut apud Jeremiam „Ecce dies venientes, quibus visitabo super omnem *circumcisum in praeputio*, super Aegyptum, et super Jehudam, et super Edomum, et super filios Ammonis, et super Moabum, et super omnes abscissos anguli, habitantes in deserto, quia *omnes gentes praeputiatae*, et omnis domus Israëlis *praeputiati corde*," IX: 24. 25; inde etiam patet, quod plures gentes etiam circumcisae fuerint, dicitur enim, visitabo super omnem circumcisum in praeputio; ita quod non novum quid fuerit, et solum apud posteros Jacobi, ut per id distinguerentur, ut supra dictum; Philistaei erant qui non circumcisi sunt, quare etiam in genere per praeputiatos intelliguntur Philistaei, I Sam: XIV: 6. Cap: XVII: 26. 36. Cap: XXXI: 4. II Sam: I: 20; et alibi.

4463. Quia opprobrium hoc nobis, quod significet quod contra eos esset, constat ex significatione opprobrii, quod sit id quod contra religiosum eorum, ita quod contra eos.

4464. Veruntamen in hoc consentiemus vobis, si sitis sicut nos, quod significet accessionem ad illorum religiosum, constat ex significatione consentire, quod sit accessio, et a significatione esse sicut illi, quod sit ut in solis externis essent, non autem in internis, tunc enim fuissent sicut illi, videatur mox supra n: 4459: ostensum est ibi, nempe n: 4459, [28] quid sit in solis externis esse, et quid in internis; hic dicendum, cur homo in internis esse debet; cuivis notum esse potest, qui reflectit, quod homo per interna communicationem habeat cum coelo, totum enim coelum est in internis; nisi homo quoad cogitationes et affectiones, hoc est, quae sunt intellectus et quae sunt voluntatis, sit in coelo, non potest post mortem illuc venire, nam nihil communicationis est; homo in vita corporis sibi per vera quae sunt intellectus, et bona quae sunt voluntatis, procurat sibi communicationem illam, et nisi tunc procuret illam sibi, postea non fit, nam post mortem aperiri mens ejus versus interiora nequit, si non aperta fuerit in vita corporis. Non novit homo, quod secundum vitam affectionum ejus, sphaera quaedam spiritualis illum circumfundat, quae sphaera perceptibilior est Angelis, quam est sphaera odoris exquisitissimo sensui in mundo; si vita illius fuerit in solis externis, scilicet in voluptatibus ex odiis contra proximum, ex vindictis et ex crudelitate inde, ex adulteriis, ex eminentia sui et inde contemtu aliorum, ex rapinis clandestinis, ex avaritia, ex dolis, et ex luxuria, ac similibus, sphaera spiritualis, quae illum circumfundit, est tam tetra, sicut est in mundo sphaera odoris ex cadaveribus, ex stercoribus, ex quisquiliis graveolentibus, et similibus; hanc sphaeram homo, qui vitam talem egerat, secum fert post mortem; et quia totus quantus in illa sphaera est, non potest alibi esse quam in inferno, ubi tales sphaerae sunt; de Sphaeris in altera vita, et unde illae, videatur n: 1048. 1053. 1316. 1504 ad 1519. 1695. 2401. 2489: Qui autem in internis sunt, scilicet qui jucundum habuerunt in benevolentia et charitate erga proximum, et maxime qui beatum in amore in Dominum, illos circumfundit sphaera grata et amoena, quae est ipsa coelestis, quapropter illi in coelo sunt: Sphaerae, quae percipiuntur in altera vita, oriuntur omnes ex amoribus et inde affectionibus, in quibus fuerant, consequenter ex vita, nam amores et inde affectiones fa-

ciunt ipsam vitam; et quia oriuntur ex amoribus et inde affectionibus, oriuntur ex intentionibus et finibus propter quos homo ita vult et ita agit, nam quisque pro fine habet quod amat, idcirco fines determinant vitam hominis, et illius quale constituunt, inde imprimis est sphaera ejus; haec percipitur exquisitissime in coelo, ex causa quia universum coelum in sphaera finium est; ex his patet, qualis homo qui in internis est, et qualis qui in externis, et cur non in solis externis, sed in internis esse debet. Sed haec homo qui in solis externis est, utcunque acumine ingenii de rebus in vita civili pollet, et utcunque ex scientificis eruditionis famam sibi comparaverat, non curat, quia est talis, ut nihil credat dari, quod non oculis videt et tactu sentit, proinde nec coelum nec infernum; et si diceretur ei, quod statim post mortem in alteram vitam venturus sit, ac ibi perfectius quam in corpore visurus, auditurus, loquuturus, et sensu tactus gavisurus, rejiceret sicut aliquod paradoxon aut phantasma; cum tamen actualiter se ita habet; similiter si quis diceret, quod anima seu spiritus qui vivit post mortem, sit ipse homo, non autem corpus quod circumfert in mundo: inde consequitur, quod qui in solis externis sunt, nihil curent quid de internis dicitur, cum tamen haec faciunt illos beatos et felices in Regno in quod venturi sunt, in quo victuri in aeternum; maxima pars Christianorum in tali incredulitate sunt: quod in tali incredulitate sint, scire mihi datum est ex illis qui ex Christiano orbe in alteram vitam venerunt, cum quibus loquutus sum; in altera enim vita non occultare possunt quae cogitarunt, quia cogitationes ibi evidenter patent, nec occultare possunt quid pro finibus habuerunt, hoc est, quid amaverunt, quia id per sphaeram se manifestat.

4465. Ad circumcidendum vobis omnem masculum, quod significet repraesentativum externum solum, et sic illis puri essent, constat ex significatione circumcidere omnem masculum, quod sit repraesentativum externum, signum quod essent ab Ecclesia, hic quod essent ab illorum religioso, de qua supra n: 4462; quod sic in oculis illorum puri essent, sequitur, nam posteritas ex Jacobo puritatem et sanctitatem non in internis sed in externis ponebat.

4466. Et dabimus filias nostras vobis, et filias vestras ac-

cipiemus nobis, quod significet sic conjunctionem, constat ex illis quae supra n: 4434, de conjugio dicta sunt, quod nempe conjugium in sensu spirituali sit conjunctio boni et veri; nam dare filias nostras vobis, et accipere filias vestras nobis, est sociare mutuo conjugia.

4467. Et habitabimus cum vobis, quod significet quoad vitam, nempe conjunctionem, constat ex significatione habitare cum vobis, quod sit una vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451.

4468. Et erimus in populum unum, quod significet quoad doctrinam, etiam conjunctionem, constat ex significatione populi, quod sit verum Ecclesiae, proinde doctrina, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581; ita esse in populum unum est conjunctio per doctrinam. Sunt duo quae conjungunt homines Ecclesiae, nempe vita et doctrina, quando vita conjungit, doctrina non separat, sed si solum doctrina conjungit, sicut hodie fit intra Ecclesiam, tunc se mutuo separant, et tot faciunt Ecclesias quot sunt doctrinae; cum tamen doctrina sit propter vitam, et vita ex doctrina; quod se separent, si solum doctrina conjungit, patet ex eo, quod, qui ab una doctrina est, damnet alterum, quandoque ad infernum; at quod doctrina non separet si vita conjungit, patet ex eo, quod qui in bonitate vitae est, non damnet alterum qui aliter sentit, sed illius fidei et conscientiae id relinquit, et hoc usque ad illos qui extra Ecclesiam sunt, dicit enim corde, quod ignorantia neminem damnare possit, si vivant in innocentia et mutuo amore, sicut infantes, qui quoque in ignorantia sunt cum obeunt.

4469. Et si non audiatis ad nos ad circumcidendum, quod significet nisi recesserint a suis veris, et accesserint ad repraesentativa externa, constat ex illis quae supra n: 4462, explicata sunt. Quae in his Versibus a filiis Jacobi dicta sunt, involvunt sensum contrarium quam qui erat apud Chamorem et Schechemum, proinde etiam contrarium in sensu interno, ut patet ab explicationibus; causa est, quia in fraude loquuti sunt, ut dicitur Vers: 13, et qui in fraude loquitur, is diversum sentit ab illo cum quo loquitur, n: 4459.

4470. Et sumemus filiam nostram et ibimus, quod significet quod nulla conjunctio, constat ex significatione conjugii,

quod sit conjunctio boni et veri, de qua supra n: 4466, inde sumere filiam et ire, est non dare illam in conjugium, ita quod nulla conjunctio. Hic loquuntur filii Jacobi, sicut Jacob pater eorum, nam non dicunt sumemus sororem nostram, sed filiam nostram; causa patet a sensu interno, nempe quod patris esset renuere aut affirmare, secundum legem, de qua Exod: XXII: 15 16; sed quia hic de posteritate ex Jacobo et ejus religioso agitur, sunt filii ejus, per quos id repraesentatur, qui loco patris hic respondent; ipse Jacob non potuit, quia per illum Antiqua Ecclesia hic repraesentatur, n: 4439.

4471. Vers: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Et bona fuerunt verba illorum in oculis Chamoris et in oculis Schechemi filii Chamoris. Et non tardavit puer facere verbum, quia beneplacuit in filia Jacobi; et ille honoratus prae omnibus domus patris sui. Et venit Chamor et Schechem filius illius ad portam urbis suae, et loquuti ad viros urbis suae, dicendo. Viri illi pacifici ii cum nobis, et habitent in terra, et negotiando pervagentur eam, et terra ecce lata spatiis coram illis; filias illorum accipiamus nobis ad foeminas, et filias nostras demus illis. Veruntamen in hoc consentient nobis viri ad habitandum cum nobis, ad esse in populum unum, in circumcidi nobis omnem masculum, quemadmodum illi circumcisi. Acquisitio illorum, et emtio illorum, et omnis bestia illorum, annon nobis illa; tantummodo consentiamus illis, et habitabunt cum nobis. Et audiverunt ad Chamorem et ad Schechemum filium illius omnes egredientes portam urbis illius, et circumciderunt omnem masculum, omnes egredientes portam urbis illius.* Bona fuerunt verba illorum in oculis Chamoris, significat condescendentiam quoad vitam: et in oculis Schechemi filii Chamoris, significat quoad doctrinam: et non tardavit puer facere verbum, significat acceptationis desiderium: quia beneplacuit in filia Jacobi, significat ad religiosum illius Ecclesiae: et ille honoratus prae omnibus domus patris sui, significat primarium ex veris Ecclesiae apud Antiquos: et venit Chamor et Schechem filius illius ad portam urbis suae, significat Ecclesiae apud Antiquos bona et vera quae in eorum doctrina: et loquuti ad viros urbis suae, dicendo, significat persuasionem: viri illi pacifici ii cum nobis, significat concordantiam: et habitent in terra, significat

quoad vitam: et negotiando pervagentur eam, significat quoad doctrinam: et terra ecce lata spatiis coram illis, significat extensionem: filias illorum accipiamus nobis ad foeminas, et filias nostras demus illis, significat conjunctionem: Veruntamen in hoc consentient nobis viri ad habitandum cum nobis, significat quod concordarent quoad vitam: ad esse in populum unum, significat quoad doctrinam: in circumcidi omnem masculum quemadmodum illi circumcisi, significat si initiarentur per illa in repraesentativa et significativa illorum, quoad sola externa: acquisitio illorum et emtio illorum, significat quod vera illorum: et omnis bestia illorum, significat quod bona: annon nobis illa, significat quod similia et forma una: tantummodo consentiamus illis, et habitabunt cum nobis, significat si condescendimus: et audiverunt ad Chamorem et ad Schechemum filium illius, significat consensum: omnes egredientes portam urbis ejus, significat quod e doctrina Ecclesiae apud Antiquos recederent: et circumciderunt omnem masculum, omnes egredientes portam urbis illius, significat accessionem ad externa.

4472. Bona fuerunt verba illorum in oculis Chamoris, quod significet condescendentiam quoad vitam, constat ex significatione bona esse verba, quod sit condescendentia; et ex repraesentatione Chamoris, quod sit bonum Ecclesiae apud Antiquos, de qua n: 4447; hic vita, nam vita est boni, sicut doctrina est veri, quae est Schechemus, ut sequitur: causa quod non bonum, sed vita, hic per Chamorem repraesentetur, est quia ad externa filiorum Jacobi condescendebat.

4473. Et in oculis Schechemi filii Chamoris, quod significet quoad doctrinam, constat ex repraesentatione Schechemi, quod sit verum Ecclesiae apud Antiquos, quod ex bono quod Chamor, de qua n: 4454, hic autem Schechemus est doctrina, ex causa de qua mox supra n: 4472.

4474. Et non tardavit puer facere verbum, quod significet acceptationis desiderium, constat ex significatione non tardare facere id quod dicitur, quod sit desiderium condescendendi ad id, ita acceptandi.

4475. Quia beneplacuit in filia Jacobi, quod significet ad religiosum illius Ecclesiae, constat a repraesentatione Dinae, quae hic est filia Jacobi, quod sit affectio veri Ecclesiae Anti-

quae, haec enim repraesentatur per Jacobum, n: 4439; cum affectione veri hujus Ecclesiae, seu quod idem, cum hac Ecclesia, erat desiderium conjunctionis; sed quia Ecclesia illa apud posteros Jacobi, quae hic repraesentatur per filios ejus, qui loco patris loquuti sunt, n: 4470, facta est mere externa, et ad haec acceptanda consenserunt Chamor et Schechemus, ideo per filiam Jacobi nunc significatur religiosum illius Ecclesiae.

4476. Et ille honoratus prae omnibus domus patris sui, quod significet primarium ex veris Ecclesiae apud Antiquos, constat ex significatione honorati prae omnibus, quod sit primarium; honoratus prae omnibus paene simile est ac princeps, qui quod sit primarium, videatur n: 1482. 2089; sed honoratus prae omnibus domus patris sui dicitur, non princeps, quia Chamor et Schechemus erant ex reliquiis Antiquissimae Ecclesiae, n: 4447. 4454, et in illa Ecclesia honoratus dicebatur, qui in Antiqua Ecclesia princeps: quod primarium ex veris Ecclesiae apud Antiquos significetur, est quia de Schechemo hoc dicitur, per quem quod repraesentetur verum Ecclesiae apud antiquos, videatur n: 4454.

4477. Et venit Chamor et Schechem filius illius ad portam urbis suae, quod significet Ecclesiae apud Antiquos bona et vera quae in eorum doctrina, constat ex repraesentatione Chamoris, quod sit Ecclesiae apud Antiquos bonum, de qua n: 4447; ex repraesentatione Schechemi, quod sit verum inde, de qua n: 4454; et ex significatione portae urbis, quod sit doctrina veri, de qua n: 2943.

4478. Et loquuti ad viros urbis suae, dicendo, quod significet persuasionem, constare potest a significatione loqui, quod sit velle, et quoque influere, de qua n: 2951. 3037, hic persuadere, quia qui vult in persuasione est, et qui inde influit, persuasionem communicat; et viri urbis sunt qui in veris doctrinae, hic in veris similibus cum Schechemo; nam urbs antiquis temporibus non erat aliud quam una gentis familia, cohabitatio eorum, qui ab una familia, dicebatur urbs; et quia in sensu interno non intelligitur familia, sed quale ejus quoad vitam et doctrinam, per urbem significatur doctrinae verum, et per habitatores doctrinae bonum, videatur n: 402. 2268. 2449. [29] 2451. 2712. 2943. 3216; at cum habitatores urbis nominantur

viri urbis, tunc non bonum doctrinae, sed vera ejus significantur; in Verbo enim viri sunt vera, n: 3134.

4479. Viri illi pacifici ii cum nobis, quod significet concordantiam, hic quoad doctrinalia, constat ex significatione virorum, quod sint vera, de qua n: 3134, inde quoque doctrinalia, nam vera Ecclesiae in unum collecta et agnita, dicuntur doctrinalia; et ex significatione pacificorum, quod sit quod concordent; illi enim in sensu spirituali vocantur pacifici, qui quoad Ecclesiae doctrinalia et dogmata, concordant.

4480. Et habitent in terra, quod significet quoad vitam, constat ex significatione habitare, quod sit vita, de qua supra n: 4467; per terram hic sicut alibi significatur Ecclesia, n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4447, ita per habitare in terra, significatur similitudo vitae secundum illa quae sunt Ecclesiae. Quicquid in Verbo scriptum est, hoc in se et in sua essentia est spirituale, quod Verbum sit spirituale, notum est, sed spirituale ejus non apparet in litera, in litera enim est mundanum, imprimis in historicis, at cum legitur ab homine, mundanum, quod ibi, fit spirituale in mundo spirituali, hoc est, apud angelos; illi enim non cogitare possunt quam spiritualiter de unaquavis re; ita quoque de habitare in terra: spiritualiter cogitare, est de illis quae sunt Regni Domini, ita de illis quae sunt Ecclesiae.

4481. Et negotiando pervagentur eam, quod significet quoad doctrinam, constat ex significatione negotiando pervagari terram, quod sit intrare in cognitiones boni et veri, de qua n: 4453, ita in doctrinam, nam haec cognitiones illas continet et docet.

4482. Et terra ecce lata spatiis coram illis, quod significet extensionem, nempe veri quod est doctrinae, constat a significatione terrae, quod sit Ecclesia, de qua mox supra n: 4480; et ex significatione lata spatiis, quod sit extensio quoad vera, ita quoad illa quae sunt doctrinae: in Verbo, quae describuntur secundum mensuras, in sensu interno non significant mensuras, sed qualia status, mensurae enim involvunt spatia, et in altera vita non sunt spatia sicut nec tempora, sed illis correspondent status, videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387. 3404. 4321; et quia ita, longitudines, latitudines et altitudi-

nes, quae sunt spatii mensurati, significant talia quae sunt status, quod longitudo significet sanctum, altitudo bonum, et latitudo verum, videatur n: 650. 1613. 3433. 3434, inde est, quod per terram latam spatiis, significetur extensio veri quod est doctrinae in Ecclesia. Qui non novit dari in Verbo aliud spirituale quam quod exstat in sensu literali, non potest aliter quam mirari, quod dicatur per terram latam spatiis significari extensionem veri quod est doctrinae in Ecclesia; sed quod usque se ita habeat, constare potest a locis, ubi Latitudo in Verbo nominatur, ut apud Esaiam „Aschur ibit per Jehudam, inundabit et transibit, usque ad collum pertinget, et erunt extensiones alarum ejus plenitudo *Latitudinis terrae*," VIII: 8. Apud Davidem „Jehovah non conclusisti me in manum inimici, stare fecisti *in Latitudine* pedes meos," Psalm: XXXI: 9. Apud Eundem „Ex angustia invocavi Jah, respondet mihi *in Latitudine*," Psalm: CXVIII: 5. [30] Apud Habakuk „Ego exsuscitans Chaldaeos, gentem amaram et celerem, ambulantem in *Latitudines terrae*," I: 6, per latitudines ibi non aliud significatur quam verum Ecclesiae: causa quod Latitudo id significet, est quia in mundo spirituali, seu in coelo, est Dominus Centrum omnium, Ipse enim est Sol ibi; qui in statu boni sunt, interiores sunt secundum quale et quantum boni in quo sunt; inde praedicatur Altitudo de bono; qui sunt in simili gradu boni, etiam sunt in simili gradu veri, et sic quasi in simili distantia, aut, ut ita dicatur, in eadem peripheria, inde praedicatur Latitudo de veris; quapropter non aliud per Latitudinem intelligitur ab Angelis qui apud hominem sunt cum Verbum legit; ut in Historicis ejus, ubi agitur de Arca, de Altari, de Templo, de spatiis extra urbes, tunc per dimensiones ibi quoad longitudines, latitudines, et altitudines, percipiuntur status boni et veri; similiter ubi de Nova Terra, Nova Hierosolyma, et de Novo Templo, apud Ezechielem, Cap: XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII; per quae quod significetur Coelum et nova Ecclesia, ex singulis ibi constare potest: ita etiam apud Johannem, ubi de Nova Hierosolyma dicitur, quod erit quadrangularis, et ejus Longitudo tanta, quanta *Latitudo*, Apoc: XXI: 16. Quae interiora sunt in mundo spirituali, describuntur per superiora, et quae exteriora per in-

feriora, n: 2148, homo enim non aliter capit interiora et exteriora cum est in mundo, quia est in spatio et in tempore, et quae spatii et temporis sunt, ejus cogitationis ideas intrarunt, et plerasque imbuerunt; inde etiam patet, quod illa quae sunt mensurarum, quae sunt limitationes spatii, sicut altitudines, longitudines, et latitudines, sint in sensu spirituali illa quae determinant status affectionum boni et affectionum veri.

4483. Filias illorum accipiamus nobis ad foeminas, et filias nostras demus illis, quod significet conjunctionem, constat ex illis quae supra n: 4466 explicata sunt, ubi similia verba.

4484. Veruntamen in hoc consentient nobis viri ad habitandum cum nobis, quod significet quod concordarent quoad vitam, constat ex significatione consentire, quod sit concordare; et ex significatione habitare, quod sit vita, de qua supra n: 4451. 4452.

4485. Ad esse in populum unum, quod significet quoad doctrinam, constat ex significatione populi, quod sit doctrina, de qua etiam supra n: 4468.

4486. In circumcidi omnem masculum quemadmodum illi circumcisi, quod significet si initiarentur per illa in repraesentativa et significativa illorum quoad sola externa, constat ex significatione circumcidi, quod sit repraesentativum externum, signum quod essent ab Ecclesia, hic a religioso in quo fuerunt posteri ex Jacobo, de qua n: 4462; et quia acceptabant eorum religiosum, quod in solis externis constabat, n: 4281. 4293. 4307, ideo dicitur, quemadmodum illi circumcisi; inde patet, quod per circumcidi omnem masculum quemadmodum illi circumcisi, significetur si initiarentur per illud in repraesentativa et significativa illorum quoad sola externa: quid haec praeterea involvunt, constabit a sequentibus.

4487. Acquisitio illorum et emtio illorum, quod significet quoad vera illorum, constat ex significatione acquisitionis et emtionis, quod sit vera; sed distinguuntur in eo, quod Acquisitio, quando est quoque pecudum, sit veri bonum, nam per pecudes id significatur, at veri bonum est verum voluntate et actu, n: 4337. 4353. 4390; Emtio autem, quae alibi vocatur emtio argenti est verum; illud, nempe veri bonum, dicitur verum coeleste, hoc autem verum spirituale, n: 2048; illud nem-

pe verum coeleste, est verum quod factum est vitae, hoc autem, nempe verum spirituale, est verum quod est doctrinae.

4488. Omnis bestia illorum, quod significet quod bona, constat a significatione bestiae, quod sint bona, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 1823. 2179. 2180. 2781. 3218. 3519.

4489. Annon nobis illa, quod significet quod similia et forma una, constare potest ex serie, quae talis est, quod bona et vera Antiquissimae Ecclesiae, quae apud Chamorem et Schechemum et familias eorum adhuc quoad aliquam partem remanebant, concordarent cum bonis et veris, quae ex Antiqua Ecclesia apud posteros Jacobi, nam Ritualia, quae instituta sunt apud posteros Jacobi, non aliud erant quam externa quae repraesentabant et significabant interna, quae fuerunt Ecclesiae Antiquissimae; inde per annon nobis illa seu ad illos pertinentia, significatur quod essent similia et forma una: sed illustretur res per exemplum; Altare, super quo sacrificabant, erat principale repraesentativum Domini, n: 921. 2777. 2811, inde etiam erat fundamentale cultus in Ecclesia Antiqua quae Hebraea vocata fuit; ideo omnia et singula, ex quibus construebatur Altare, repraesentabant, sicut ejus dimensiones, nempe altitudo, latitudo, et longitudo, ejus lapides, ejus opus reticulare quod ex aere, ejus cornua, et dein ignis qui perenniter super illo conservabatur, ac insuper sacrificia et holocausta; quae repraesentabant, erant vera et bona quae Domini et quae a Domino; haec erant interna cultus, quae quia repraesentabantur in externo illo, erant similia et forma una cum veris et bonis Antiquissimae Ecclesiae; dimensiones, nempe altitudo, latitudo et longitudo, significabant in genere bonum, verum, et sanctum inde, videatur n: 650. 1613. 3433. 3434. 4482; lapides significabant in specie vera inferiora, n: 1298. 3720; [31] aes ex quo opus reticulare circum altare significabat bonum naturale, n: 425. 1551; cornua significabant potentiam veri ex bono, n: 2832; ignis super altari significabat amorem, n: 934; sacrificia et holocausta significabant coelestia et spiritualia, secundum eorum varias species, n: 922. 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519; inde constare potest, quod in externis illis continerentur interna, et quod quoad interna similia essent; ita quo-

que in reliquis. Sed qui ab Antiquissima Ecclesia fuerunt, externa illa non curabant, quia Interni homines fuerunt, et Dominus per internam viam apud illos influebat, et docebat quid bonum, boni varietates et differentiae erant illis vera, ac inde omnia et singula quae in mundo erant, sciebant quid repraesentabant in Regno Domini, nam universus mundus seu universa natura est theatrum repraesentativum Regni Domini, n: 2758. 3483: at qui ab Ecclesia Antiqua erant, non Interni homines sed Externi fuerunt, quare apud eos non potuit Dominus influere per internam viam sed per externam, et docere quid bonum, et hoc primum per talia quae repraesentabant et significabant, inde orta est Ecclesia repraesentativa; ac postea per doctrinalia boni et veri, quae repraesentabantur et significabantur, inde Ecclesia Christiana; haec Ecclesia, nempe Christiana, in sua essentia, eadem est quoad formam internam cum Ecclesia repraesentativa, sed illius Ecclesiae repraesentativa et significativa abrogata sunt, postquam Dominus in mundum venit, ex causa quia omnia et singula repraesentabant Ipsum, et consequenter illa quae sunt Regni Ipsius, nam haec sunt ab Ipso, ac, ut ita dicatur, sunt Ipse. Verum inter Antiquissimam Ecclesiam et inter Christianam, talis est differentia, qualis inter lucem solis die, et lumen lunae vel stellarum nocte; nam videre bona per viam internam seu priorem, est sicut videre in die a luce solis, at videre per viam externam seu posteriorem, est sicut videre in nocte a lumine lunae vel stellarum: paene similis differentia fuit inter Antiquissimam Ecclesiam et Antiquam, solum quod in pleniore lumine possent esse qui a Christiana, si interna agnovissent, seu vera et bona, quae docuit Dominus, credidissent et fecissent; ipsum bonum est utrique idem, sed differentia est videre illud in claro aut in obscuro; qui in claro vident, innumerabilia arcana vident, paene sicut angeli in coelo, et quoque afficiuntur illis quae vident; qui autem in obscuro vident, vix quicquam absque dubio vident, et quoque quae vident miscent se cum umbris noctis, hoc est, cum falsis, nec interius affici illis possunt; nunc quia bonum utrique est idem, consequenter etiam verum, inde est, quod per verba „Annon nobis illa" significetur quod bona et vera essent similia et forma una; Chamor enim et Schechemus erant, ut prius dictum,

ex reliquiis Antiquissimae Ecclesiae, et posteritas Jacobi erat ex Antiqua Ecclesia, quae dicta fuit Hebraea, sed solum in externis ejus. Quod autem Chamor et Schechemus filius ejus enormiter peccaverint, quod receperint circumcisionem, videbitur in sequentibus, n: 4493.

4490. Tantummodo consentiamus illis, et habitabunt cum nobis, quod significet si condescendimus, et quod sic consociaturi vitam, constat a significatione consentire, quod sit condescendere; et a significatione habitare cum nobis, quod sit una vivere, seu consociare vitam, de qua n: 4467.

4491. Et audiverunt ad Chamorem et Schechemum filium illius, quod significet consensum, constat absque explicatione.

4492. Omnes egredientes portam urbis ejus, quod significet quod e doctrina Ecclesiae apud Antiquos recederent, constat a significatione egredi, quod hic sit recedere; et a significatione portae urbis, quod sit doctrina, de qua n: 2943. 4477, hic doctrina Ecclesiae apud Antiquos, quia erat porta urbis ejus, hoc est, Schechemi, per Schechemum enim repraesentatur verum Ecclesiae apud Antiquos, n: 4454: per Ecclesiam apud Antiquos, intelligitur illa quae ab Antiquissima, ut prius quoque dictum. Quomodo haec se habent, patebit ab illis quae nunc sequuntur.

4493. Et circumciderunt omnem masculum, omnes egredientes portam urbis illius, quod significet accessionem ad externa, constat ex significatione circumcidere omnem masculum, quod sit per id initiari in repraesentativa et significativa illorum, nempe posterorum Jacobi, quoad sola externa, de qua n: 4486; et ex significatione egredi portam urbis, quod sit recedere e doctrina Ecclesiae apud Antiquos, de qua mox supra n: 4492; et quia recessio e doctrina, et accessio ad externa, significatur, ideo bis dicitur, Egredientes portam urbis illius, non etiam simul ut alibi, ingredientes illam, per ingredi enim significatur accessio ad doctrinam, et recessio ab externis, [32] hic autem contrarium. Quomodo haec se habent, dicendum; homines Antiquissimae Ecclesiae ex cujus reliquiis Chamor et Schechem, cum familiis suis, fuerunt, prorsus alio et diverso genio ac indole fuerunt, quam viri Antiquae Ecclesiae; homines enim Antiquissimae Ecclesiae habuerunt voluntarium in quo integrum

erat, non autem viri Antiquae Ecclesiae; quapropter Dominus apud homines Antiquissimae Ecclesiae potuit influere per voluntarium, proinde per viam internam, non autem apud viros Antiquae Ecclesiae, in his enim voluntarium deperditum fuit, sed influebat Dominus in intellectuale eorum, ita non per viam internam, sed per externam, ut supra n: 4489 dictum est; influere per voluntarium est per bonum amoris, nam omne bonum est partis voluntariae; at influere per intellectuale, est per verum fidei, nam omne verum est partis intellectualis; in hac parte, nempe intellectuali, Dominus apud viros Antiquae Ecclesiae formavit novam voluntatem, cum illos regeneravit: quod bona et vera parti voluntariae hominum Antiquissimae Ecclesiae implantata fuerint, videatur n: 895. 927; at quod parti intellectuali virorum Antiquae Ecclesiae, n: 863. [33] 875. 895. 927. 2124. 2256. 4328: quod in parte intellectuali formetur nova voluntas, n: 928. 1023. 1043. 1044. 4328, quod detur parallelismus inter Dominum et inter bonum apud hominem, non autem inter verum, n: 1831. 1832. 2718. 3514: et quod inde viri Antiquae Ecclesiae fuerint in obscuro respective, n: 2708. 2715. 2935. 2937. 3246. 3833: ex his constare potest quod homines Antiquissimae Ecclesiae prorsus alio et diverso genio ac indole fuerint a viris [34] Antiquae Ecclesiae. Inde erat, quod qui ab Antiquissima Ecclesia erant, Interni homines fuerint, et nulla externa cultus habuerint; et quod qui ab Antiqua Ecclesia erant, Externi homines fuerint, et externa cultus habuerint; nam illi per interna videbant externa sicut a luce solis diu, et hi per externa videbant interna sicut in lumine lunae et stellarum noctu, quapropter etiam Dominus illis in coelo apparet ut Sol, his autem ut Luna, n: 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 2495. 4060; illi sunt qui in explicationibus vocantur coelestes, hi autem qui spirituales. Ut illustretur, qualis differentia fuerit, sit exemplum; homo Antiquissimae Ecclesiae si legisset Verbum Historicum aut Propheticum, absque praevia instructione aut ulla explicatione vidisset sensum ejus internum, et hoc usque adeo, ut coelestia et spiritualia, quae sunt sensus interni, illico obvenissent, et vix aliquid quod in sensu literae; ita sensus internus fuisset illi in claro, at sensus literae in obscuro; foret sicut qui audit loquentem, et solum haurit sensum,

non autem attendit ad loquentis voces: at homo Antiquae Ecclesiae si legisset Verbum, non potuisset absque praevia instructione aut explicatione videre sensum ejus internum, ita quod sensus internus fuisset illi in obscuro, at sensus literae in claro, foret sicut ille qui audit loquentem et cogitatione inhaeret vocibus, et interea non attendit ad sensum, qui inde ei perit: at homo Ecclesiae Judaicae cum legit Verbum, nihil capit praeter sensum literae, quod sensus aliquis internus sit, non scit, et quoque negat: similiter hodie homo Ecclesiae Christianae. Ex his constare potest, qualis differentia fuit inter illos qui per Chamorem et Schechemum repraesentantur, qui quia ex reliquiis Antiquissimae Ecclesiae fuerunt, in internis et non in externis fuerunt, ac inter illos qui per filios Jacobi significantur, qui in externis et non in internis fuerunt; et porro constare potest, quod Chamor et Schechemus non accedere potuissent ad externa, et acceptare illa quae apud filios Jacobi, nisi interna eorum occluderentur, quae si occlusa fuissent, in aeternum periissent. Haec causa arcana est, cur Chamor et Schechemus cum familiis eorum, occisi sint, quod alioquin non permissum fuisset: sed hoc non aufert culpam a filiis Jacobi, quin enorme facinus patraverint; illi nihil de arcano illo noverunt; nec illum finem habuerunt: quisque secundum finem seu intentionem judicatur; quod intentio eorum fraudulenta fuerit, in Vers: 13 manifeste dicitur; cumque aliquod tale permittitur a Domino, id fit per malos ac per infernales qui infundunt; sed omne malum quod mali intendunt et faciunt bonis, Dominus vertit in bonum, hic ut Chamor et Schechemus cum familiis eorum salvarentur.

4494. Vers: 25. 26. 27. 28. 29, *Et factum in die tertio, in esse illos dolentes, et acceperunt duo filii Jacobi Schimeon et Levi fratres Dinae, quisque gladium suum, et venerunt super urbem confidenter, et occiderunt omnem masculum. Et Chamorem et Schechemum filium illius occiderunt ad os gladii, et sumserunt Dinam e domo Schechemi, et exiverunt. Filii Jacobi venerunt super confossos, et depraedati urbem, quod polluerint sororem suam. Greges illorum, et armenta illorum, et asinos illorum, et quicquid in urbe, et quicquid in agro, sumserunt. Omnes opes illorum, et omnem infantem illorum, et foeminas illorum, captivarunt et depraedati, et omne quod in*

domo. Factum in die tertio, significat continuum usque ad finem: in esse illos dolentes, significat cupiditates: et acceperunt duo filii Jacobi Schimeon et Levi, significat fidem et amorem: fratres Dinae, significat vera et bona istius Ecclesiae: quisque gladium suum, significat falsum et malum: et venerunt super urbem confidenter, et occiderunt omnem masculum, significat quod extirparent vera doctrinae Ecclesiae apud Antiquos: et Chamorem et Schechemum filium illius ad os gladii, significat ipsam Ecclesiam: et sumserunt Dinam e domo Schechemi [et] exiverunt, significat quod affectionem veri sustulerint: filii Jacobi venerunt super confossos, et depraedati urbem, significat quod omnis illa posteritas doctrinam destruxerint: quod polluerint sororem suam significat quod verum fidei foedaverint: greges illorum et armenta illorum, significat quod destruxerint bonum rationale et naturale: et asinos illorum, significat vera inde: et quicquid in urbe, et quicquid in agro, sumserunt, significat omne verum et bonum Ecclesiae: et omnes opes illorum, significat omnia scientifica, quae sibi acquisiverunt: et omnem infantem illorum, significat omnem innocentiam: et foeminas illorum, significat charitatem: captivarunt et depraedati, significat quod deprivaverint illos et perverterint: et omne quod in domo, significat omne Ecclesiae.

4495. Factum in die tertio, quod significet continuum usque ad finem, constat a significatione diei tertii, quod sit completum a principio ad finem, de qua n: 2788, ita quoque continuum; quod dies tertius id significet, vix credere possunt illi, qui putant Historica verbi solum historica mundana esse, et modo sancta quia in Codice sacro sunt; sed quod non solum ipsa historica Verbi involvant spiritualia et coelestia, quae non exstant in litera, sed etiam omnes voces, et praeterea omnes numeri, in explicationibus quae praecedunt, ostensum est; quod ita se res habeat, ex Divina Domini Misericordia, constabit adhuc melius in Propheticis, quae non ita mentem in sensu literae quoad seriem tenent prout historica: at quod numerus ternarius, sicut etiam numerus septenarius, ut et numerus duodenarius, arcana involvant, nulli non qui Verbum quoad interiora ejus scrutatur, constare potest; et si in illis numeris, sequitur quod etiam in reliquis numeris qui in Verbo, arcanum sit, nam Ver-

bum ubivis sanctum est: quandoque cum loquutus sum cum Angelis, visi sunt numeri quasi scripti ante oculos, sicut qui in charta in claro die, et perceptum quod ipsae res, de quibus loquuti sunt, in tales numeros cadant, a qua experientia etiam scire datum est, quod unusquisque numerus in Verbo aliquod arcanum contineat; hoc manifeste videri potest ab his apud Johannem „Mensus est murum Sanctae Hierosolymae *Centum quadraginta quatuor cubitorum*, quae est Mensura hominis, hoc est, Angeli," Apoc: XXI: 17: et alibi „Qui habet intelligentiam, computato numerum bestiae, numerus enim hominis est, nempe *numerus ejus est*, *Sexcenta sexaginta sex*" XIII: 18; quod prior numerus, nempe 144 sit ex duodecim in se multiplicatis, et quod numerus 666 sit ex numero ternario et seno, patet; quid sancti autem involvant, constare potest ex sancto numeri 12, de quo videatur n: 577. 2089. 2129 f. 2130 f. 3272. 3858. 3913, et de sancto numeri ternarii, n: 720. 901. 1825. 2788. 4010; hic numerus, nempe ternarius, quia significabat completum usque ad finem ita unam periodum magnam vel parvam, ideo in Ecclesia repraesentativa receptus est, et adhibebatur quoties tale significaretur, etiam in verbo, in quo omnia et singula significant, ut constare potest ab his locis; Quod „irent *iter trium dierum* et sacrificarent" Exod: III: 18. Cap: V: 3. Quod „parati essent ad *diem tertium*, quia *die tertio* descenderet Jehovah super montem Sinai" Exod: XIX: 11. 15. 16. 18. Quod „de Carne sacrificii nihil relinqueretur ad *diem tertium*" Levit: VII: 16. 17. 18. Cap: XIX: 6. 7. Quod „super immundum spargeretur aqua separationis *die tertio* et die septimo" Num: XIX: 11 ad f. et quod „qui tetigerunt occisum in bello, mundarentur *die tertio* et die septimo" Num: XXXI: 19 ad 25. Quod „Josua mandaverit populo, ut *intra tres dies* transirent Jordanem" Jos: I: 11. Cap: III: 2. Quod „Jehovah *ter* vocaverit Samuelem, et *ter* Samuel cucurrerit ad Eli, et quod *tertia vice* intellexerit Eli, quod Jehovah vocaret Samuelem" I Sam: III: 1 ad 8. Quod „Jonathan diceret ad Davidem, quod occultaret se in agro ad vesperam *tertiam;* et quod Jonathan mitteret ad illum *crastino tertio,* et revelaret animum patris sui: et quod Jonathan tunc ad latus lapidis jacularetur *tres sagittas:* et quod post illud David se incurvaverit *tribus vicibus* ad ter-

ram coram Jonathane » I Sam: XX: 5. 12. 19. 20. 35. 36. 41. Quod „ *Tria* proposita sint Davidi, ut ex illis unum eligeret, vel quod ventura fames septem annis, vel *tribus mensibus* fugiturus pro hostibus, vel futura *tribus diebus* pestis in terra » II Sam: XXIV: 11. 12. 13. Quod Rehabeam diceret ad Coetum Israëlis, qui petebant ut allevarentur a jugo patris ejus, quod „ abirent *tres dies* et reverterentur; et quod venerint ad Rehabeamum *die tertio*, sicut dixit Rex, revertimini ad me *die tertio* » I Reg: XII: 5. 12. Quod Elias „ se mensus super filium viduae *tribus vicibus* » I Reg: XVII: 21: quod Elias dixerit, ut „ funderent aquam super holocaustum et ligna *tertia vice*, et *tertia vice* fecerunt» I Reg: XVIII: 34. Quod „Jonas fuerit in ventre ceti *tribus diebus et tribus noctibus*» Jon: II: 1. Matth: XII: 40. [35] Quod Dominus loquutus de homine qui plantavit vineam, quod „ miserit *tribus vicibus* servos, et postea Filium » Marc: XII: 2. 4. 5. 6. Luc: XX: 12. 13. Quod de Petro, quod „ *ter* abnegaturus Ipsum » Matth: XXVI: 34. Joh: XIII: 38. Quod „ dixerit ad Petrum *tribus vicibus*, amasne Me » Joh: XXI: 15. 16. 17. Ex his et pluribus aliis in Verbo constare potest, quod in numero ternario fuerit arcanum, et quod numerus ille inde inter significativa in Ecclesiis Antiquis receptus sit; quod significet integram periodum Ecclesiae ac rerum in Ecclesia, ita magnam vel parvam, patet, proinde completum et quoque continuum usque ad finem; ut manifeste apud Hoscheam „ Jehovah vivificabit nos post biduum, et *die tertio* eriget [36] nos, et vivemus coram Ipso » VI: 2.

4496. In esse illos dolentes, quod significet cupiditates, constat a significatione doloris post circumcisionem, quod sit cupiditas, quod dolor post circumcisionem sit cupiditas, est quia circumcisio significat purificationem ab amore sui et mundi, n: 2039. 2044. 2049. 2632. 3412. 3413. 4462, et omnis cupiditas carnis est ab illis amoribus, inde dolor hanc significat; cum enim homo ab illis amoribus purificatur, ut fit cum regeneratur, in dolore et anxietate est, cupiditates quae tunc absterguntur, sunt quae dolent et angunt. Cum per rituale repraesentatur aliquod arcanum, etiam singula ejus, usque dum completum est, aliquid istius arcani involvunt; sicut gladioli seu cultri, quibus circumcidebantur, quod essent ex petra, n:

2039 f. 2046 f. 2799, [37] per sanguinem tunc, perque modum, ita quoque per statum; hoc constare adhuc potest a processibus mundationum, inaugurationum, sanctificationum, ac reliquis. Hic per dolorem post circumcisionem significatur cupiditas Chamoris, Schechemi, et virorum urbis ejus, quod desiderarent ad externa in quibus posteri Jacobi, de qua supra n: 4493. [38]

4497. Et acceperunt duo filii Jacobi Schimeon et Levi, quod significet fidem et amorem, constat a repraesentatione Schimeonis, quod sit fides voluntate, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872, et ex repraesentatione Levi, quod sit amor spiritualis seu charitas, de qua n: 3875. 3877; in genuino sensu illa per Schimeonem et Levi, et quoque per Tribus a Schimeone et Levi nominatas significantur, at in sensu opposito falsum et malum, nam falsum est oppositum vero fidei, et malum bono charitatis; haec repraesentant Schimeon et Levi respective ad gentem Judaicam quae apud se extinxerat omne fidei et omne charitatis, quae erant interna cultus; ut melius constare potest a sequentibus, ubi de illis dicitur, quod occiderint Chamorem, Schechemum, et viros urbis, et quod filii Jacobi venerint super confossos, et depraedati sint omnia. Quod Schimeon et Levi id fecerint, erat ut repraesentaretur, quod verum quod fidei et bonum quod charitatis, factum sit falsum et malum, cum enim verum fit falsum, et bonum fit malum in Ecclesia, actum est de Ecclesia.

4498. Fratres Dinae, quod significet vera et bona istius Ecclesiae, constat a significatione fratrum, quod sint vera et bona, seu fides et charitas, de qua n: 367. 3303. 3803. 3815. 4121. 4191. 4267; et a repraesentatione Dinae, quod sit affectio veri, proinde Ecclesia, de qua n: 3963. 3964. 4427.

4499. Quisque gladium suum, quod significet falsum et malum, constat a significatione gladii, quod sit verum pugnans et inde defensio veri, ac in opposito sensu falsum pugnans, et inde vastatio veri, de qua n: 2799: quod gladius quoque sit malum, est quia etiam erat Levi, per quem repraesentabatur charitas, ita bonum, hoc cum fit malum, per falsum ex malo pugnat, et quod tunc facit est malum.

4500. Et venerunt super urbem confidenter, et occiderunt omnem masculum, quod significet quod exstirparent vera do-

ctrinae Ecclesiae apud Antiquos, constat ex significatione urbis, quod sit doctrina quae Ecclesiae, de qua n: 402. 2449. [29] 2943. 3216. 4478, hic Ecclesiae apud Antiquos, quia ea Ecclesia per Chamorem et Schechemum, cujus urbs erat, repraesentatur; ex significatione confidenter, quod sit ex fiducia, hic ex fiducia falsi et mali; et ex significatione masculi, quod sit verum, de qua n: 749. 2046. 4005; inde patet, quod per venerunt super urbem confidenter et occiderunt omnem masculum, significetur quod ex fiducia falsi et mali exstirparent vera doctrinae Ecclesiae apud Antiquos. Erat Ecclesia apud Antiquos, quae ex Antiquissima, quae apud posteritatem ex Jacobo, instauraretur, quia Ecclesia Antiqua perire incepit, at quod omne verum fidei et bonum charitatis, ita omne internum cultus apud se exstinxerint, et sic quod nulla Ecclesia apud illam posteritatem institui potuerit, in sensu interno hic describitur, unde factum, quod, quia contumaciter institerant, solum repraesentativum Ecclesiae apud illos institutum sit, videatur n: 4281. 4288. 4289. 4290. 4293. 4307. 4314. 4316. 4317. 4229. 4433. 4444.

4501. Et Chamorem et Schechemum ad os gladii, quod significet ipsam Ecclesiam, constat ex repraesentatione Chamoris, quod sit Ecclesia apud Antiquos quoad bonum, de qua n: 4447; ex repraesentatione Schechemi, quod sit Ecclesia apud Antiquos quoad verum, de qua n: 4454. 4472. 4473; et ex significatione ad os gladii, quod sit falsum et malum pugnans, de qua n: 4499, ita per quae Ecclesiam apud se exstinxerunt.

4502. Et sumserunt Dinam e domo Schechemi, et exiverunt, quod significet quod affectionem veri sustulerint, constat ex repraesentatione Dinae, quod sit affectio veri de qua supra n: 4498; secundum proximum sensum internum est, quod sustulerint affectionem veri ab illis qui fuerunt a reliquiis Ecclesiae Antiquissimae, quia dicitur e domo Schechemi, per domum Schechemi enim significatur bonum veri alius Ecclesiae; sed quia agitur de exstirpatione veri et boni apud posteros ex Jacobo, qui hic per filios ejus significantur, et quia omnia se applicate habent ad rem de qua agitur, ideo per domum Schechemi hic significatur simpliciter bonum veri, quale fuerat apud hominem Antiquissimae Ecclesiae, ita quod hoc exstinctum sit apud gentem a Jacobo; voces enim et nomina in Verbi sensu

interno significant res praedicabiliter ad suum subjectum: insimul quoque significatur infractio boni et veri apud Chamorem et Schechemum, et ejus familiam, quia ad externa accesserunt, ut n: 4493 ostensum. Quod illa, quae de Schimeone et Levi hactenus explicata sunt, ita se habeant, constare potest a Propheticis Jacobi ante mortem, ubi haec „*Schimeon et Levi fratres, instrumenta violentiae machaerae eorum; in arcanum eorum ne veniat anima mea, in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in complacito suo enervarunt bovem: maledicta ira eorum quia vehemens, et furor eorum quia gravis est: dividam eos in Jacobum et dispergam eos in Israëlem*" Genes: XLIX: 5. 6. 7; per Schimeonem et Levi significatur verum fidei, quod apud posteros Jacobi versum est in falsum, et bonum charitatis in malum; ut supra n: 4499. 4500; fratres dicuntur, quia bonum est frater veri, seu charitas fidei, n: 4498; instrumenta violentiae macherae seu gladii eorum, significat falsa et mala quod intulerint violentiam veris et bonis, n: 4499; in arcanum eorum ne veniat anima mea, et in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, significat disjunctionem quoad vitam et doctrinam, anima enim praedicatur in Verbo de vita n: 1000. 1040. 1742. 3299, et gloria de doctrina; quia in ira sua occiderunt virum, et in complacito suo enervarunt bovem, significat quod in malo proposito exstinxerint Ecclesiae verum et Ecclesiae bonum, vir est Ecclesiae verum, n: 3134, bos ejus bonum, n: 2180. 2566. 2781; maledicta ira eorum quia vehemens, et furor eorum quia gravis, significat poenam aversionis a vero et bono, maledicere est se avertere, et quoque propter id puniri, n: 245. 379. 1423. 3530. 3584, ira est recessio a vero, et furor a bono, n: 357. 3614; dividam eos in Jacobum et dispergam eos in Israëlem, significat quod bona et vera non amplius erunt in Ecclesiae eorum externo ac interno, dividere et dispergere est separare et exstirpare ab illis, n: 4424, Jacob est externum Ecclesiae, ac Israël internum, n: 4286: haec in Prophetico illo de Schimeone et Levi dicta sunt, quia per illos significatur in genere verum et bonum Ecclesiae, quae cum nulla fiunt, et magis cum loco eorum succedunt falsa et mala, tunc Ecclesia extincta est; quod prophetica haec non aliud involvant, constare potest ex

eo, quod Tribus Schimeonis et Tribus Levi non maledictae fuerint prae reliquis Tribubus; fuit enim Tribus Levi assumpta in sacerdotium, et Tribus Schimeonis fuit inter reliquas Israëlis sicut una illarum.

4503. Filii Jacobi venerunt super confossos et depraedati urbem, quod significet quod omnis illa posteritas doctrinam destruxerint, constat ex significatione filiorum Jacobi quod sint posteritas ex Jacobo, de qua supra; ex significatione depraedari, quod sit destruere; et ex significatione urbis, quod sit doctrina quae Ecclesiae, de qua supra n: 4500. Quod Schimeon et Levi, postquam occiderant omnem masculum in urbe atque Chamorem et Schechemum, exiverint, et quod dein filii Jacobi venerint super confossos et depraedati urbem, est arcanum, quod non patet nisi ex sensu interno; arcanum hoc est, quod postquam verum et bonum Ecclesiae, quae per Schimeonem et Levi repraesentantur, exstincta sunt, et loco illorum fuit falsum et malum, dein superaddita sint falsa et mala, quae in opposito sensu per reliquos filios Jacobi significantur; quod per unumquemque filium Jacobi aliquod commune fidei et charitatis repraesentatum sit, n: 2129. 3858. 3913. 3926. 3939. 4060, ostensum est; quid per Rubenem, videatur n: 3861. 3866. 3870; quid per Jehudam, n: 3881; quid per Dan, n: 3921. 3922. 3923; quid per Naphtali, n: 3927. 3928; quid per Gad, n: 3934. 3935; [39] quid per Ascher, n: 3938. 3939; quid per Jisaschar, n: 3956. 3957; quid per Sebulun, n: 3960. 3961; communia haec fidei et charitatis, quae per illos repraesentata sunt, illius generis falsa et mala fiunt quando semel Ecclesiae verum et bonum exstincta sunt, et tunc illa superadduntur; nam falsa et mala continue in Ecclesia semel perversa et exstincta succrescunt; haec significantur per quod filii Jacobi venerint super confossos et depraedati urbem, postquam Schimeon et Levi occiderant omnem masculum in urbe, atque Chamorem et Schechemum, sustulerantque Dinam, et exiverant. Quod per Confossos in Verbo significentur vera et bona exstincta, constare potest ab his locis; apud Esaiam „Tu projectus es e sepulchro tuo, sicut surculus abominabilis, vestimentum occisorum *confossi gladio*, descendentes ad lapides foveae, sicut cadaver conculcatum," XIV: 19; ubi de Babele;

confossi gladio pro illis qui prophanarunt vera Ecclesiae. Apud Eundem „ Ita [40] ut *Confossi eorum* projiciantur, et cadaverum eorum ascendat putor, " XXXIV: 3; ubi de falsis et malis quae infestant Ecclesiam, confossi pro illis. Apud Ezechielem „ Violenti gentium evaginabunt *gladium* super pulchritudinem sapientiae tuae, et prophanabunt decorem tuum; in foveam demittent te, et *morieris mortibus Confossorum* in medio marium " XXVIII: 7. 8, [41] ubi de principe Tyri, per quem primaria cognitionum veri et boni significantur; mori mortibus confossorum in medio marium, pro illis qui per scientifica excludunt falsa, et inde Ecclesiae vera conspurcant. Apud Eundem „ Etiam hi cum illis descendent in infernum ad *confossos gladio;* cum descendere factus fueris cum arboribus Edenis in terram inferiorum, in medio praeputiatorum cubueris cum *Confossis gladio,* " XXXI: 17. 18: apud Eundem „ Descende et cuba cum praeputiatis, in medio *Confossorum gladio* cadent; alloquentur eum praecipui potentium in medio inferni, " XXXII: 19. 20. 21; ibi de Pharaone et Aegypto; confossi gladio pro illis qui per scientias insaniunt, fidem veri, quod est Ecclesiae, per illas apud se exstinguendo. Apud Davidem „ Reputatus sum cum descendentibus foveam, factus sum sicut vir non robur, inter mortuos neglectus, sicut *Confossi* cubantes in sepulchro, quorum non meministi amplius, et qui a manu tua excisi sunt, " Psalm: LXXXVIII: 5. 6, confossi in inferno, in fovea et in sepulchro pro illis qui vera et bona destruxerunt apud se per falsa et mala; quod in inferno non sint quia confossi gladio, quisque scire potest. Apud Esaiam „ Urbs tumultuum, urbs exsultans, *non confossi gladio,* et non occisi bello, omnes qui inventi sunt in te vincti una, e longinquo fugerunt, " XXII: 2. 3; ibi de fallaciis ex sensualibus, per quas vera Ecclesiae non videri possunt, de quibus ideo in dubio negativo sunt, illi dicuntur confossi sed non gladio. Apud Ezechielem „ Ego adducens super te *gladium,* et perdens excelsa vestra, et destruentur altaria vestra, et frangentur statuae vestrae, et faciam cubare *Confossos vestros* coram idolis vestris; cum ceciderint *Confossi* in medio vestri, cognoscetis quod Ego Jehovah: tunc agnoscetis, cum fuerint *Confossi* in medio idolorum eorum, circum altare eorum, " VI: 4. 7. 13; Confossi pro illis qui in falsis doctrinae sunt. Apud Eun-

dem „Polluite Domum, et implete atria *Confossis:* exiverunt et percusserunt in urbe,“ IX: 7; visio prophetica; polluere domum et implere atria confossis pro prophanare bona et vera. Apud Eundem „Multiplicastis *Confossos vestros* in urbe hac, et implevistis plateas ejus *Confosso*, quapropter dixit Dominus Jehovih, *Confossi vestri,* quos posuistis in medio ejus, hi caro, et illa olla, et vos educet e medio ejus,“ XI: 6. 7. Quia per Confossos significabantur illi, qui apud se exstinxerunt vera Ecclesiae per falsa et mala, ideo quoque in Ecclesia repraesentativa illi qui tetigerunt Confossum, immundi erant, de quibus ita apud Mosen „Omnis qui tetigerit super superficie agri *Confossum gladio,* aut mortuum, aut os hominis, aut sepulchrum, immundus erit septem dies,“ Num: XIX: 16. 18. et ideo inquisitio et expiatio per vitulam, apud Eundem „Si invenitur *Confossus jacens* in agro, nec scitur quis percusserit eum, tunc exibunt seniores urbis et judices, et metientur versus urbes quae circa *Confossum;* fiet, ad urbem proximam *Confosso* sument seniores urbis illius vitulam bovis, per quam labor non factus, quae non traxit in jugo, et deducent ad fluvium seu vallem, et decollabunt ibi vitulam, et lavabunt manus suas super vitula decollata, et dicent, manus nostrae non fuderunt sanguinem, et oculi nostri non viderunt; expia populo tuo, Israëli, Jehovah, nec da sanguinem innocentem in medio populi tui; et expiabitur illis sanguis,“ Deut: XXI: 1 ad 8; quod illae leges latae sint, quia per Confossum significatur perversio, destructio et prophanatio veri Ecclesiae per falsum et malum, patet ex singulis in sensu interno; confossus jacens in agro dicitur, quia per agrum significatur Ecclesia, videatur n: 2971. 3310. 3766, per vitulam, per quam labor non factus, significatur innocentia externi hominis quae est in ignorantia; si ex sensu interno illa non innotescerent, quisque miraturus esset, quod processus expiatorius talis mandatus fuisset.

4504. Quod polluerint sororem suam, quod significet quod verum fidei foedaverint, constat ex significatione polluere, quod sit foedare; et ex significatione sororis, quod sit verum, de qua n: 1495. 2508. 2524. 2556. 3386, hic verum fidei, quia per Dinam, quae hic soror, significatur affectio omnium fidei, n: 4427. Quod per quod Schechemus polluerit sororem illorum,

significetur quod illi foedaverint verum fidei, est quia per illam repraesentatur affectio verorum omnium, ita ipsa Ecclesia, n: 3963. 3964; et quia non data est a fratribus ejus Schechemo in mulierem, sed polluta apud illos remansit, ideo postea per illam repraesentabatur oppositum, sicut per fratres ejus, nempe affectio omnium falsorum, ita Ecclesia corrupta; inde est, quod per quod polluerint sororem suam, significetur quod verum fidei foedaverint.

4505. Greges illorum et armenta illorum, quod significet quod destruxerint bonum rationale et naturale, constat ex significatione gregum, quod sint bonum rationale, et ex significatione armentorum, quod sint bonum naturale, de quibus n: 2566.

4506. Et asinos illorum, quod significet vera inde, nempe ex bono naturali et rationali, constat ex significatione asinorum, tum filiorum asinae, ut et mulorum, quod sint vera naturalis et rationalis, de qua n: 2781.

4507. Et quicquid in urbe, et quicquid in agro sumserunt, quod significet omne verum et bonum Ecclesiae, constat ex significatione urbis, quod sit doctrinale, ita verum Ecclesiae, de qua n: 402. 2268. 2449. [29] 2712. 2943. 3216. 4492. 4493; et ex significatione agri, quod sit Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, de qua n: 2971. 3310. 3766. 4440. 4443; inde quicquid in urbe, et quicquid in agro, est omne verum et bonum Ecclesiae.

4508. Et omnes opes illorum, quod significet omnia scientifica quae sibi acquisiverunt, constat ex significatione opum, quod sint scientifica, ut constare potest a multis locis in Verbo; opes enim spirituales, ita in spirituali sensu intellectae, non aliud sunt, illae, quatenus sciuntur, scientifica sunt; haec in Regno Domini, proinde in Ecclesia, pro opibus sunt, quod ex Verbo, alibi, ex Divina Domini Misericordia, confirmabitur.

4509. Et omnem infantem illorum, quod significet omnem innocentiam, constat ex significatione infantis, quod sit innocentia, de qua n: 430. 2126. 3183.

4510. Et foeminas illorum, quod significet charitatem, constat ex significatione foeminarum, mulierum, et uxorum, quod sint affectiones veri et affectiones boni, affectiones veri

cum conjux nominatur et cum maritus vocatur, affectiones boni cum conjux non nominatur et cum vir dicitur, n: 915. 1468. 2517. 3236; hic affectiones boni, quia foeminae fuerunt virorum urbis, per quos vera significabantur, n: 4478 f; et urbs dicitur ubivis Schechemi, per quem verum Ecclesiae apud Antiquos, repraesentabatur, n: 4454: affectio boni spiritualis est idem ac charitas, idcirco hic per foeminas significatur Charitas.

4511. Captivarunt et depraedati, quod significet quod deprivaverint illos, et perverterint, constat ex serie rerum in sensu interno.

4512. Et omne quod in domo, quod significet omne Ecclesiae, constat ex significatione domus, quod sit Ecclesia quoad bonum, de qua n: 1795. 3720; ita omne Ecclesiae; quia hoc significatur, ultimo dicitur.

4513. Vers: 30. 31. *Et dixit Jacob ad Schimeon et ad Levi, perturbastis me, ad foetere faciendum me habitatori terrae Cananaeo et Perisaeo, et ego mortales numeri; et congregabuntur super me, et percutient me, et perdar ego et domus mea. Et dixerunt, an sicut meretricem faciet sororem nostram.* Dixit Jacob, significat Antiquam Ecclesiam Externam: ad Schimeon et Levi, significat repraesentativum spiritualium et coelestium: perturbastis me, ad foetere faciendum me habitatori terrae, significat quod abominarentur illi qui ab Ecclesia Antiqua: Cananaeo et Perisaeo, significat qui in bono et vero: et ego mortales numeri, significat quod facile: et congregabuntur super me, et percutient me, et perdar, significat quod sic pereat Ecclesia Antiqua: ego et domus mea, significat quoad verum et bonum: et dixerunt, significat responsum: an sicut meretricem faciet sororem nostram, significat quod nulla illis affectio.

4514. Dixit Jacob, quod significet antiquam Ecclesiam externam, constat a repraesentatione Jacobi, quod sit Antiqua Ecclesia, de qua n: 4439; et quia Ecclesia Antiqua, sicut unaquaevis Ecclesia, est Externa et Interna, per Jacobum in Verbo repraesentatur Externa, et per Israëlem Interna.

4515. Ad Schimeon et Levi, quod significet repraesentativum spiritualium et coelestium, constat a repraesentatione Schimeonis, quod sit fides, at in opposito sensu falsum, et a repraesentatione Levi, quod sit amor, at in opposito sensu malum,

de quibus supra n: 4497. 4502. 4503; hic ideo repraesentativum spiritualium et coelestium, ex causa, quia illa quae fidei sunt vocantur spiritualia, et quae amoris coelestia: dicitur quod Schimeon et Levi significent repraesentativum illorum, quia repraesentare illa non est esse illa; repraesentationes enim non spectant personam sed rem, n: 665. 1097 f; ita quod perinde fuerit, qualis persona repraesentavit, n: 3670; quod repraesentativum Ecclesiae apud posteros Jacobi institui potuerit, qualescunque essent, modo in externa forma stricte observavissent statuta, n: 3147. 4208. 4281. 4292. 4307. 4444; inde est quod per Schimeonem et Levi hic significetur repraesentativum spiritualium et coelestium.

4516. Perturbastis me ad foetere faciendum me habitatori terrae, quod significet quod abominarentur illi qui ab Ecclesia Antiqua, constat a significatione perturbare me ad foetere faciendum me, quod sit facere ut abominentur; et ex significatione habitatoris terrae, quod hic sint illi qui ab Ecclesia Antiqua; per terram enim significatur Ecclesia, n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4447, ita per habitatorem terrae illi qui ab Ecclesia, hic ab Ecclesia Antiqua, quia haec adhuc apud aliquas gentes in terra Canaane perstabat; apud populum e Jacobo non prius institutum fuit repraesentativum Ecclesiae, quam cum Antiqua illa prorsus periit; quod etiam significatur per id, quod posteri ex Jacobo non prius in terram Canaanem admissi fuerint, quam cum consummata est iniquitas habitatorum terrae, sicuti dicitur Gen: XV: 16; non enim prius aliqua nova Ecclesia instauratur, quam cum prior vastata est.

4517. Cananaeo et Perisaeo, quod significet qui in bono et vero, constat ex significatione Cananaei, quod hic sint qui in Ecclesiae bono, et Perisaei qui in Ecclesiae vero; quod Cananaeus et Perisaeus illa significent, est quia adhuc ibi apud illos erat Antiqua Ecclesia, ut mox supra n: 4516, dictum; fuerunt enim ibi qui ab Antiquissima Ecclesia, videatur n: 4447. 4454; et fuerunt qui ab Antiqua, imprimis ab illa quae Ecclesia Hebraea dicta est, quapropter illi qui e terra Canaane fuerunt, in genere vocati sunt Hebraei, Gen: XL: 15, et quoque habuerunt altaria et sacrificabant, ideo, postquam idololatrae facti

sunt, toties mandatum ut altaria eorum destruerentur; quamdiu itaque Ecclesia aut aliquid Ecclesiae apud illos remansit, per Cananaeum significatur Ecclesiae bonum, et per Perisaeum Ecclesiae verum; at cum omne Ecclesiae apud illos consummatum erat, tunc per Cananaeum significabatur malum, et per Perisaeum falsum, n: 1573. 1574.

4518. Et ego mortales numeri, quod significet quod facile, constat ex significatione mortalium numeri, quod sint pauci; at cum quale loco quanti in sensu interno secundum seriem intelligitur, tunc significatur facile; nam pauci, cum contra illos congregantur multi, ut sequitur, facile perduntur.

4519. Et congregabuntur super me, et percutient me, et perdar, quod significet quod sic pereat Ecclesia Antiqua, constat ex significatione congregari, percuti, et perdi, quod sit perire; quod sit Ecclesia Antiqua, est quia de se et sua domo haec Jacob dicit; quod Jacob hic sit Ecclesia Antiqua, videatur supra n: 4514.

4520. Ego et domus mea, quod sit quoad verum et bonum, constat ex repraesentatione Jacobi, qui hic est ego, quod sit Ecclesia, in specie Ecclesia quoad verum, concludi potest ab illis quae de Jacobi repraesentatione n: 3305. 3509. 3525. 3546. [41] 3576. 3599. 3775. 4234. 4337, ostensa sunt, quod nempe repraesentet Dominum quoad Divinum Verum Naturale; cum repraesentationibus ita se habet, qui in supremo sensu repraesentat Dominum quoad Divinum Verum Naturalis, idem etiam repraesentat Regnum Domini quoad Divinum Verum ibi, consequenter Ecclesiam quoad verum, nam illa correspondent; omne enim Verum est Domini in Regno et in Ecclesia Ipsius: et ex significatione domus, quod sit Ecclesia quoad bonum, de qua n: 2233. 2234. 3720.

4521. Et dixerunt, quod significet responsum, constat absque explicatione.

4522. An sicut meretricem faciet sororem nostram, quod significet propter quod nulla illis affectio, constare potest ex repraesentatione Dinae, postquam polluta est seu meretrix facta, quod sit affectio falsorum, ita Ecclesia corrupta, de qua n: 4504, proinde amplius nulla illis affectio veri; ibi etiam videatur quomodo hoc se habet

---

Continuatio de Correspondentia Oculi et Lucis cum Maximo Homine.

4523. *Quisque qui de Aëre et Sono aliquid novit, scire potest quod Auris prorsus formata sit ad eorum modificationum naturam, ita quod Auris quoad suum corporeum et materiale illis correspondeat; et qui de aethere ac de luce aliquid scientiae hausit, novit quod Oculus quoad suum corporeum et materiale illorum modificationibus correspondenter formatus sit; et hoc usque adeo, ut quicquid arcani in natura aëris et soni reconditum est, hoc inscriptum sit organismo auris, et quicquid arcani in natura aetheris et lucis, hoc in organismo Oculi sit; consequenter qui in Anatomicis et simul physicis peritus est, per indagationes scire potest, quod non modo Organa sensoria, sed etiam motoria, ut et omnia viscera, quoad illorum corporea et materialia correspondeant illis quae in natura mundi sunt, et sic quod totum Corpus sit Organum compositum ex omnium arcanissimis quae in natura mundi sunt, et secundum eorum secretas agendi vires et mirabiles fluendi modos: inde est, quod homo ab Antiquis dictus sit parvulus mundus seu Microcosmus. Qui haec novit, etiam nosse potest, quod quicquid in mundo et ejus natura est, non existat a se, sed a priori se, et quod hoc prius non possit existere a se, sed a priori se, et hoc usque ad Primum, a Quo ordine existent sequentia; et quia inde existunt etiam inde subsistunt, nam subsistentia est perpetua existentia; inde sequitur, quod omnia et singula usque ad ultima naturae, a Primo non solum exstiterint, sed etiam a Primo subsistant; nisi enim perpetuo exsisterent, et nisi nexus continuus foret a Primo, et sic cum Primo, momento dilaberentur et perirent.*

4524. *Nunc quia omnia et singula quae in mundo et ejus natura sunt, existunt et perpetuo existunt, hoc est, subsistunt, a se prioribus, sequitur quod existant et subsistant a Mundo qui est supra naturam, qui Mundus Spiritualis vocatur, cum quo quia continuus nexus erit, ut subsistant seu perpetuo existant, sequitur quod puriora seu interiora, quae in natura,*

consequenter quae in homine, sint exinde; tum quod puriora seu interiora tales formae sint, quae recipere possunt influxum: et quia non dari potest, nisi quam unicus fons vitae, sicut in natura non nisi quam unicus fons lucis et caloris, constat quod omne vitae sit a Domino, Qui est Primum vitae; et quia ita, quod omnia et singula, quae in mundo spirituali sunt, Ipsi correspondeant, proinde omnia et singula quae in homine, hic enim est in minima effigie parvulus mundus spiritualis; inde etiam spiritualis homo est imago Domini.

4525. *Ex his patet, quod imprimis apud hominem omnium correspondentia sit cum mundo spirituali, et quod absque illa Correspondentia ne quidem momento subsistere possit, nam absque Correspondentia nihil continuum foret ab Ipso Esse vitae, hoc est, a Domino, ita inconnexum, et inconnexum sicut nullum dissipatur. Quod Correspondentia apud hominem immediatior et inde strictior sit, est quia creatus est ad sibi applicandam vitam a Domino, et inde in potentiam, ut quoad cogitationes et quoad affectiones a Domino elevari possit supra mundum naturalem, et inde cogitare de Deo et affici Divino, et sic conjungi Ipsi; secus ac Animantia terrae; et qui ita conjungi possunt Divino, illi non moriuntur, quando corporea, quae sunt mundi, separantur, interiora enim conjuncta manent.*

4526. *Quod Correspondentiam visus qui Oculi, de qua ad finem Capitis praecedentis inchoatum est, ulterius attinet, sciendum quod Correspondentia ejus sit cum illis quae sunt Intellectus, nam intellectus est visus internus, et visus hic internus est in Luce quae supra lucem mundi est; quod homo per illa quae ei apparent in luce mundi, possit intelligentiam sibi comparare, est quia lux superior, seu lux coeli, influit in objecta quae sunt ex luce mundi, et facit ut appareant repraesentative et correspondenter; Lux enim quae est supra lucem mundi, est quae procedit a Domino, Qui illuminat universum coelum, ipsa intelligentia et sapientia quae a Domino, apparet ibi ut Lux; haec Lux est, quae facit intellectum seu visum internum hominis, cum illa per intellectum influit in objecta quae sunt ex luce mundi, facit ut appareant repraesentative et correspondenter, ac ita intellectualiter. Et*

quia Visus oculi qui est in mundo naturali, correspondet visui intellectus qui est in mundo spirituali, correspondet ille veris fidei, nam haec sunt genuini intellectus, vera enim faciunt omnem intellectum hominis, nam omne cogitationis versatur circa id, quod ita sit vel quod non ita sit, hoc est, quod verum vel non verum: quod visus oculi correspondeat veris et bonis fidei, videatur supra n: 4410.

4527. *Loquutus sum cum aliquibus post paucos dies postquam decesserunt, et quia tunc recentes, in aliqua luce ibi erant, quae illis parum differebat a luce mundi, et quia lux illis talis apparuit, dubitabant an aliunde illis lux esset, quapropter sublati sunt in primum coeli, ubi lux adhuc illustrior erat, et inde mecum loquuti, dicebant, quod nusquam talem lucem viderint; et hoc factum cum sol jamdudum occubuerat: mirati tunc, quod Spiritus oculos haberent per quos viderent, cum tamen crediderint in vita corporis, quod spirituum vita modo esset Cogitatio, et quidem abstracte absque subjecto, ex causa quia de aliquo subjecto cogitationis non potuerant cogitare quia illud non viderant, et quia ita, non aliter tunc perceperant, quam quia sola cogitatio, quod illa cum corpore in quo esset, dissiparetur, non secus ac aliqua aura, vel aliquis ignis, si non miraculose a Domino contineretur et subsisteret; et viderunt tunc quam facile eruditi in errorem de vita post mortem cadant, et quod illi prae aliis non credant nisi quae vident; mirati itaque tunc, quod non modo cogitationem haberent, sed etiam visum, et quoque reliquos sensus; et magis quod appareant sibi prorsus sicut homines, se mutuo videant, audiant, colloquantur, sua membra tactu sentiant, et hoc exquisitius quam in vita corporis; inde obstupuerunt, quod homo cum vivit in mundo, hoc prorsus ignoret; et miserti Generis humani, quod nihil sciat de talibus, quia nihil credant, et prae reliquis illi qui in luce prae aliis sunt, nempe qui intra Ecclesiam sunt, et habent Verbum. Quidam eorum non aliter crediderunt, quam quod homines post mortem forent sicut larvae, in qua opinione confirmarunt se ex spectris de quibus audiverunt; sed inde non aliud concluserunt, quam quod fuerit aliquod crasse vitale, quod primum exhalatur a vita corporis, sed quod iterum recidit ad cadaver, et sic exstinguitur. Qui-*

dam autem crediderunt, quod primum resurrecturi tempore ultimi judicii cum interiturus mundus, et tunc cum corpore, quod in pulverem dilapsum tunc colligeretur; et sic resurgerent osse et carne; et quia ultimum illud judicium seu interitum mundi per plura saecula frustra exspectaverunt, lapsi sunt in errorem, quod nusquam resurrecturi; nihil tunc cogitantes de eo quod ex Verbo didicerunt, et ex quo etiam quandoque ita loquuti sunt, quod cum moritur homo, anima ejus sit in manu Dei, inter felices aut infelices secundum vitam quam sibi notam habuerunt, nec de illis, quae Dominus dixit de Divite et Lazaro; sed instructi sunt, quod ultimum cujusvis judicium sit cum moritur, et quod tunc appareat sibi corpore praeditus sicut in mundo, ac omni sensu pollere sicut ibi, sed puriori et exquisitiori, quia corporea non obstant, et illa quae sunt lucis mundi non obumbrant illa quae sunt lucis coeli; ita quod in corpore sint quasi purificato; et quod ibi nusquam circumferre posset corpus osseum et carneum quale in mundo, quia hoc foret pulvere terrestri rursus circumdari. Cum quibusdam de hac re loquutus sum eodem die cum tumularentur corpora eorum, qui viderunt per meos oculos cadaver suum, lecticam, et quod sepelirentur; et dicebant, quod rejiciant illud, et quod hoc inservíverat illis pro usibus in mundo in quo fuerunt, et quod vivant nunc in corpore quod inservit illis pro usibus in mundo in quo nunc sunt: voluerunt etiam, ut dicerem illa ad propinquos eorum qui in luctu erant, sed respondere datum, quod si dicerem, subsannarent, quia quae non ipsi oculis suis videre possunt, nihil esse credunt, et sic referrent inter visiones quae sunt illusiones; adduci enim nequeunt ad credendum, quod sicut homines se mutuo vident suis oculis, spiritus se mutuo videant suis; et quod homo non videre possit Spiritus nisi oculis sui spiritus, et quod tunc illos videat cum Dominus aperit visum internum, sicut factum Prophetis, qui Spiritus et Angelos, et quoque plura coeli, viderunt; num illi qui hodie vivunt, illa credidissent, si eo tempore vixissent, dubitandi locus est.

4528. *Oculus seu potius visus ejus correspondet imprimis illis societatibus in altera vita, quae in Paradisiacis sunt, quae supra antrorsum paulisper ad dextrum apparent, ubi ad vi-*

vum sistuntur videndi horti cum arboribus et floribus tot generum et specierum, ut pauca sint respective quae in universa tellure; in singulis ibi objectis est aliquid intelligentiae et sapientiae, quod elucet, sic ut dicas quod sint simul in paradisis intelligentiae et sapientiae, haec sunt quae ab interioribus illos, qui ibi, afficiunt, et sic non solum laetificant visum, sed etiam simul intellectum. Paradisiaca illa sunt in Primo coelo, et in ipso limine ad interiora illius coeli, et sunt repraesentativa, quae e superiori coelo descendunt, cum angeli superioris coeli intellectualiter de veris fidei apud se loquuntur; loquela angelorum ibi fit per ideas spirituales et coelestes, quae illis sunt formae vocum, et continue per series repraesentationum talis pulchritudinis et amoenitatis, ut nullatenus exprimi possit; hae pulchritudines et amoenitates sermonis illorum sunt, quae ut Paradisiaca repraesentantur in coelo inferiori: Coelum hoc distinctum est in plures coelos, quibus correspondent singula quae in Cameris oculi; est coelum ubi horti paradisiaci, de quibus dictum; est coelum ubi atmosphaerae diversicolores, ubi universa aura fulgurat quasi ex auro, argento, margaritis, lapidibus pretiosis, floribus in minimis formis, et innumerabilibus aliis; est coelum irideum, ubi irides pulcherrimae, magnae et parvae, variegatae splendidissimis coloribus: singula haec existunt per Lucem quae a Domino, in qua intelligentia et sapientia, inde est in singulis objectis ibi aliquid intelligentiae veri et sapientiae boni, quod repraesentative ita sistitur. Qui non aliquam ideam de Coelo habuerunt, nec de Luce ibi, illi aegre possunt adduci ad credendum, quod talia ibi sint; quare qui in alteram vitam secum illam incredulitatem ferunt, si in vero et bono fidei fuerunt, auferuntur ab Angelis in illa, et cum vident illa, obstupescunt; de Paradisiacis, Atmosphaeris et Irideis, videantur quae prius ab experientia, n: **1619** *ad* **1626. 2296. 3220**; *et quod in coelis continuae repraesentationes sint, n:* **1807. 1808. 1971. 1980. 1981. 2299. 2763. 3213. [42] 3216. 3217. 3218. 3222. 3350. 3475. 3485.**

4529. *Quidam qui in orbe erudito inclytus et famigeratus propter peritiam in scientia Botanica, postquam obiit, in altera vita audivit, quod ibi quoque sistantur videndi [43] flores et arbores; ad id obstupuit; et quia id jucundum ejus vitae*

fuerat, accensus est desiderio videndi num ita sit; quare sublatus in Paradisiaca vidit arboreta pulcherrima et floreta amoenissima in immensum extensa; et quia tunc in sui jucundi ex affectione ardorem venit, licuit illi pervagari campum, et non solum singillatim videre illa, sed etiam excerpere et ad oculum admovere, et perscrutari num ita se res haberet; ille mecum inde loquutus, etiam dixit, quod hoc nusquam crediderit, et quod si talia in mundo audivissent, inter paradoxa referrent; et porro referebat, quod ibi conspiciantur vegetabiles flores immensa copia, qui nusquam visi in mundo, et vix aliqua perceptione ibi comprehensibiles, et quod singula ex splendore incomprehensibili rutilent, quia sunt ex luce coeli; quod rutilatio ex spirituali origine esset, nondum potuit percipere, nempe quod in singulis aliquid intelligentiae et sapientiae, quae veri et boni, ex quibus illis rutilum: dicebat amplius, quod homines telluris nullatenus hoc credituri, ex causa quia pauci sunt, qui credunt quod aliquod coelum et infernum sit, et qui credunt sciant modo quod in coelo gaudium, et pauci inter illos, quod ibi sint talia, quae oculus nusquam viderat, auris nusquam audiverat, et mens nusquam cogitare potuerat; et hoc tametsi ex Verbo sciunt, quod stupenda visa sint Prophetis, sicut plura Johanni, de quibus in Apocalypsi; quae tamen non aliud fuerunt quam repraesentativa quae continue existunt in Coelo, et quae apparuerunt cum visus internus ei apertus fuit. Sed haec sunt respective levia, qui in ipsa intelligentia et sapientia sunt, ex quibus illa, in tali felicitatis statu sunt, ut illa quae memorata, sint illis inter leviora: quidam etiam, qui [44] *dixerunt cum in Paradisiacis essent, quod excedant omnem felicitatis gradum, ideo magis versus dextrum sublati in coelum, quod adhuc splendidius coruscabat, et tandem ad illud ubi quoque perceptum intelligentiae et sapientiae beatum quod in talibus, et tunc cum ibi essent, etiam mecum loquuti dicebant, quod illa quae prius viderant respective nauci sint; et tandem ad id coelum, ubi prae interioris affectionis fausto vix possent subsistere, nam faustum penetravit ad Medullaria, quibus prae fausto quasi resolutis in sanctum deliquium labi incipiebant.*

4530. *Colores etiam visuntur in altera vita, qui splen-*

dore et fulgore excedunt in tantum nitorem Colorum in mundo, ut vix aliqua comparatio detur; sunt illi ex variegatione lucis et umbrae ibi; et quia ibi est intelligentia et sapientia a Domino, quae sicut lux apparet coram oculis Angelorum et Spirituum, ac simul intus illuminat eorum intellectum, sunt colores ibi in sua essentia variationes, aut, ut ita dicatur, modificationes intelligentiae et sapientiae: colores ibi, non solum quibus decorantur flores, illustrantur atmosphaerae, et variantur irides, sed etiam qui in formis aliis discreti sistuntur, toties mihi visi sunt, ut vices vix numerari possint; splendor illis est ex vero quod est intelligentiae, et fulgur ex bono quod est sapientiae, et ipsi colores ex candido et obscuro eorum; ita ex luce et umbra sicut colorationes in mundo. Inde est, quod Colores qui in Verbo memorantur, ut qui fuerunt lapidum pretiosorum in pectorali Aharonis, ac super vestibus sanctitatis ejus; quique in Aulaeis tentorii, ubi Arca, et qui in lapidibus fundamenti Novae Hierosolymae, de quibus apud Johannem in Apocalypsi, et alibi, repraesentaverint talia quae intelligentiae et sapientiae sunt: quid autem singuli repraesentant, ex Divina Domini Misericordia, in explicationibus dicetur: in genere colores ibi quantum splendoris habent et ex candido trahunt, tantum ex vero quod est intelligentiae, et quantum fulguris habent et ex purpureo trahunt, tantum ex bono quod est sapientiae: illi qui inde ducunt originem, etiam ad oculorum provincias pertinent.

4531. *Quia Intelligentia et Sapientia a Domino est, quae sicut lux apparet in Coelo, inde Angeli vocantur Angeli lucis, ita insipientia et insania quae a proprio, est quae regnat [in] inferno, inde qui ibi dicuntur a tenebris; in inferno quidem non sunt tenebrae, sed est ibi lumen obscurum, sicut id quod est ex igne carbonario, in quo se mutuo vident; alioquin non vivere potuissent: oritur illis hoc lumen ex luce coeli, quae cum incidit in Vesanias eorum, hoc est, in falsitates et cupiditates, vertitur in tale: Dominus cum luce ubivis praesens est, etiam in infernis, alioquin non illis foret aliqua facultas cogitandi et inde loquendi; sed fit lux secundum receptionem. Hoc lumen est, quod in Verbo vocatur umbra mortis, et comparatur tenebris; vertitur etiam illis in tenebras, cum approximant ad lu-*

cem coeli, et cum in tenebris sunt, in fatuitate et stupiditate sunt. Inde constare potest, quod sicut Lux correspondet Vero, ita tenebrae correspondeant falso; et quod qui in falsis sunt, dicantur in caecitate esse.

4532. *Qui credunt se ex semet intelligere bonum et verum, ac inde sibi solis fidunt, ac sic se sapientiores omnibus putant, cum tamen in ignorantia boni et veri sunt, praecipue qui non intelligere bonum et verum volunt, ac inde in falsis sunt, in altera vita quandoque mittuntur in statum tenebrarum, in quo cum sunt, loquuntur fatue, sunt enim in stupiditate; dictum mihi, quod plures tales sint, et inter eos, qui crediderunt se in maxima luce constitutos, et quoque tales apparuerunt aliis.*

4533. *Inter mirabilia quae in altera vita existunt, etiam hoc est, quod cum Angeli coeli inspiciunt in malos spiritus, hi prorsus aliter appareant, quam prout apparent inter se. Cum mali spiritus et genii inter se sunt, ac in lumine suo fatuo, quale ex igne carbonario, ut dictum, tunc apparent sibi in forma humana, et quoque secundum phantasias suas non impulchra; ast cum iidem inspiciuntur ab Angelis coeli, tunc dissipatur actutum lumen illud, et comparent prorsus alia facie, quisque secundum genium suum, quidam furvi et nigri sicut diaboli, quidam facie lurida sicut cadavera, quidam paene absque facie, et loco ejus crinitum quid, quidam sicut dentium crates, quidam sicut sceleta; et quod mirabilius, quidam sicut monstra, dolosi sicut serpentes, et dolosissimi sicut viperae, et alii aliter: Sed [ut] primum Angeli removent ab illis visum suum, apparent in sua forma priore, quam in suo lumine habent. Angeli toties inspectant malos, quoties animadvertunt, quod ex infernis suis enitantur in mundum spirituum, et aliis malum intentent; inde deteguntur et rejiciuntur. Causa quod visui Angelico talis efficacia insit, est quia Correspondentia est inter visum intellectualem et ocularem, inde inest visui eorum perspicacia, ex qua dissipatur lumen infernale, et apparent quali forma et genio sunt.*

4534. *Continuatio de Maximo Homine et correspondentia ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

4535. Ante Capita quae praecedunt a Cap: XXVI huc usque, explicata sunt, quae Dominus praedixerat de Adventu Ipsius, seu de CONSUMMATIONE SAECULI, et aliquoties ibi ostensum, quod per Adventum Ipsius seu Consummationem [1] saeculi, significetur Ultimum Tempus Ecclesiae, quod in Verbo etiam Ultimum Judicium vocatur: qui non ultra sensum literalem vident, non aliter scire possunt, quam quod Ultimum Judicium sit Interitus Mundi, hoc imprimis ex Apocalypsi, ubi dicitur „quod viderit *Coelum novum* et *Terram novam; prior enim Coelum et prior terra transiit;* et mare non erat amplius: insuper quod viderit Civitatem Sanctam Hierosolymam novam descendentem a Deo e coelo," XXI: 1. 2: Et quoque ex Propheticis Esaiae, ubi similia „Ecce ego *creans Coelos novos* et *Terram novam;* ideo non commemorabuntur priora, nec ascendent super cor: laetamini et exultate in aeternum, quae Ego creans: ecce Ego creaturus Hierosolymam exultationem, et populum ejus laetitiam," LXV: 17. 18. Cap: LXVI: 22. Qui non ultra sensum literalem vident, non aliter capiunt, quam quod universum Coelum cum Tellure hac in nihilum casurum, et quod tunc primum resurrecturi mortui, et in novo coelo ac super nova terra habitaturi; sed quod Verbum hic non ita intelligendum sit, constare potest a pluribus aliis locis in Verbo, ubi Coeli et Terra nominantur: qui de sensu interno aliquam fidem habent, ii manifeste videre possunt, quod per Novum Coelum et Novam Terram intelligatur Nova Ecclesia, quae succedet cum prior transit, videatur n: 1733. 1850. 3355, et quod Coelum sit Internum ejus, et Terra Externum. Ultimum hoc Tempus Eccle-

siae prioris, et Primum Ecclesiae Novae, est quod etiam vocatur Consummatio saeculi, de qua Dominus apud Matthaeum Cap: XXIV loquutus est, et Adventus Ipsius, nam tunc recedit Dominus a priore Ecclesia, et venit ad novam: quod Consummatio saeculi illud sit, etiam ab aliis locis in Verbo constare potest; ut apud Esaiam „In die illo reliquiae revertentur, reliquiae Jacobi ad Deum potentem; nam etsi fuerit populus tuus Israël sicut arena maris, reliquiae revertentur ex eo; *Consummatio definita*, inundata justitia; nam *Consummationem* et *Definitionem* Dominus Jehovih Zebaoth faciens in *tota Terra*," X: 21. 22. 23. Apud Eundem „Nunc ne irrideatis, ne forte invalescant punitiones vestrae, quia *Consummationem* et *Decisionem* audivi a-cum Domino Jehovih Zebaoth *super Universam Terram*," XXVIII: 22. Apud Jeremiam „Sic dixit Jehovah, vastitas erit *tota Terra*, *Consummationem* tamen non faciam," IV: 27. Apud Zephaniam „In angustias redigam homines, et ibunt sicut caeci ejus, quia Jehovae peccarunt, et effundetur sanguis eorum sicut pulvis, et caro eorum sicut stercus, quia Jehovah *Consummationem* et quidem festinatam faciet *cum omnibus habitatoribus Terrae*," I: 17. 18: quod Consummatio ibi sit Ultimum Tempus Ecclesiae, et quod Terra sit Ecclesia, a singulis patet: quod Terra sit Ecclesia, est inde, quia Terra Canaan fuit Terra, ubi ab Antiquissimis temporibus Ecclesia, ac dein apud posteros Jacobi repraesentativum Ecclesiae; haec Terra cum dicitur consummata, non est Gens ibi quae intelligitur, sed est sanctum cultus quod apud Gentem ubi Ecclesia; Verbum enim est spirituale, et ipsa terra non est spirituale, nec gens quae ibi, sed id quod est Ecclesiae: quod Terra Canaan fuerit Terra ubi ab Antiquissimis temporibus Ecclesia, videatur n: 567. 3686. 4447. 4454. 4516. 4517; et quia ita, quod per Terram in Verbo significetur Ecclesia, n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 3355. 4447; inde patet, quid apud Esaiam intelligitur per Consummationem facere in tota terra; et apud Zephaniam, per Consummationem festinatam cum omnibus habitatoribus terrae; quod Gens Judaica, quae fuit habitator terrae illius, non consummata sit, sed quod sanctum cultus apud illos, notum est. Quod Consummatio id sit, manifestius adhuc constat apud Danielem „Septimanae septuaginta decisae sunt

super populum tuum, et super urbem sanctitatis tuam, ad *consummandum* praevaricationem, et ad obsignandum peccata, et ad expiandum iniquitatem, et ad adducendum justitiam saeculi, et ad obsignandum visionem et prophetam, et ad ungendum sanctum sanctorum: in medio septimanae cessare faciet sacrificium et oblationem: tandem super avem desolationum desolatio, et usque ad *Consummationem* et *Decisionem*, stillabit super devastationem," IX: 24. 27. Inde nunc videre potest, quod per Consummationem saeculi, de qua Discipuli ad Dominum „Quodnam signum Tui Adventus et *Consummationis saeculi*," [Matth:] XXIV: 3, non aliud significetur, quam ultimum tempus Ecclesiae; et quoque per haec verba Domini, quae ultima sunt apud Eundem Evangelistam „Jesus ad discipulos; docentes servate omnia quaecunque mandavi vobis; et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad *Consummationem saeculi*," XXVIII: 20; quod dictum a Domino quod cum discipulis esset usque ad Consummationem saeculi, est quia per duodecim discipulos Domini significantur similia quae per duodecim Tribus Israëlis, nempe omnia amoris et fidei, proinde omnia Ecclesiae, videatur n: 3354. 3488. 3858; quod per duodecim Tribus, n: 3858. 3926. 3939. 4060: quod Consummatio Ecclesiae sit, quando ibi nulla amplius charitas et inde nulla fides, prius aliquoties ostensum est: quod in hac Ecclesia, quae Christiana vocatur, vix aliquid charitatis et inde fidei supersit, ita quod Consummatio ejus saeculi nunc adsit, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, ostendetur.

CAPUT XXXV.

1. Et dixit DEUS ad Jacobum, surge, ascende Bethelem, et commorare ibi, et fac tibi altare DEO viso ad te, in fugiendo te coram Esau fratre tuo.

2. Et dixit Jacob ad domum suam, et ad omnes qui cum illo, removete deos alienigenae, qui in medio vestri, et purificemini, et mutate vestes vestras.

3. Et surgamus, et ascendamus Bethelem, et faciam ibi

altare Deo respondenti mihi in die angustiae meae, et fuit mecum in via, quam ambulavi.

4. Et dederunt ad Jacobum omnes deos alienigenae, qui in manu illorum, et inaures quae in auribus illorum, et abscondidit illa Jacob sub quercu quae juxta Schechem.

5. Et profecti sunt; et fuit terror Dei super urbes quae circumcirca illos, et non persequuti post filios Jacobi.

6. Et venit Jacob ad Lus, quae in terra Canaan, haec Bethel, ille et omnis populus qui cum illo.

7. Et aedificavit ibi altare, et vocavit locum El-Bethel, quia ibi revelati ad illum Dii, in fugiendo illo a coram fratre suo.

8. Et moriebatur Deborah nutrix Rebeccae, et sepeliebatur desubter Bethel sub quercu, et vocavit nomen ejus Allon Bacuth.

9. Et visus Deus ad Jacobum adhuc, in veniendo illo e Paddan Aram, et benedixit illi.

10. Et dixit illi Deus, nomen tuum Jacob, non vocabitur nomen tuum amplius Jacob, quin imo Israël erit nomen tuum; et vocavit nomen illius Israël.

11. Et dixit illi Deus, Ego Deus Schaddai, fructificare et multiplicare, gens et coetus gentium erit e te, et reges e lumbis tuis exibunt.

12. Et terram, quam dedi Abrahamo et Jischako, tibi dabo eam, et semini tuo post te dabo terram.

13. Et ascendit desuper eo Deus in loco quo loquutus cum illo.

14. Et statuit Jacobus statuam in loco, quo loquutus cum illo, statuam lapidis, et libavit super illam libamen, et fudit super illam oleum.

15. Et vocavit Jacob nomen loci, ubi loquutus cum illo Deus, Bethel.

16. Et profecti a Bethel, et fuit adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam, et peperit Rachel, et dura passa, in pariendo illam.

17. Et factum, in dura patiendo illam, in pariendo illam, et dixit illi obstetrix, ne timeas, quia etiam hic tibi filius.

18. Et factum, in exire animam illius quod moritura, et

vocavit nomen illius Benoni; et pater illius vocavit illum Benjamin.

19. Et moriebatur Rachel, et sepeliebatur in via Ephrath, haec Bethlechem.

20. Et statuit Jacob statuam super sepulchrum illius, haec statua sepulchri Rachelis, usque ad hodie.

21. Et profectus Israël, et tetendit tentorium suum ab ultra turrim Eder.

22. Et factum, in residendo Israël in terra hac, et ivit Ruben, et cubuit cum Bilhah concubina patris sui, et audivit Israël. Et fuerunt filii Jacobi duodecim.

23. Filii Leae; primogenitus Jacobi Ruben, et Schimeon, et Levi, et Jehudah, et Jisaschar, et Sebulun.

24. Filii Rachelis, Joseph et Benjamin.

25. Et filii Bilhae ancillae Rachelis, Dan et Naphthali.

26. Et filii Silpae ancillae Leae, Gad et Ascher: hi filii Jacobi, qui nati illi in Paddan-Aram.

27. Et venit Jacob ad Jischakum patrem suum, Mamre Kiriath Arba, haec Chebron, ubi peregrinatus Abraham et Jischak.

28. Et fuerunt dies Jischaki, centum anni et octoginta anni.

29. Et exspiravit Jischak, et mortuus est, et collectus ad populos suos, senex et satur dierum; et sepeliverunt illum Esau et Jacob filii illius.

CONTENTA.

4536. Agitur in hoc Capite in sensu interno de residuo in Naturali Domini, quod Divinum factum: interiora Naturalis, quae Divina facta, sunt hic Israël. Progressus versus adhuc interiora, ubi Rationale, describitur per nativitatem Benjaminis; et dein per adventum filiorum Jacobi ad Jischakum.

SENSUS INTERNUS.

4537. Vers: 1. 2. 3. 4. *Et dixit Deus ad Jacobum, sur-*

ge, ascende Bethelem, et ibi commorare et fac ibi Altare Deo viso ad te, in fugiendo te a coram Esau fratre tuo. Et dixit Jacob ad domum suam, et ad omnes qui cum illo, removete deos alienigenae, qui in medio vestri, et purificemini, et mutate vestes vestras. Et surgamus, et ascendamus Bethelem, et faciam ibi Altare Deo respondenti mihi in die angustiae meae, et fuit mecum in via quam ambulavi. Et dederunt ad Jacobum omnes deos alienigenae, qui in manu illorum, et inaures quae in auribus illorum; et abscondidit illa Jacob sub quercu quae juxta Schechem. Dixit Deus ad Jacobum, significat perceptionem Naturalis boni, quale nunc Jacobus, a Divino: surge, ascende Bethelem, significat de Naturali Divino: et commorare ibi, significat vitam: et fac ibi altare Deo viso ad te, significat ibi sanctum: in fugiendo te a coram Esavo fratre tuo, significat cum verum praelatum bono: et dixit Jacob ad domum suam, et ad omnes qui cum illo, significat dispositionem in bono naturali, quali tunc: removete deos alienigenae qui in medio vestri, significat quod rejicerentur falsa: et purificemini et mutate vestes, significat sanctitatem induendam: et surgamus et ascendamus Bethelem, significat Naturale Divinum: et faciam ibi altare Deo significat sanctum in quo interiora terminantur: respondenti mihi in die angustiae meae, significat in statu praeferentiae veri prae bono: et fuit mecum in via quam ambulavi, significat Divinam Ipsius Providentiam, et dederunt ad Jacobum omnes deos alienigenae qui in manu illorum, significat quod rejiceret omnia falsa quantum possibile: et inaures quae in auribus illorum, significat actualia: et abscondidit illa Jacob sub quercu quae juxta Schechem, significat rejectionem aeternam; quercus juxta Schechem est naturale fallax.

4538. Dixit Deus ad Jacobum, quod significet perceptionem Naturalis boni, quale nunc Jacobus, ex Divino, constat ex significatione dicere in Historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 1602. 1791. 1815. 1822. 1898. 1919. 2061. 2080. 2238. 2260. 2619. 2862. 3509. 3395; inde est, quod dixit Deus, sit perceptio ex Divino; et ex repraesentatione Jacobi, quod hic in supremo sensu sit Dominus quoad Naturale bonum: in praecedentibus ostensum est, quid Jacob in Verbo repraesentat, et quia sunt varia, paucis dicendum, quomodo res se

habet; Jacob in supremo sensu in genere repraesentat Domini Divinum Naturale; sed quia cum Dominus Naturale suum glorificavit, illud fuit aliud in principio, quam in progressu, et in fine, ideo Jacob varia repraesentavit, nempe in Principio Domini Naturale quoad Verum, in Progressu Domini Naturale quoad veri bonum, et in Fine quoad bonum: glorificatio enim Domini processit a Vero ad Veri bonum, et denique ad bonum, quod in antecedentibus pluries ostensum est; nunc quia in fine est, repraesentat Jacob Dominum quoad Naturale Bonum; videantur quae prius de his ostensa sunt, nempe quod Jacob in supremo sensu repraesentet Domini Divinum Naturale; in principio quoad Verum, n: 3305. 3509. 3525. 3546. [2] 3576. 3599; in progressu Domini Divinum Naturale quoad Veri bonum, n: 3659. 3669. 3677. 4234. 4273. 4337; [3] quod nunc repraesentet Domini Divinum Naturale quoad bonum, est quia in fine est, ut dictum: ille processus fuit cum Dominus Naturale suum Divinum fecit; similis etiam processus est, cum Dominus hominem regenerat; nam placuit Domino Humanum suum Divinum facere eo ordine, quo Ipse hominem novum facit; inde est, quod aliquoties dictum, quod Regeneratio hominis sit imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402: cum Dominus hominem novum facit, primum instruit illum in veris fidei, nam absque veris fidei non scit, quid Dominus, quid coelum, et quid infernum, ne quidem quod sint, minus innumerabilia quae Domini sunt, quae Ipsius Regni in coelo, quaeque Ipsius Regni in terra, hoc est, in Ecclesia; tum quae et qualia sunt illa quae illis opposita quae sunt Inferni; antequam haec novit, non scire potest quid bonum; per bonum non intelligitur bonum civile et bonum morale, nam haec in mundo discuntur per leges et statuta, et per reflexiones super mores hominum, inde est, quod gentes quae extra Ecclesiam talia quoque sciant; sed per bonum intelligitur bonum spirituale, quod bonum in Verbo vocatur charitas, estque hoc bonum in genere velle et facere alteri bonum ex nulla causa sui, sed ex jucundo affectionis; hoc bonum est bonum spirituale; ad hoc nusquam aliquis homo venire potest quam per vera fidei, quae docentur a Domino per Verbum et praedicationes Verbi; postquam homo instructus est in veris fidei, dein per gradus ducitur ille a Do-

mino ad velle verum, et quoque ex velle facere illud, hoc verum vocatur veri bonum, nam veri bonum est verum voluntate et actu, et dicitur veri bonum, quia verum quod fuit doctrinae tunc fit vitae; tandem cum homo appercipit jucundum in velle bonum et inde facere illud, non amplius dicitur veri bonum, sed bonum, nam tunc regeneratus est, et non magis ex vero vult et facit bonum, sed ex bono verum, et verum quod tunc facit, est etiam quasi bonum, nam ex origine sua, quae est bonum, trahit suam essentiam. Ex his patet, quid sit, et unde sit, quod Jacob in supremo sensu repraesentet Domini Naturale quoad bonum: quod hic Jacob repraesentet hoc bonum, est quia nunc in sensu interno agitur de ulteriore progressione, nempe versus interiora naturalis, quae sunt Israël, n: 4536; nemo qui regeneratur a Domino perduci potest ad interiora, priusquam verum apud illum factum est bonum.

4539. Surge, ascende Bethelem, quod significet de naturali Divino, nempe perceptionem, constat a significatione surgere, quod involvat elevationem, de qua n: 2401. 2785. [4] 2912. 2927, 3171. 4103; hic elevationem naturalis ad Divinum; ex significatione ascendere, quod sit versus interiora magis, de qua sequitur; et ex significatione Bethelis, quod sit Divinum in naturali, seu in ultimo ordinis, de qua n: 4089; Bethel enim in Lingua Originali significat domum Dei, et quia domus Dei est ubi cognitiones boni et veri, ita per Bethelem in proximo sensu significantur cognitiones illae, ut n: 1453 ostensum est: at quia interiora terminantur et finiuntur in ultimis ordinis, et ibi simul sunt et sicut in una domo cohabitant, et quia naturale apud hominem est ultimum apud hominem, in quo interiora terminantur, ideo per Bethelem seu domum Dei proprie significatur Naturale, n: 3729. 4089, et quidem bonum ibi, nam domus in sensu interno est bonum, n: 2233. 2234. 3720. 3729; in naturali seu in ultimo ordinis etiam sunt cognitiones. Quod ascendere sit versus interiora, est quia interiora sunt quae dicuntur superiora, n: 2148, ideo cum agitur de progressu versus interiora in sensu interno, dicitur ascendere, ut ab Aegypto ad terram Canaanem, in ipsa terra Canaane ad interiora, et ibi ab [5] undique ad Hierosolymam, inque ipsa Hierosolyma ad domum Dei ibi; ab Aegypto ad terram Canaanem, apud Mo-

seu „Pharao dixit ad Josephum, *ascende* et sepeli patrem tuum: et *ascendit* Josephus; et *ascenderunt* cum eo omnes servi Pharaonis, et *ascendit* cum eo currus et eques" Gen: L: 6. 7. 8. 9: et in Libro Judicum „*Ascendit* Angelus Jehovae ex Gilgal ad Bochim, et dixit, *ascendere feci* vos ex Aegypto" II: 1; per Aegyptum enim in sensu interno significatur Scientificum, quod inserviturum capiendis illis quae Regni Domini sunt, et per terram Canaanem significatur Regnum Domini, et quia scientifica sunt inferiora, seu quod idem, exteriora, et illa, quae Regni Domini, sunt superiora, seu quod idem, interiora, idcirco dicitur ascendere ab Aegypto ad terram Canaanem; et vicissim a terra Canaane ad Aegyptum descendere, ut Genes: XLII: 2. 3. Cap: XLIII: 4. 5. 15, et alibi. In ipsa terra Canaane ad interiora ejus, apud Joschuam „Dixit Joschua, *ascendite* et explorate terram; et *ascenderunt* viri et explorarunt Ajam, et redierunt ad Joschuam, et dixerunt ad illum, ne *ascendat* omnis populus, quasi 2000 viri, aut quasi 3000 viri *ascendent:* quare *ascenderunt* de populo quasi 3000 viri" VII: 2. 3. 4; quia terra Canaan significat Regnum Domini, ideo illa quae a terminis ultimis remotiora essent, significabant interiora, inde dicitur hic ascendere. Pariter a circuitibus ubivis ad Hierosolymam; et in Hierosolyma ad domum Dei, I Reg: XII: 27. 28. II Reg: XX: 5. 8. Matth: XX: 18. Marc: X: 33. Luc: XVIII: 31, et pluries alibi; Hierosolyma enim erat intimum terrae, quia per illam significabatur Regnum spirituale Domini, et Domus Dei erat intimum Hierosolymae, quia per illam significabatur Regnum coeleste Domini, et in supremo sensu Ipse Dominus; inde ad illa dicitur ascendere. Ex his patet, quid per surge, ascende Bethelem, significatur, quod nempe per ascendere progressio versus interiora, de qua in hoc Capite agitur, n: 4536.

4540. Et commorare ibi, quod significet vitam, constat a significatione commorari seu habitare, quod sit vita, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451.

4541. Et fac ibi altare Deo viso ad te, quod significet ibi sanctum, constat a significatione Altaris, quod sit principale repraesentativum Domini, de qua n: 921. 2777. 2811. 4489; et quia ita, sanctum cultus per facere altare Deo significatur.

4542. In fugiendo te a coram Esavo fratre tuo, quod significet cum verum praelatum bono, constat ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Bonum Divini Naturalis Domini, de qua n: 3322. 3494. 3504. 3576. 3599; quod sit cum verum praelatum bono, constare potest ab illis, quae de Jacobo cum fugeret coram Esavo, ad Cap: XXVII Genes: explicata sunt; causa enim fugae fuit, quod Jacob primogenituram Esavo abstulerit, per quod significatur, quod verum praetulerit se bono, Jacob enim ibi repraesentat verum Naturalis Domini, et Esau Bonum illius; cur Verum praetulerit se bono, erat, quia cum regeneratur homo Verum apparenter est primo loco, at postquam homo regeneratus est, bonum priori loco est et verum posteriori, de quibus videatur n: 3324. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3610. 3701. 4243. 4244. 4247. 4337; [6] inde est, quod per in fugiendo te coram Esavo fratre tuo, significetur cum verum praelatum bono.

4543. Et dixit Jacob ad domum suam, et ad omnes qui cum illo, quod significet dispositionem a Bono naturali, quali tunc, constat a significatione dicere ad domum suam, et ad omnes qui cum illo, quod sit dispositio; et a repraesentatione Jacobi, quod hic sit bonum naturale, de qua supra n: 4538: quod dicere ad domum suam et ad omnes qui cum illo, sit dispositio, est inde, quia in nunc sequentibus in sensu interno agitur de dispositione verorum a bono; cum enim Bonum spirituale, de quo supra n: 4538, in Mente naturali primas agere incipit, tunc disponit vera, quae ibi, in ordinem.

4544. Removete deos alienigenae qui in medio vestri, quod significet quod rejicerentur falsa, constat a significatione removere, quod sit rejicere; et a significatione deorum alienigenae, quod sint falsa; per deos enim in Verbo significantur vera, et in opposito sensu falsa, n: 4402: alienigenae, dicebantur qui extra Ecclesiam fuerunt, proinde qui in falsis et malis, n: 2049. 2115, inde dii alienigenae sunt falsa.

4545. Et purificemini et mutate vestes, quod significet sanctitatem induendam, constat a significatione purificari seu mundari, quod sit sanctificari, de qua sequitur; et a significatione mutare vestes, quod sit induere, hic sancta vera, nam per Vestes in sensu interno Verbi, significantur vera: quod mu-

tare vestes fuerit repraesentativum in Ecclesia receptum, manifeste patet; sed quid repraesentavit, nemo scire potest, nisi sciat quid vestes in sensu interno significant, quod sint vera, videatur n: 2576; hic quia in sensu interno de rejectione falsorum, et dispositione verorum in Naturali a Bono agitur, ideo memoratur, quod a Jacobo mandatum ut mutarent vestes: quod mutare vestes fuerit repraesentativum quod induerentur sancta vera, constare quoque potest ex aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam „ Excitare, excitare, Hierosolyma, indue robur tuum, Zion, *indue vestes decoris tui*, Hierosolyma, civitas sancta, quia non addet veniat in te amplius praeputiatus et *immundus*, " LII: 1; [7] quia Zion est Ecclesia Coelestis, et Hierosolyma Ecclesia spiritualis, et Ecclesia coelestis est quae in bono est ex amore in Dominum, et Ecclesia spiritualis in vero ex fide et charitate, ideo de Zione praedicatur robur, et de Hierosolyma vestes; et quod sic mundi essent. Apud Sachariam „ Jehoschua fuit *indutus vestibus pollutis*, et sic stabat coram Angelo; et respondit, dixitque ad stantes coram illo, dicendo, *removete vestes pollutas* a super illo; et ad illum dixit, vide, transire feci a super te iniquitatem tuam, *induendo te vestibus mutatoriis*, " III: 3. 4; inde etiam patet, quod removere vestes et indui vestibus mutatoriis, repraesentaverit purificationem a falsis, nam dicitur, transire feci a super te iniquitatem tuam; ex eo etiam vestes habebant mutatorias, et dicebantur mutatoriae, quarum mentio passim in Verbo fit, quia per illas sistebantur repraesentationes. Quoniam per Vestium mutationes talia repraesentabantur, ideo ubi in sensu interno agitur de novo Templo apud Ezechielem, per quod significatur nova Ecclesia, dicitur „ Quando intrant Sacerdotes, non exibunt ex Sancto ad atrium exterius, sed ibi *deponent vestes suas* in quibus ministrarunt, quia sanctitas illae, ac *induent vestes alias*, et accedent ad ea quae populo, " XLII: 14: et apud Eundem „ Quando exibunt ad atrium exterius ad populum, *exuent vestes suas* in quibus ministrantes, et reponent illas in cubiculis sanctitatis, et *induent vestes alias*, et sanctificabunt populum *vestibus aliis*, " XLIV: 19; [8] quod per Templum novum et per civitatem et terram sanctam, de quibus apud Prophetam ibi in Capitibus quae praecedunt et sequuntur, non intelligatur aliquod novum

Templum, nec nova civitas aut nova terra, quisque videre potest, memorantur enim sacrificia et ritualia, quae e novo instauranda, et quae tamen abroganda erunt, et quoque memorantur nominatim Tribus Israëlis, quae terram in haereditates inter se partirentur, quae tamen dispersae fuerunt, et nusquam redierunt; inde patet, quod per ritualia ibi memorata significentur spiritualia et coelestia, quae sunt Ecclesiae; similia quae per mutationem vestium, cum ministraret Aharon, apud Mosen „Cum facturus est holocaustum, *induet amictum suum*, femoralia lini, cinerem ponet juxta altare: *post exuet vestes suas*, et *induet vestes alias*, et educet cinerem in locum mundum extra castra, et sic faciet holocaustum," Levit: VI: 2. 3. 4. 5. Quod Mundari sit sanctificari, constare potest a Mundationibus quae jussae sunt, ut nempe carnem suam, et vestes suas lavarent, utque spargerentur aquis separationis; quod per talia nemo sanctificetur, unusquisque qui de spirituali homine aliquid novit, scire potest; quid enim commune habet iniquitas et peccatum cum vestibus, quibus induitur homo, et tamen aliquoties dicitur, quod postquam se mundaverint, sancti essent; inde quoque patet, quod ritualia Israëlitis jussa non fuerint aliunde sancta, quam quod repraesentaverint sancta, consequenter quod illi, qui repraesentaverunt, quoad suas personas non inde sancti facti sint, sed quod sanctitas repraesentata abstracte ab illis affecerit spiritus qui apud illos, et inde Angelos in coelo, n: 4307; communicatio enim coeli cum homine necessario erit, ut subsistere possit Genus humanum, et hoc per Ecclesiam, alioquin fierent sicut bestiae absque vinculis internis et externis, et sic rueret unusquisque absque fraenis in alterius perniciem, seque mutuo exstinguerent; et quia tunc temporis non communicatio dari potuit per aliquam Ecclesiam, ideo provisum est a Domino, ut miraculose fieret per repraesentativa: quod sanctificatio repraesentaretur per rituale lavationis et mundationis, patet a pluribus locis in Verbo; sicut cum Jehovah descendit super montem Sinai, dixit ad Mosen „*Sanctifica* eos hodie et cras, et *lavent vestes suas*; et sint parati in diem tertium," Exod: XIX: 10. 11. Apud Ezechielem „*Spargam super vos aquas mundas*, et *mundabimini* ab omnibus vestris *immunditiis*, et ab omnibus vestris idolis *mundabo vos*; et dabo vobis cor no-

vum et spiritum novum dabo in medio vestri," XXXVI: 25. 26; manifeste quod spargere aquas mundas repraesentaverit purificationem cordis, ita quod mundari sit sanctificari.

4546. Et surgamus et ascendamus Bethelem, quod significet naturale Divinum, constat ab illis quae supra n: 4539, dicta sunt, ubi eadem verba.

4547. Et faciam ibi altare Deo, quod significet sanctum in quo interiora terminantur, constat ex significatione facere altare Deo, quod sit sanctum cultus, de qua supra n: 4541; quod dicatur, quod in illo interiora terminentur, est quia faceret illud in Bethele, quae hic est *ibi*, et quia per Bethelem significatur naturale, in quo interiora terminantur, videatur supra n: 4539.

4548. Respondenti mihi in die angustiae meae, quod significet in statu cum praeferebat verum prae bono, constat ex significatione diei, quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785; quod per diem angustiae meae significetur status cum verum praeferebat bono, constare potest ab illis, quae supra n: 4542, dicta sunt, dies enim angustiae hic involvit idem ac verba illa ibi „ In fugiendo te a coram Esavo fratre tuo."

4549. Et fuit mecum in via quam ambulavi, quod significet Divinam Ipsius Providentiam, constat ex significatione esse cum aliquo in via quam ambulat, cum praedicatur de Divino seu Domino, quod sit Divina Ipsius Providentia, nam providere est proprie adesse alicui, et tutari a malis.

4550. Et dederunt ad Jacobum omnes deos alienigenae, qui in manu illorum, quod significet quod rejiceret omnia falsa quantum possibile, constat a significatione deorum alienigenae, quod sint falsa, de qua n: 4544; et a significatione qui in manu illorum, quod sit quantum possibile, manus enim significat potentiam, n: 878. 3387, inde quod in manu, est quod in potentia, seu quantum possibile: quod dederint ad Jacobum, est quod bonum illa rejiceret, nam per Jacobum in hoc Capite repraesentatur bonum naturalis, n: 4538.

4551. Et inaures quae in auribus illorum, quod significet actualia, constat a significatione inaurium, quod sint insignia repraesentativa Obedientiae, quod inde est quia aures signifi-

cant obedientiam, n: 2542. 3869, et quae obedientiae, ea actualia sunt, nam obedire involvit actu facere; actualia hic praedicantur de falsis quae rejicerentur. Quod rejectionem falsorum etiam actualium, de qua hic in sensu interno agitur, concernit, paucis dicendum; homo antequam per regenerationem a Domino, venit ad bonum, et ex bono verum facit, plurima falsa mixta veris habet, introducitur enim per vera fidei, de quibus in prima aetate non alias quam infantiae et pueritiae ideas habuit, quae ideae quia ab externis quae mundi et a sensualibus quae corporis, existunt, non aliter possunt, quam inter fallacias, et consequenter inter falsa esse; quae etiam actualia fiunt, nam quae credit homo haec facit; haec falsa sunt quae hic intelliguntur; haec manent apud hominem usque dum regeneratus est, hoc est, usque dum ex bono agit, tunc bonum redigit vera, quae illuc usque hausit, in ordinem, hoc est, Dominus per bonum; hoc cum fit, falsa separantur a veris, et removentur: haec homo prorsus ignorat, sed usque est talis remotio et rejectio falsorum a prima ejus pueritia usque ad ultimam ejus aetatem; et hoc apud unumquemvis hominem, imprimis autem apud illum qui regeneratur; apud illum autem qui non regeneratur, simile occurrit, nam cum adultus fit, et judicium ejus ad aetatem suam pervenit, tunc spectat pueritiae suae judicia sicut inania et ludicra, et sic longius a se remota; sed differentia inter regeneratum et non regeneratum est, quod regeneratus spectet illa a se remota, quae non concordant cum bono fidei et charitatis, at non regeneratus illa quae non concordant cum jucundo amoris in quo est, hic itaque utplurimum vera ut falsa, et falsa ut vera. Quod inaures attinet, fuerunt illae duplicis generis, erant quae applicabantur supra nasum ad frontem, et erant quae applicabantur auribus, quae applicabantur supra nasum ad frontem, erant insignia repraesentativa boni, et dicuntur monilia, de quibus n: 3103; at quae applicabantur auribus, erant insignia repraesentativa obedientiae, et sunt inaures; sed in Lingua originali eadem voce exprimuntur.

4552. Et abscondidit illa Jacob sub quercu quae juxta Schechem, quod significet rejectionem aeternam, constat ex significatione abscondere, quod sit rejicere et sicut mortua sepelire; et ex significatione sub quercu, quod sit in aeternum, nam

quercus quia annosissima arbor, cum sub illa reconderetur aliquid, significabat perpetuum; et quoque significabat id quod perplexum esset, ac insuper quod fallax et falsum, quoniam infimum naturalis respective est perplexum et fallax, quatenus id ex sensualibus quae sunt corporis, ita ex fallaciis trahit suum scientificum et volupe; in specie enim per quercum significatur infimum naturalis, proinde in bono sensu vera et bona quae ibi, et in opposito mala et falsa quae ibi; cum quoque removentur falsa apud hominem regeneratum, etiam ad infimum naturalis rejiciuntur; quapropter a visu interiori, cum homo judicio maturus et perspicax factus est, et imprimis quando intelligens et sapiens, illa apparent longius remota; vera enim apud hominem regeneratum, in intimo ejus naturalis sunt juxta bonum, quod ibi est instar parvuli solis; vera quae ab illis dependent, abinde distant secundum gradus quasi consanguinitatis et affinitatis cum bono, fallacia vera ad peripherias exteriores sunt, et falsa ad extimas rejecta sunt; haec apud hominem in perpetuum manent, sed in illo ordine sunt quando homo se duci a Domino patitur, is enim ordo est ordo coelestis, nam ipsum coelum in tali est; at cum homo non patitur se duci a Domino, sed a malo, tunc in opposito ordine sunt, in medio tunc est malum cum falsis, ad peripherias rejecta sunt vera, et ad ultimas ipsissima vera Divina, hic ordo est infernalis, nam infernum in tali est; extimae peripheriae sunt infima naturalis. Quod Quercus sint falsa quae infima naturalis, est quia in Ecclesia Antiqua, quando cultus externus repraesentativus Regni Domini fuit, omnes arbores cujuscunque generis significabant aliquid spirituale aut coeleste, sicut Olea et inde oleum illa quae amoris coelestis sunt, Vitis et inde vinum illa quae charitatis et ex hac fidei sunt, et praeterea reliquae arbores, sicut Cedrus, Ficus, Populus, Fagus, Quercus; quae quid significarunt, passim in explicationibus ostensum est; exinde est, quod in Verbo toties memorentur, et quoque in genere Horti, Luci, et Sylvae, et quod in illis sub certis arboribus cultum suum habuerint; sed quia Cultus ille idololatricus factus est, et posteritas Jacobi, apud quam repraesentativum Ecclesiae instauraretur, ad idololatrica prona erat, et sic tot idola ibi poneret, ideo interdicebatur illis cultum habere in hortis et lucis, subque arboribus ibi, sed usque

Arbores suam significationem retinebant; inde nunc est, quod non solum nobiliores arbores, sicut oleae, vites, cedri, sed etiam populus, fagus, quercus, in Verbo, ubi memorantur, significent, quaelibet sicut in Antiqua Ecclesia. Quod Quercus in bono sensu vera et bona quae sunt infima naturalis, et in opposito falsa et mala, significent, constat a locis in Verbo, ubi nominantur, in sensu interno intellectis; ut apud Esaiam „Desertores Jehovae consumentur, quia pudefient a *Quercubus,* quas desideravistis: et eritis sicut *Quercus* dejiciens folia sua, et sicut *hortus*, cui aquae non" I: 29. 30. Apud Eundem „Dies Jehovae Zebaoth super omnem elatum et humilem, et super omnes *Cedros* Libani, et super omnes *Quercus Baschanis*," II: 12. 13; quod dies Jehovae non erit super cedros et quercus, quisque scire potest, sed super illos qui significantur per illas. Apud Eundem „Qui format deum, exscindit sibi *cedros*, et accipit *fagum* et *Quercum*, et firmat sibi in arboribus sylvae," XLIV: 14. Apud Ezechielem „Agnoscetis quod Ego Jehovah, cum fuerint confossi eorum in medio idolorum circa altaria eorum, super omni colle alto, in omnibus capitibus montium, et sub *omni arbore viridi*, et sub omni *quercu implexa*, loco ubi dederunt odorem quietationis omnibus idolis suis," VI: 13, fuerat etiam Antiquis cultus super collibus et montibus, quia colles et montes significabant amorem coelestem, at cum cultus factus ab idololatris, ut hic, significant amorem sui et mundi, n: 795. 796. 1430. 2722. 4210; et sub arboribus, quia significabant secundum species suas, ut supra dictum; sub quercu implexa hic ex falsis, quae infima naturalis, nam illa sunt in implexo, n: 2831. Apud Hoscheam „Super Capitibus montium sacrificant, super collibus suffiunt, sub *Quercu*, *Populo*, et *Robore*, quia bona umbra ejus; propterea scortantur filiae vestrae, et nurus vestrae adulterantur," IV: 13; quod scortari sit falsificare vera, et adulterari sit pervertere bona, videatur n: 2466. 2729. 3399. Apud Sachariam „Aperi Libane januas tuas, et comedat ignis *Cedros*, quia magnifici vastati sunt; ejulate *Quercus Baschanis*, quia descendit sylva Bazaris," XI: 1. 2.

4553. Vers: 5. 6. 7. *Et profecti sunt, et fuit terror Dei super urbes, quae circumcirca illos, et non persequuti post filios Jacobi. Et venit Jacob ad Lus, quae in terra Canaan,*

haec Bethel, ille et omnis populus qui cum illo. Et aedificavit ibi Altare, et vocavit locum El Bethel, quia ibi revelati ad illum dii, in fugiendo illo a coram fratre suo. Profecti sunt, significat continuum: et fuit terror Dei super urbes quae circumcirca illos, et non persequuti post filios Jacobi, significat quod falsa et mala non potuerint accedere: et venit Jacob ad Lus quae in terra Canaan, significat naturale in statu priori: haec Bethel, significat Divinum Naturale: ille et omnis populus qui cum illo, significat cum omnibus ibi: et aedificavit ibi altare, significat per sanctificationem: et vocavit locum El-Bethel, significat sanctum naturale: quia ibi revelati ad illum dii, significat sancta vera: in [9] fugiendo illo a-coram fratre suo, significat postquam vera praelata bono.

4554. Profecti sunt, quod significet continuum, constat a significatione proficisci, quod sit successivum, de qua n: 4375, ita continuum, nempe progressionis versus interiora.

4555. Et fuit terror Dei super urbes quae circumcirca illos, et non persequuti post filios Jacobi, quod significet quod falsa et mala non potuissent accedere, constat ex significatione terroris Dei, quod sit tutela, de qua sequitur; ex significatione urbium quae circum illos, quod sint falsa et mala; urbes enim in genuino sensu sunt verâ doctrinae, et in opposito falsa doctrinae, n: 402. 2449. [10] 2943. 3216. 4478. 4492. 4493; quod per urbes hic quoque mala significentur, est quia etiam habitatores intelliguntur, qui in genuino sensu sunt bona, ita in opposito mala, n: 2268. 2451. 2712; et ex significatione non persequi post illos, quod sit non posse accedere. Quod terror Dei sit tutela, illustrari potest ab illis quae fiunt in altera vita, ibi inferna nusquam possunt accedere ad coelum, nec mali spiritus ad aliquam societatem coelestem, quia in terrore Dei sunt; cum enim mali spiritus approximant ad aliquam societatem coelestem, subito in anxietates et cruciatus cadunt, et qui aliquoties in illos inciderant, illi non audent approximare; quod non ausint, est quod intelligitur per terrorem Dei in sensu interno; non quod Deus seu Dominus terreat illos, sed quia in falsis et malis sunt, ita in opposito bonis et veris, et ipsa falsa et mala faciunt, cum approximant ad bona et vera, quod angantur et crucientur.

4556. Et venit Jacob ad Lus quae in terra Canaan, quod significet Naturale in statu priori; haec Bethel, quod significet Divinum Naturale, constat a significatione Lus, quod sit Naturale in statu priori, seu id ipsum Naturale quod fuit humanum, quod hoc factum sit Divinum, significatur per Haec Bethel; quod Bethel sit Divinum Naturale, videatur n: 4089. 4539: inde quoque alibi in Verbo, ubi Bethel nominatur, etiam dicitur, Lus haec Bethel, et Bethel olim Lus, ut apud Joschuam „Exivit terminus sortis filiorum Benjaminis inter filios Jehudae et inter filios Josephi *ad Lus, ad latus Lus* versus meridiem, *haec Bethel*" XVIII: 13: et in Libro Judicum „Ascenderunt domus Josephi *Bethelem*, et explorarunt *Bethelem*, et nomen urbis *olim fuit Lus*" I: 23.

4557. Ille et omnis populus qui cum illo, quod significet cum omnibus ibi, nempe quae in naturali, constat a repraesentatione Jacobi, qui hic est Ille, quod sit bonum ibi, de qua n: 4538; et a significatione populi, quod sint vera, de qua n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581; ita populus qui cum illo sunt vera illius boni; et quia omnia in naturali se referunt ad bona et vera, per illa verba hic significatur cum omnibus ibi.

4558. Et aedificavit ibi altare, quod significet per sanctificationem, constat a significatione Altaris, quod sit principale repraesentativum Domini, et inde sanctum cultus, de qua n: 4541, et cum praedicatur de Domino, quod sit Divinum Humanum Ipsius, ac Sanctum quod inde procedit, n: 2811; quod enim in Ecclesia est principale repraesentativum Domini, hoc etiam in supremo sensu est Ipse Dominus quoad Divinum Humanum, nam quod repraesentat, hoc in eo sensu est illud: quod Naturale sanctificatum sit, significatur per aedificavit ibi, hoc est, in Bethele, Altare, per Bethelem enim significatur Divinum Naturale, videatur mox supra n: 4556.

4559. Et vocavit locum El Bethel, quod significet Sanctum Naturale, constat ex significatione Bethelis, quod sit Divinum Naturale, de qua n: 4089. 4539. 4556; at cum vocatur El-Bethel, non est Divinum, sed Sanctum naturale; cum enim Dominus Humanum suum Divinum fecit, primum illud sanctum fecit; inter Divinum facere, et Sanctum facere, est ea differentia, quod Divinum sit Ipse Jehovah, Sanctum autem

quod ex Jehovah, Illud est Divinum Esse, Hoc autem est inde existens, cum Dominus Se glorificavit, etiam Humanum suum fecit Divinum Esse, seu Jehovam, n: 2156. 2329. 2921. 3023. 3035, sed antequam hoc, Humanum suum sanctum fecit; processus glorificationis Humani Domini talis fuit: inde quoque Bethel nunc vocatur El-Bethel, et applicatur quid per El quod adjectum est, significatur, nempe *quia ibi revelati ad illum dii*, El enim in Lingua originali significat Deum, hic autem in plurali deos, quia dii in sensu interno sunt sancta vera, n: 4402; in sequentibus autem vocatur Bethel, nam dicitur, *vocavit Jacob nomen loci Bethel*, Vers: 15, et adjicitur, *ubi loquutus est cum illo Deus*, ibi in singulari; nam Bethel in Lingua originali est domus Dei, El-Bethel autem est Deus domus Dei: inde est, quod El-Bethel sit sanctum Naturale, et Bethel Divinum naturale.

4560. Quia ibi revelati ad illum dii, quod significet sancta vera, constat ex significatione deorum, quod sint sancta vera, de qua n: 4402, quod haec adjuncta Bono per Jacobum repraesentato, significatur per deos ibi ei revelatos. Quod locus ille vocatus sit El-Bethel, et tamen prius Cap: XXVIII: 19, et quoque postea Vers: 15 [11] hujus Capitis, Bethel, tum quod hic cum vocatur [El-]Bethel dicatur quia ibi revelati ad illum dii, in plurali, ac postea Vers: 15, ubi loquutus cum illo Deus, in singulari, arcanum sit, et quod arcanum illud non sciri possit quam ex sensu interno, patet; sunt praeterea plura arcana, quae in illis recondita latent, sed illa non detegi possunt.

4561. In fugiendo illo a coram fratre suo, quod significet postquam vera praelata bono, constat ex illis quae supra n: 4542 explicata sunt, ubi eadem verba.

4562. Vers: 8. *Et moriebatur Deborah nutrix Rebeccae, et sepeliebatur desubter Bethel sub quercu, et vocavit nomen ejus Allon Bacuth.* Moriebatur Deborah nutrix Rebeccae significat malum haereditarium quod expulsum: et sepeliebatur desubter Bethel sub quercu, significat rejectum in perpetuum: et vocavit nomen ejus Allon Bacuth, significat quale naturalis quod expulsum.

4563. Moriebatur Deborah nutrix Rebeccae, quod significet malum haereditarium quod expulsum, constat ex significa-

tione mori, quod sit finis seu quod tale esse desinat, de qua n: 494. 3253. 3259. 3276, hic itaque expulsum, quia agitur de malo haereditario; et ex repraesentatione Deborae qua nutrix Rebeccae, quod sit malum haereditarium; nutrix quatenus nutrit et lactat infantem, proprie significat insinuationem innocentiae per coeleste spirituale, nam lac est coeleste spirituale, n: 2184, et infans quem lactat est innocentia, n: 430. 1616. 2126. 2305. 2306; [12] sed hic per Deboram nutricem Rebeccae significatur id quod acceptum fuit a matre et nutritum ab infantia, quod hoc fuerit malum haereditarium a matre, contra quod Dominus pugnavit, constare potest ex illis quae de haereditario illo, n: 1414. 1444. 1573, [13] ostensa sunt; et quod id expulerit, ut tandem non esset filius Mariae, n: 2159. 2574. 2649. 3036. Notum est, quod homo ab utroque parente malum trahat, et quod hoc malum dicatur malum haereditarium, in id itaque nascitur, sed usque non se manifestat priusquam homo adolescit, et ex intellectu et inde voluntate agit, interea latet reconditum, praecipue in infantia; et quia ex Misericordia Domini nemo in culpam venit propter haereditarium, sed propter actuale, n: 966. 2308, [14] ac haereditarium non actuale potest fieri, antequam homo ex proprio intellectu et ex propria voluntate agit, ideo infantes a Domino per infantes et angelos a Domino, ducuntur, inde [tametsi] apparent in statu innocentiae, latet usque haereditarium malum in singulis quae agunt, n: 2300. 2307. 2308; hoc cedit illis in nutritionem, seu est quasi nutrix usque ad tempus judicii eorum, n: 4063, et tunc, si regenerantur, a Domino perducuntur in statum novae infantiae, et tandem in sapientiam coelestem, ita in genuinam infantiam, hoc est, in innocentiam, nam genuina infantia seu innocentia habitat in sapientia, n: 2305. [15] 3183; differentia est, quod innocentia infantiae extra sit, et malum haereditarium intra, sed innocentia sapientiae est intra, et malum actuale et haereditarium extra: ex his et pluribus quae prius dicta sunt, patet, quod malum haereditarium sit quasi nutritium a prima infantia usque ad aetatem novae infantiae; inde est, quod per nutricem significetur malum haereditarium, et quod quoque per nutricem significetur insinuatio innocentiae per coeleste spirituale. Quia de dispositione et ordinatione verorum a bono in Naturali Domini in sen-

su interno in hoc Capite agitur, et inde progressione ad interiora, n: 4536, ideo etiam de malo haereditario, quod expulsum sit, agitur; haec causa est, quod in hoc Versu memoretur de Deborah nutrice Rebeccae, quod mortua et sepulta sub quercu, quae res non tanti momenti fuisset, ut per illam interpolaretur series, nisi talia involveret. Ipsum arcanum, quod per nutricem Rebeccae in specie significatur, nondum potest detegi; sciendum prius est, qualis influxus est rationalis in Naturale, quod nempe sit a Bono Rationalis immediate in Bonum Naturalis, et quod sit a Bono Rationalis mediate per Verum ibi in Bonum Veri Naturalis; Rebecca est Verum Rationalis, n: 3012. 3013. 3077, Jischak autem Bonum Rationalis, n: 3012. 3194. 3210; Esau Bonum Naturalis ex immediato influxu a Bono Rationalis seu Jischako, et Jacob Bonum seu Bonum Veri Naturalis ex mediato influxu per Verum Rationalis seu Rebeccam; de influxu hoc mediato et immediato videatur n: 3314. 3573; hoc prius sciendum est, antequam arcanum in specie sciri possit, cur per nutricem Rebeccae significetur et describatur hic malum haereditarium; inde enim constare potest, quale hoc fuit.

4564. Et sepeliebatur desubter Bethel sub quercu, quod significet rejectum in perpetuum, constat a significatione sepeliri, quod sit rejici, nam quod sepelitur hoc rejicitur; et a significatione sub quercu, quod sit in perpetuum, de qua supra n: 4552; desubter Bethel significat extra naturale, nam quod dicitur subter seu infra, hoc in sensu interno est extra, n: 2148; Bethel est Divinum Naturale, n: 4089. 4539. Cum hoc se ita habet; malum tam haereditarium quam actuale apud hominem, qui regeneratur, non exterminatur ita ut evanescat aut nullum fiat, sed modo separatur, et per dispositionem a Domino rejicitur in peripherias, n: 4551. 4552, ita manet apud illum, et hoc in aeternum, verum detinetur a Domino a malo, ac tenetur in bono; cum hoc fit tunc apparet sicut mala rejecta sint, et sit homo ab illis purificatus, seu ut ajunt, justificatus; omnes Angeli coeli fatentur, quod apud illos quantum ex se, non sit nisi malum et inde falsum, sed quantum a Domino, sit bonum et inde verum; qui de illa re aliam opinionem captarunt, et ex doctrinali suo, cum vixerunt in mundo, apud se confirmarunt, quod justificati sint et tunc absque peccatis, et sic quod sancti,

illi remittuntur in statum malorum ex actuali et haereditario, et in illo tenentur usque dum per vivam experientiam sciunt, quod a se non nisi quam malum sint, et quod bonum, in quo sibi visi fuerant, esset a Domino, proinde quod non esset illorum sed Domini; ita se habet cum Angelis, ac ita cum regeneratis inter homines: At cum Domino aliter, Ipse omne malum haereditarium a matre a Se prorsus removit, expulit et ejecit; Ipsi enim nullum malum ex haereditario a Patre fuit, quia conceptus a Jehovah, sed a matre; haec differentia est: hoc intelligitur per quod Dominus factus Justitia, Ipsum Sanctum, ac Divinum.

4565. Et vocavit nomen ejus allon bacuth, quod significet quale naturalis quod expulsum, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421: Allon bacuth in lingua originali significat quercum fletus, et ita dictus est locus, ex causa quia quercus est infimum naturalis, in quod et demum extra quod ejectum est malum haereditarium; quod quercus sit infimum naturalis, et quoque perpetuum, videatur n: 4552; fletus autem significat ultimum vale, inde solenne fuit flere mortuos cum sepeliebantur, tametsi sciebant, quod modo cadaver per sepulturam rejiceretur, et illi qui in cadavere fuerant, quoad interiora viverent, inde patet quale, quod per allon bacuth, seu quercum fletus significatur.

4566. Vers: 9. 10. 11. 12. 13. *Et visus Deus ad Jacobum adhuc, in veniendo illo e Paddan-Aram, et benedixit illi. Et dixit illi Deus, nomen tuum Jacob, non vocabitur nomen tuum amplius Jacob, quin imo Israël erit nomen tuum, et vocavit nomen illius Israël. Et dixit illi Deus, Ego Deus Schaddai, fructificare et multiplicare, gens et coetus gentium erit e te, et reges e lumbis tuis exibunt. Et terram, quam dedi Abrahamo et Jischako, tibi dabo eam, et semini tuo post te dabo terram. Et ascendit desuper illo Deus in loco quo loquutus cum illo Deus.* Visus Deus ad Jacobum adhuc in veniendo illo e Paddan Aram, et benedixit illi, significat perceptionem interiorem naturalem: et dixit illi Deus, nomen tuum Jacob, significat quale Domini naturale externum Divinum: non vocabitur nomen tuum amplius Jacobus, significat quod non amplius solum externum: quin imo Israël erit nomen tuum, significat

quale internum naturale, seu quale spirituale illius quod Israël: et vocavit nomen illius Israël, significat internum naturale, seu coeleste spirituale naturalis: et dixit illi Deus, significat perceptionem a Divino: Ego Deus Schaddai, significat statum tentationis praeteritum et nunc Divinum solatium: fructificare et multiplicare, significat Bonum et inde Verum Divinum: gens et coetus gentium erit a te, significat Bonum et Boni Divinas formas: et reges e lumbis tuis exibunt, significat vera ex Divino conjugio: et terram quam dedi Abrahamo et Jischako tibi dabo eam, significat Divinum Bonum naturale adpropriatum: et semini tuo post te dabo terram, significat Divinum Verum naturale adpropriatum: et ascendit desuper illo Deus in loco quo loquutus cum illo, significat Divinum in statu illo.

4567. Visus Deus ad Jacobum [adhuc] in veniendo illo e Paddan-Aram, et benedixit illi, quod significet perceptionem interiorem naturalem, constat a significatione visus Deus, quod sit perceptio interior; quod videre sit intelligere et percipere, videatur n: 2150. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421, inde visus Deus, cum praedicatur de Domino, est perceptio ex Divino, quae eadem est cum perceptione interiore; quod perceptio illa naturali fuerit, significatur per quod visus Deus ad Jacobum, Jacobus enim repraesentat naturale Domini, ut pluries ostensum: adhuc in veniendo illo e Paddan-Aram, significat postquam cognitiones boni et veri, quae per Paddan-Aram, de quibus n: 3664. 3680. 4112, significantur, hauserat; benedixit illi, significat progressionem ad interiora naturalis, et ibi conjunctionem boni et veri; benedicere enim praedicatur de omni bono quo quis donatur a Divino, n: 1420. 1422. 2846. 3017. 3406, imprimis de conjunctione boni et veri, n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584.

4568. Et dixit illi Deus, nomen tuum Jacob, quod significet quale Domini Naturale externum Divinum, constat ex significatione nominis, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. [16] 3421; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit Domini Naturale Divinum, de qua saepius prius; quod dicatur Externum, est quia Israël est Domini Naturale internum Divinum, de quo mox sequitur.

4569. Non vocabitur nomen tuum amplius Jacob, quod

significet quod non amplius solum externum, constat ab illis quae mox supra dicta sunt, et quae nunc de Israële sequuntur.

4570. Quin imo Israël erit nomen tuum, quod significet quale internum naturale, seu quale spirituale illius quod Israël; et vocavit nomen illius Israël, quod significet internum naturale, seu coeleste spirituale naturalis, constat a significatione nominis, quod sit quale, de qua mox supra n: 4568; et ex significatione Israëlis, quod sit Domini internum naturalis: cur Jacob vocatus sit Israël, nemo scire potest, nisi qui scit, quid internum naturale et quid externum naturale, et porro quid coeleste spirituale naturalis; explicata quidem haec sunt prius, quando Jacob ab Angelo vocatus est Israël, sed quia talia sunt, de quibus pauca, si ulla, cognitio habetur, ideo, quid sint, iterum explicandum; apud hominem sunt duo inter se distinctissima, nempe Rationale et Naturale; Rationale constituit Internum hominem, et Naturale Externum, sed naturale sicut Rationale etiam habet suum externum et internum, externum naturalis est ex sensualibus corporis et ex illis quae e mundo per sensualia immediate influunt, per haec homo communicationem habet cum mundanis et corporeis; qui solum in hoc naturali sunt, vocantur sensuales homines, nam vix ultra cogitatione sua vadunt; Internum autem naturalis constituitur ab illis quae inde analytice et analogice concluduntur, sed usque trahit et deducit sua a sensualibus, communicat sic naturale per sensualia cum mundanis et corporeis, et per analogica et analytica cum Rationali, ita cum illis quae sunt mundi spiritualis; tale est naturale; datur quoque Intermedium, quod communicat cum utroque, nempe cum Externo et cum Interno, ita per Externum cum illis quae in Mundo naturali sunt, et per Internum cum illis quae in mundo spirituali, hoc Naturale est quod in specie Jacob repraesentat, et Internum Naturale quod Israël: cum Rationali similiter se habet, quod nempe sit Externum et Internum, et quoque Medium, sed de illo, ex Divina Domini Providentia, dicendum ubi de Josepho, quia Josephus repraesentat Externum Rationalis. Quid autem coeleste spirituale, prius aliquoties dictum est, quod nempe coeleste sit id quod est boni, ac spirituale quod est veri, ita coeleste spirituale id quod est boni a vero. Nunc quia Ecclesia Domini est externa et interna, et re-

praesentari a Jacobi posteris debuerant Interna Ecclesiae per Externa, ideo Jacob non potuit amplius nominari Jacob, sed Israël, videantur quae de his prius n: 4286. 4292, allata sunt. Praeterea sciendum, quod tam Rationale quam Naturale, dicatur coeleste et spirituale, coeleste cum recipiunt bonum, et spirituale cum recipiunt verum a Domino, nam bonum quod a Domino influit in coelum, vocatur coeleste, et verum vocatur spirituale. Quod Jacob dictus sit Israël, in supremo sensu significat, quod Dominus ad interiora progressus Naturale in Se Divinum fecerit, tam quoad Externum quam quoad Internum ejus; nam quod repraesentatur, in supremo sensu ad ipsum est.

4571. Et dixit illi Deus, quod significet perceptionem a Divino, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3395. 3509; quod a Divino, significatur per quod Deus dixit, in Domino enim a conceptione Divinum fuit, hoc fuit Ipsius Esse, nam a Jehovah conceptus erat, inde perceptio Ipsius a Divino fuit, sed secundum statum receptionis ab Humano, quia Humanum in Se successive Divinum fecit; inde patet, quia Divinum seu Deus in Ipso, quod per dixit illi Deus, significetur perceptio a Divino.

4572. Ego Deus Schaddai, quod significet statum tentationis praeteritum, et nunc Divinum solatium, constat a significatione Dei Schaddai, quod sit tentatio et postea solatium; Jehovah enim seu Dominus ab Antiquis dictus fuerat Deus Schaddai respective ad tentationes, et solatium post illas, videatur n: 1992. 3667, inde est, quod Deus Schaddai significet statum tentationis praeteritum, et nunc Divinum solatium; quod praeteritum, est quia per Jacobum prius, imprimis cum luctatus cum Angelo Cap: XXXII: 25 ad f: et cum occurrit Esavo Cap: XXXIII, repraesentatae sunt Tentationes; quod nunc solatium, est quia per illas conjunctio boni et veri in naturali facta, ipsa conjunctio facit solatium, quia conjunctio est finis tentationum, quisque enim cum ad finem venit, secundum dura quae passus in mediis, solatium habet: in genere sciendum, quod omnis conjunctio boni cum vero fiat per tentationes; causa est, quia mala et falsa repugnant et quasi rebellant, et omni modo connituntur conjunctionem boni cum vero et veri cum bono, impe-

dire; illa pugna existit inter spiritus qui apud hominem sunt, nempe inter spiritus qui in malis et falsis, ac inter spiritus qui in bonis et veris, hoc apud hominem percipitur ut tentatio sicut in ipso; cum itaque spiritus qui in malis et falsis sunt, vincuntur a spiritibus qui in bonis et veris, et illi recedere coguntur, tunc est gaudium his per coelum a Domino; hoc gaudium etiam ab homine percipitur ut solatium, ut in ipso: sed gaudium et solatium non est propter victoriam, sed propter conjunctionem boni et veri, omnis enim conjunctio boni et veri in se gaudium habet, nam illa est conjugium coeleste, in quo Divinum.

4573. Fructificare et multiplicare, quod significet Bonum et inde Verum Divinum, constat ab eo, quod fructificari praedicetur de bono, et multiplicari de vero, n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847.

4574. Gens et coetus gentium erit a te, quod significet bonum et boni Divinas formas, constat a significatione Gentis, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 1259. 1260. 1362. 1416. 1849; et a significatione coetus gentium, quod sint vera quae ex bono, seu quod idem, boni formae, et in supremo sensu in quo agitur de Domino, Divina Vera quae ex Divino Bono, seu Boni Divinae formae. Quid boni formae, primum dicendum, postea quod coetus gentium illas significent; Vera quae ex bono dicuntur formae boni, quia non aliud sunt quam bona formata; qui aliter capit vera, et magis qui separat illa a bono, non scit quid vera; apparent quidem vera, sicut separata a bono, ita sicut forma per se, sed modo illis qui non in bono sunt, seu illis qui aliter cogitant et loquuntur quam volunt et inde agunt; homo enim ita creatus est, ut intellectus et voluntas unam mentem constituant, et tunc unam mentem constituunt, quando intellectus unum agit cum voluntate, hoc est, quando homo ita cogitat et loquitur, sicut vult et inde agit; tunc etiam intellectualia ejus sunt formae voluntatis ejus; intellectualia sunt quae vera dicuntur, nam vera sunt proprie intellectus, voluntatis autem sunt quae bona vocantur, nam bona sunt proprie voluntatis; inde sequitur, quod intellectuale in se spectatum non sit nisi quam voluntarium formatum. Sed quia vox formae sapit ex Philosophia humana, illustrabitur per exemplum, inde patebit quod vera sint formae boni; in vita civili et morali datur Ho-

nestum et Decorum, Honestum est ex corde alicui bene velle in illis quae sunt vitae civilis, Decorum autem est testari illud per loquelam et gestus, ita Decorum in se spectatum non aliud est quam forma Honesti, inde enim est origo decori, quapropter cum Honestum se exserit per Decorum, seu decore per loquelam et gestus, tunc in singulis decori apparet honestum, adeo ut quicquid per loquelam pronuntiatur et per gestus ostenditur, honestum appareat, est forma seu imago, per quam honestum elucet; ita unum faciunt, sicut Essentia et ejus Forma, seu Essentiale et Formale: at si quis separat honestum a decoro, hoc est, si quis vult male socio et tamen loquitur bene, ac gerit se adversus illum bene, tunc non amplius est aliquid honesti in loquela et in gestibus, utcunque formam sicut honesti per decorum inducere studet, sed est inhonestum, et qui perspicax est, etiam inhonestum vocat, quia simulatorium, vel fraudulentum, vel dolosum. Ex his constare potest, quomodo se habet cum veris et bonis, vera enim in vita spirituali se habent sicut decorum [17] in vita civili; inde patet, qualia vera sunt quando sunt formae boni, et qualia sunt cum separata a bono, sunt enim, cum non a bono, a quodam malo, et ejus formae, utcunque mentiuntur formas boni. Quod coetus gentium sint formae boni, constare potest a significatione Gentium, quod sint bona, de qua mox supra, inde illarum coetus seu congregatio, est collectio illarum, quae non aliud est quam forma, quae quod sit verum, ostensum est; et quia vera sunt quae significantur, et per gentem significatur bonum, ideo non modo dicitur, quod gens ex illo erit, sed etiam coetus gentium, alioquin unum satis esset: praeterea coetus, congregatio et multitudo in Verbo de veris praedicantur, quod multitudo seu multiplicari, videatur n: 43. 55. 913. 983. 2846. [18] 2847.

4575. Et reges ex lumbis tuis exibunt, quod significet vera ex Divino Conjugio, constat a significatione regum, quod sint vera, de qua n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670; et ex significatione lumborum, quod sint illa quae sunt amoris conjugialis, de qua n: 3021. 4277. 4280, proinde quae sunt conjugii coelestis, in supremo sensu Divini Conjugii: Vera ex Divino conjugio sunt quae procedunt ex Divino Humano Domini, et vocantur sancta; Divinum enim Humanum Domini est

ipsum Divinum Conjugium; quae procedunt ex illo sunt sancta, quae vocantur coelestia et spiritualia, et faciunt conjugium coeleste, quod est verum conjunctum bono, et bonum conjunctum vero; in Coelo est hoc Conjugium, et in unoquovis qui in coelo est, etiam in unoquovis qui in Ecclesia, si is qui in Ecclesia in bono et simul in vero est.

4576. Et terram, quam dedi Abrahamo et Jischako, tibi dabo, quod significet Divinum Bonum appropriatum, constat a significatione Terrae, quod sit bonum, terra enim Canaan, quae hic per terram intelligitur, in sensu interno est Regnum Domini, et inde Ecclesia, quae est Regnum Domini in terris, n: 1607. 3481. 3705. 4447. 4517, et quia illa, est Bonum, nam hoc est ipsum essentiale Regni Domini et Ecclesiae; in supremo autem sensu est Terra Canaan Divinum Bonum Domini, nam Bonum quod est in Regno Domini in coelis et in terris, est a Domino; ex repraesentatione Abrahami et Jischaki, quod sit Divinum Domini; Abraham ipsum Divinum, et Jischak Divinum Humanum, in specie Divinum Rationale Domini, de Abrahamo videatur n: 1989. 2011. 3245. 3251. 3439. 3703. 4206. 4207, de Jischako, n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 2774. 3012. 3194. 3210. 4180; et ex significatione tibi dare eam seu terram, quod sit appropriare Naturali, per Jacobum enim, qui hic est Tibi, repraesentatur Divinum Naturale Domini, ut saepius ostensum: ex his patet, quod per terram, quam dedi Abrahamo et Jischako, tibi dabo eam, significetur Divinum Bonum appropriatum.

4577. Et semini tuo post te dabo terram, quod significet Divinum Verum appropriatum, constat a significatione seminis, quod sit verum fidei, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1940; [19] in supremo autem sensu Divinum Verum, n: 3038; et a significatione dare terram, quod sit appropriare bonum, de qua mox supra n: 4576; ita per semini tuo dare terram, in sensu supremo significatur Divino Vero appropriare Divinum Bonum: quod autem sit Divinum Verum appropriatum, est quia Dominus quoad Humanum suum antequam glorificatus, fuit Divinum Verum, inde Dominus de Se dicit, quod sit Veritas, Joh: XIV: 6, et inde quoque vocatur semen mulieris, Gen: III: 15, sed postquam Dominus quoad Humanum suum glorificatus est, factus

est Divinum Bonum, et tunc ab Ipso ut a Divino Bono processit et procedit Divinum Verum, quod est spiritus veritatis quem Dominus missurus, de quo apud Johannem Cap: XIV: 16. 17. Cap: XV: 26. 27. Cap: XVI: 13. 14. 15, videatur n: 8704; [20] inde constare potest, quod per semini tuo post te, significetur in supremo sensu Divinum Verum Ipsi appropriatum, et quoque quod Divinum Verum, a Divino Bono, quod Ipse, procedat, ac illis qui in bono et inde in vero sunt, adproprietur.

4578. Et ascendit desuper illo Deus in loco quo loquutus cum illo, quod significet Divinum in statu illo, constat a significatione ascendere desuper illo Deus, quod sit Divinum, ascendere enim involvit elevationem ad interiora, et cum praedicatur de Domino, qui hic est Deus, elevationem ad Divinum, n: 4539; et ex significatione loci quo loquutus cum illo, quod sit status ille, quod locus sit status, videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321, inde locus quo loquutus cum illo, est status in quo fuit.

4579. Vers: 14. 15. *Et statuit Jacobus statuam in loco quo loquutus cum illo, statuam lapidis, et libavit super illam libamen, et fudit super illam oleum. Et vocavit Jacob nomen loci, ubi loquutus cum illo Deus, Bethel.* Statuit Jacobus statuam in loco quo loquutus cum illo, statuam lapidis, significat sanctum veri in Divino illo statu: et libavit super illam libamen significat Divinum Bonum veri: et fudit super illam oleum, significat Divinum Bonum amoris: et vocavit Jacob nomen loci, ubi loquutus cum illo Deus, Bethel, significat Divinum Naturale et ejus statum.

4580. Statuit Jacobus statuam in loco quo loquutus cum illo, statuam lapidis, quod significet sanctum veri in Divino illo statu, constat a significatione statuae, quod sit sanctum veri, de qua sequitur; et a significatione in loco quo loquutus cum illo, quod sit in statu illo, de qua mox supra n: 4578. De origine quod statuae erigerentur, et libarent super illas libamen, et funderent super illas oleum, primum dicendum; statuae quae erigebantur antiquis temporibus, erant vel in signum, vel in testem, vel in cultum; qui in cultum, ungebantur, et tunc erant sanctae, et ibi quoque cultum suum habebant, itá in templis, in lucis, in sylvis sub arboribus, et alibi; hoc rituale suum

repraesentativum inde traxit, quod lapides antiquissimis temporibus statuerentur in terminis inter gentium familias, ne illos transgrederentur ad faciendum illis malum, sicut quoque a Labane et Jacobo, Genes: Cap: XXXI: 52, [21] ne transgrederentur illos ad faciendum malum, erat apud illos jus gentium; et quia lapides ibi erant in terminis, antiquissimi, qui in singulis quae in tellure, correspondens spirituale et coeleste videbant, cum lapides hos ut terminos viderent, de veris quae sunt ultima ordinis, cogitabant, posteri autem illorum, qui in objectis minus spirituale et coeleste, et plus mundanum spectabant, incipiebant modo ex veneratione ab antiquo sancte de illis cogitare, et tandem Antiquissimorum posteri, qui proxime ante diluvium vixerunt, et non magis in terrestribus et mundanis, ut objectis, aliquod spirituale et coeleste videbant, coeperunt sanctificare illos lapides, libamina fundendo super illos, ac oleo ungendo illos, et tunc vocabantur statuae, et in cultum adhibebantur: hoc remansit post diluvium in Ecclesia Antiqua, quae repraesentativa fuit, sed cum illa differentia, quod statuae inservirent his pro mediis perveniendi ad cultum internum, instruebantur enim infantes et pueri a parentibus quid repraesentarent, et sic perducebantur ad scire sancta et affici illis quae repraesentabant; inde est, quod statuae apud antiquos in templis, lucis, et sylvis, ac super collibus et montibus essent in cultum: at cum internum cultus cum Ecclesia Antiqua prorsus periit, et coeperunt externa sancta et Divina habere, et sic idololatrice illa colere, tunc statuas erigebant pro singulis diis; et quia posteritas Jacobi pronissima ad idololatrica erat, prohibebatur illis ne statuas erigerent, nec lucos haberent, et ne quidem super montibus et clivis aliquem cultum, sed congregarentur ad unum locum, ubi Arca, et dein ubi Templum, ita ad Hierosolymam, alioquin quaelibet familia habuisset sua externa et idola quae coluisset, et sic repraesentativum Ecclesiae non apud illam gentem institui potuisset: videantur quae de statuis prius n: 3727, ostensa sunt. Ex his constare potest, unde statuae, et quid significarunt, et cum in cultum adhiberentur, quod esset sanctum verum quod per illas repraesentabatur, ideo quoque dicitur, quod esset statua lapidis, nam lapis significat verum in ultimo ordinis, n: 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798.

Praeterea sciendum, quod de Divino vero imprimis Sanctum praedicetur, nam Divinum est in Domino, et Divinum Verum procedit ab illo, n: 3704. 4577, et vocatur Sanctum.

4581. Et libavit super illam libamen, quod significet Divinum bonum veri, constat ex significatione libaminis, quod sit Divinum bonum veri, de qua sequitur; primum enim dicendum quid bonum veri; bonum veri est id quod bonum fidei alibi dictum fuit, estque amor erga proximum, seu charitas: sunt duo genera universalia Boni, unum quod dicitur Bonum fidei, alterum quod vocatur Bonum amoris. Bonum fidei est quod significatur per Libamen, et Bonum amoris quod per Oleum; qui ad Bonum perducuntur a Domino per viam internam, illi sunt in Bono amoris, at qui per viam externam, illi sunt in bono fidei; homines Ecclesiae coelestis, similiter angeli intimi seu tertii coeli in bono amoris sunt, sed homines Ecclesiae spiritualis, similiter Angeli medii seu secundi Coeli, in bono fidei sunt; inde est, quod illud bonum dicatur bonum coeleste, hoc autem bonum spirituale; differentia est, quae inter velle bene ex velle bene, ac inter velle bene ex intelligere bene; hoc itaque, nempe bonum spirituale seu bonum fidei, seu bonum veri, est quod per Libamen significatur, illud autem, nempe bonum coeleste, seu bonum amoris, est, quod per oleum in sensu interno intelligitur: quod talia per Oleum et Libamen significata sint, non quidem videri potest, nisi ex sensu interno, sed usque ab unoquovis, quod sancta per illa repraesentata fuerint, nam nisi sancta per illa repraesentata fuissent, quid libare libamen et fundere oleum super statuam lapidis, foret aliud quam quoddam ludicrum idololatricum: similiter ac nisi sancta significarent et involverent, dum Rex creatur, nempe Coronam imponere Capiti ejus, ungere illum oleo ex cornu super frontem et super poplites manuum, sceptrum in manum ejus dare, ac insuper gladium, et claves, purpureo amictu circumdare, et tunc sedere super solio argenteo, ac dein in Regio ornatu equitare, et quoque ad mensam postea ab optimatibus ministrari, praeter plura; haec nisi repraesentarent sancta, et per correspondentiam cum illis quae sunt coeli et inde Ecclesiae, sancta essent, non forent nisi lusus quales infantum sed in majore forma, aut sicut lusus super theatris; sed usque omnia illa ritualia traxerunt suam ori-

ginem ab Antiquissimis temporibus, quando ritualia sancta fuerunt ex eo quod repraesentarent sancta, et corresponderent sanctis quae in coelo et inde in Ecclesia; hodie quoque sancta habentur, non ex eo quod sciant quid repraesentant aut quibus correspondent, sed per interpretationem sicut emblematum quae in usu; si autem scirent quid repraesentat et cui sancto correspondet corona, oleum, cornu, sceptrum, ensis, claves, equitatio super equo albo, comestio ministrantibus optimatibus, de illis multo sanctius cogitarent; sed hoc non sciunt, et quod mirum, hoc non scire volunt; in tantum sunt repraesentativa et significativa, quae in talibus, et quae ubivis in Verbo, in mentibus hodie deleta. Quod Libamen significet bonum veri seu bonum spirituale, constare potest a sacrificiis in quibus adhibebantur; Sacrificia fiebant vel ex armento vel ex grege, et erant repraesentativa Cultus interni Domini, n: 922. 923. 1823. 2180. 2805. [22] 2807. 2830. 3519; illis adjiciebantur Minchah et Libamen, Minchah quae constabat ex similagine mixta oleo, significabat bonum coeleste, seu quod idem, bonum amoris, oleum amorem in Dominum et similago charitatem erga proximum; Libamen autem, quod constabat ex Vino, significabat bonum spirituale, seu quod idem, bonum fidei; utrumque itaque, nempe Minchah et Libamen, eadem quae Panis et vinum in Sancta Coena. Quod illa adjicerentur holocaustis et sacrificiis, constat apud Mosen „Facies Agnos duos filios anni in diem juge, agnum unum facies mane, et agnum alterum facies inter vesperas, et *decima similaginis mixta oleo tuso*, quadrante hinis, et *Libamen quadrantis hinis vini* agno primo; ita quoque agno alteri," Exod: XXIX: 38. 39. 40. 41. Apud Eundem „Facietis in die, quo motitatis manipulum primitiarum messis, agnum integrum filium anni sui in holocaustum Jehovae, *cujus Minchah duae decimae similaginis mixtae oleo*, et *Libamen ejus vinum*, quarta hinis," Levit: XXIII: 12. 13. 18. Apud Eundem „In die quo implentur dies Naziraeatus, offeret munus suum Jehovae, sacrificia, ut et calathum azymorum ex similagine, placentas mixtas oleo, ac lagana azymorum uncta oleo, cum *Minchah eorum*, et *Libaminibus eorum*," Num: VI: 13. 14. 15. 17. Apud Eundem „Super holocaustum facient *Mincham e similagine decimam mixta quarta hinis olei*,

vinum in Libamen, quartam hinis: aliter super holocaustum ex ariete, et aliter ex bove," Num: XV: 3. 4. 5. 11. Apud Eundem „Ad holocaustum jugis facies *Libamen* quarta hinis in agnum; *in sancto liba libamen vini Jehovae*," Num: XXVIII: 6. 7. Porro de *Minchis* et *Libaminibus* in sacrificiis varii generis, Num: XXVIII: 7 ad f. Cap: XXIX: 1 ad f. Quod Minchah et Libamen illa significaverint, constare etiam potest ex eo, quod amor et fides faciant omne cultus; et quod panis, qui ibi similago mixta oleo, et Vinum, significent amorem et fidem, ita omne cultus, in Sancta Coena, de qua n: 1798. 2165. 2177. 2187. 2343. 2359. 3464. 3735. 3813. 4211. 4217. Cum autem recesserunt a genuino repraesentativo cultus Domini, et converterunt se ad deos alios, ac illis libaverunt libamina, tunc per Libamina significabantur illa quae opposita sunt Charitati et fidei, nempe mala amoris mundi et falsa; ut apud Esaiam „Incaluistis in diis sub omni arbore viridi, etiam illis *effudisti Libamen, obtulisti mincham*" LVII: 5. 6; incalescere in diis pro concupiscentiis falsi, quod dii sint falsa, n: 4402 f. 4544; sub omni arbore viridi, pro ex fide omnium falsorum, n: 2722. 4552; effundere illis libamen et offerre mincham, pro cultu illorum. Apud Eundem „Vos qui deseritis Jehovam, qui obliviscimini montis sanctitatis meae, qui disponitis Gadi mensam, et impletis menio *Libamen*" LXV: 11. Apud Jeremiam, „Filii colligunt ligna, et patres accendunt ignem, et mulieres depsunt massam, ad faciendum placentas reginae coelorum, et ad *libandum libamen diis aliis*" VII: 18: apud Eundem „Faciendo faciemus omne verbum, quod exivit ex ore nostro, suffiendo reginae coelorum, et *libando ei libamina* quemadmodum fecimus nos et patres nostri, et principes nostri in urbibus Jehudae, et in plateis Hierosolymae" XLIV: 17. 18. 19; regina coelorum pro omnibus falsis, exercitus enim coelorum in genuino sensu sunt vera, in opposito autem falsa, similiter rex et regina, ita regina pro omnibus, ei libare libamina est colere. Apud Eundem „Chaldaei comburent urbem, et domos super quarum tectis suffiverunt baali, et *libaverunt libamina diis aliis*" XXXII: 29; Chaldaei pro illis qui in cultu in quo falsum; comburere urbem pro destruere et vastare illos qui in doctrinalibus falsi; super domuum tectis suffire baali, pro cultu mali, libare libami-

na diis aliis pro cultu falsi. Apud Hoscheam „Non habitabunt in terra Jehovae, et revertetur Ephraim in Aegyptum, et in Assyria immundum comedent, *non libabunt Jehovae vinum*" IX: 3. 4; non habitare in terra Jehovae, pro non esse in bono amoris; revertetur Ephraim in Aegyptum, pro quod intellectuale Ecclesiae fiet scientificum et sensuale; in Assyria immundum comedent, pro impuris et prophanis ex ratiocinatione; non libabunt Jehovae vinum pro nullo cultu ex vero. Apud Mosen „Dicetur ubi dii eorum, petra cui confisi sunt, qui adipem sacrificiorum comederunt, *biberunt vinum libaminis eorum*, surgant et juvent eos" Deut: XXXII: 38; dii pro falsis ut supra; qui adipem sacrificiorum comederunt pro quod destruxerint bonum cultus, biberunt vinum libaminis eorum, pro quod verum cultus. Libamina etiam de sanguine praedicantur, apud Davidem „Multiplicabunt dolores eorum, ad alium festinarunt, *ne libabo libamina eorum de sanguine*, et ne tollam nomina illorum super labia mea" Psalm: XVI: 4, et per illa significantur prophanationes veri, sanguis enim in illo sensu est violentia illata charitati, n: 374. 1005, et prophanatio, n: 1003.

4582. Et fudit super illam oleum, quod significet Divinum bonum amoris, constat ex significatione olei, quod sit Divinum Bonum amoris, de qua n: 886. 3728. Per statuere statuam lapidis, libare super illam libamen, et fundere super illam oleum, in sensu interno describitur processus progressionis a Vero quod in ultimo ad verum et bonum interius, et tandem ad bonum amoris; statua enim lapidis est verum in ultimo ordinis, n: 4580; Libamen est verum et bonum interius, n: 4581; oleum autem bonum amoris; talis etiam processus progressionis fuit Domino Humanum suum Divinum faciendi; et talis etiam est homini cum Dominus illum per regenerationem, coelestem facit.

4583. Et vocavit Jacob nomen loci, ubi loquutus cum illo Deus, Bethel, quod significet Divinum Naturale et ejus statum, constat a significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 2009. 2724. 3006. 3421; et ex significatione Bethelis, quod sit Divinum naturale, de qua n: 4559. 4560; quod sit ejus status, significatur per locum ubi loquutus cum illo Deus, ut supra n: 4578.

4584. Vers: 16. 17. 18. 19. 20. *Et profecti a Bethel, et fuit adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam; et peperit Rachel, et dura passa in pariendo illam. Et factum in dura patiendo illam in pariendo illam, et dixit illi obstetrix ne timeas, quia etiam hic tibi filius. Et factum in exire animam illius quod moritura, et vocavit nomen illius Benoni, et pater illius vocavit illum Benjamin. Et moriebatur Rachel, et sepeliebatur in via Ephrath, haec Bethlechem. Et statuit Jacob statuam super sepulchrum illius; haec statua sepulchri Rachelis usque ad hodie.* Profecti a Bethel, et fuit adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam, significat quod nunc spirituale coelestis, Josephus est coeleste spiritualis; et peperit Rachel, et dura passa in pariendo illam, significat tentationes interioris veri: et factum in dura patiendo illam in pariendo illam, significat post tentationes: et dixit illi obstetrix, ne timeas, significat perceptionem e naturali: quia etiam hic tibi filius, significat spirituale verum: et factum in exire animam illius quod moritura, significat statum tentationum: Et vocavit nomen illius Benoni, significat quale status illius: et pater illius vocavit illum Benjamin, significat quale spirituale coelestis: et moriebatur Rachel, et sepeliebatur in via Ephrath, significat finem prioris affectionis veri interioris: haec Bethlechem, significat loco illius [resurrectionem] novi spiritualis coelestis: et statuit Jacob statuam super sepulchrum illius, significat sanctum veri spiritualis resurrecturi ibi: haec statua sepulchri Rachelis usque ad hodie, significat statum sancti in perpetuum.

4585. Profecti a Bethel, et fuit adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam, quod significet quod nunc spirituale coelestis, constat a significatione proficisci a Bethel, quod sit continuum progressionis Divini a Divino Naturali; quod proficisci sit continuum, videatur n: 4554, hic in supremo sensu continuum progressionis Divini, et quod Bethel [23] sit Divinum Naturale, n: 4559. 4560; a significatione tractus terrae ad veniendum, quod sit intermedium, de qua sequitur; et a significatione Ephratae, quod sit spirituale coelestis in statu priore, de qua infra ubi de Bethlechem, quae est spirituale coelestis in statu novo, inde dicitur Ephrath haec Bethlechem, Vers: seq: 19. Agitur in his Versibus de progressione Divini Domini versus in-

teriora, Dominus enim, cum Humanum suum Divinum fecit, simili ordine progressus est, quo cum hominem per regenerationem novum facit, nempe ab Externo ad Interiora, ita a Vero quod in ultimo ordinis ad bonum quod interius est et bonum spirituale vocatur, et inde ad bonum coeleste; sed haec in intellectum alicujus cadere nequeunt, nisi sciatur quid homo externus et homo internus, et quod ille [24] ab hoc distinctus sit, tametsi apparent, cum homo vivit in corpore, sicut unum, tum nisi sciatur quod naturale constituat externum hominem, et rationale internum, et insuper nisi sciatur quid spirituale et quid coeleste; haec quidem aliquoties prius explicata sunt, sed usque qui nullam ideam de illis prius habuerunt, ex causa quia non in aliquo desiderio fuerunt sciendi illa quae sunt vitae aeternae, nec ullam habere possunt; hi dicunt, quid homo Internus, an is potest esse distinctus ab Externo; tum quid naturale et rationale, annon unum, insuper quid spirituale et coeleste, anne nova distinctio, de spirituali audivimus, quod coeleste sit aliud, non audivimus; sed usque ita se res habet, qui de illis non aliquam ideam sibi prius comparaverunt, ex causa quod curae mundi et corporis possideant omne cogitationis, et auferant omne desiderii sciendi aliud, vel quod autument satis esse scire doctrinalia quantum vulgus, et quod non interest ultra cogitare, quia mundum videmus, alteram vitam non videmus, fortassis est et fortassis non; illi qui tales sunt, haec removeant a se, nam usque ad primam intuitionem corde rejiciunt: veruntamen quia talia sunt, quae in Verbi sensu interno continentur, et illa absque terminis adaequatis explicari nequeunt, et termini adaequatiores non dantur ad exprimendum exteriora quam per naturale, et interiora per rationale, et illa quae sunt veri per spirituale, et illa quae sunt boni per coeleste; non potest aliter quam illas voces in usum adhibere, nam absque vocibus rei adaequatis nihil potest describi; ut itaque illi qui in desiderio sciendi sunt, aliquam ideam accipiant, quid Spirituale coelestis [25] quod Benjamin repraesentat, et quod Bethlechem significat, paucis dicendum: Actum est in sensu supremo de glorificatione Naturalis Domini, et in sensu respectivo de regeneratione hominis quoad ejus naturale; quod Jacob repraesentaverit hominem Ecclesiae quoad ejus externum, et Israël quoad internum, ita Ja-

cob quoad naturale ejus exterius, et Israël quoad interius, n: 4286, in praecedentibus ostensum est, nam spiritualis homo est ex naturali, coelestis autem ex rationali, tum ostensum, quod Glorificatio Domini processerit ab externis ad interiora, similiter ac procedit regeneratio hominis, et quod repraesentationis hujus causa Jacob vocatus sit Israël; nunc autem agitur de progressione ulteriore versus interiora, nempe versus rationale, nam, ut mox supra dictum, rationale constituit Internum hominem; intermedium inter internum Naturalis et externum rationalis, est quod intelligitur per Spirituale coelestis, quod significatur per Ephratam et Bethlechem, et repraesentatur per Benjaminem; hoc intermedium trahit aliquid ab interno naturalis quod est Israël, et ab externo rationalis quod est Josephus; quod enim intermedium est, trahet aliquid ab utroque, alioquin pro intermedio inservire non potest; ut aliquis a spirituali fiat coelestis, necessario progredietur per hoc intermedium, absque intermedio scandere ad superiora non possibile est: qualis itaque progressus sit per intermedium illud describitur hic in sensu interno per quod venerit Jacob ad Ephratam, et quod ibi Rachel peperit Benjaminem; inde patet, quod per profecti a Bethel, et fuit adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam, significetur continuum progressionis Divini Domini a Divino Naturali ad Spirituale coelestis, quod per Ephratam et Bethlechem significatur, et per Benjaminem repraesentatur: est Spirituale coelestis intermedium illud, de quo dictum, Spirituale dicitur a Spirituali homine, qui in se spectatus est interior, naturalis, et [Coeleste] a coelesti homine, qui in se spectatus est rationalis, Josephus est exterior rationalis, quare de eo praedicatur coeleste spiritualis e rationali.

4586. Et peperit Rachel et dura passa in pariendo illam, quod significet tentationes interioris veri, constat ex significatione parere, quod sit existentia spiritualium quae sunt veri, et coelestium quae sunt boni, non enim aliud in sensu interno intelligitur per parere, quam quae sunt partus spiritualis, videatur n: 1145. 1255. 2584. 3860. 3868. 3905. 3915. 3919. 4070; ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; et ex significatione dura pati, quod sit tentationes subire, cum enim de veris et bo-

nis seu de spiritualibus et coelestibus praedicatur dura pati, non aliud est, nam ad illa pervenire nemo potest quam per tentationes, pugnant enim tunc interiora bona et vera cum malis et falsis quae ex haereditario et actuali, quippe tenetur homo tunc a Domino in bonis et veris ab interiori, et aggrediuntur mala et falsa [26] quae erumpunt ex haereditario [et] quae adsunt ex actuali, hoc est, spiritus et genii qui in illis sunt, et apud hominem, inde tentationes, quibus non modo rejiciuntur et removentur mala et falsa cum vincuntur, sed etiam confirmantur bona et vera; haec sunt quae significantur per quod peperit Rachel, et dura passa in pariendo.

4587. Et factum in dura patiendo illam in pariendo illam, quod significet post tentationes, constat ex illis quae mox supra n: 4586, dicta sunt, ita absque ulteriore explicatione.

4588. Et dixit illi obstetrix, ne timeas, quod significet perceptionem e naturali, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3395. 3509; et a significatione obstetricis, quod sit Naturale; quod obstetrix hic sit Naturale, est quia cum tentationes interiores subeuntur, hoc est, cum interior homo tentationes subit, tunc naturale est instar obstetricis, nam nisi naturale adjuvet, nusquam aliquis partus interioris veri existit, naturale enim est quod vera interiora, cum nata, in sinum recipit, dat enim copiam ut eniti possint; se habet ita cum illis quae sunt partus spiritualis, quod receptio omnino erit in naturali; quae causa est, quod cum regeneratur homo, primum praeparetur Naturale ad recipiendum, et quantum hoc receptibile factum est, tantum interiora vera et bona excludi et multiplicari possunt; haec etiam causa est, quod si non naturalis homo praeparatus sit ad recipienda vera et bona fidei in vita corporis, non possit in altera vita illa recipere, ita non salvari, hoc est quod intelligitur per commune hoc apud vulgus, quod sicut arbor cadit ita maneat, vel sicut homo moritur ita fiat; homo enim naturalem seu externi hominis memoriam secum omnem in altera vita habet, sed ibi illa uti non licet, n: 2469 ad 2494, quapropter illa ibi est sicut planum fundamentale, in quod interiora vera et bona cadunt, id planum si non receptibile est bonorum et verorum quae ab interiori influunt, inte-

riora bona et vera vel exstinguuntur, vel pervertuntur, vel rejiciuntur: ex his constare potest, quod Naturale sit Obstetricis instar. Quod naturale quatenus recipiens cum parit interior homo, instar Obstetricis sit, constare quoque potest a sensu interno rerum quae memorantur de Obstetricibus, quae vivificarunt filios mulierum Hebraearum contra mandatum Pharaonis, de quibus ita apud Mosen „Dixit Rex Aegypti *Obstetricibus* Hebraearum, et dixit, *in obstetricando* Hebraeis, et videtis super sellis, si filius ille, occidetis illum, et si filia illa, vivificetur: et timuerunt *Obstetrices* Deum, et non fecerunt quemadmodum loquutus ad illos rex Aegypti, vivificarunt natos: et vocavit rex Aegypti *Obstetrices*, et dixit illis, quamobrem fecistis verbum hoc, et vivificastis natos, et dixerunt *Obstetrices* ad Pharaonem, quia non sicut mulieres Aegyptiae Hebraeae, nam vivaces hae, antequam venit ad illas *Obstetrix* et pepererunt; et benefecit Deus *Obstetricibus*, et multiplicatus populus, et numerosus factus valde: et factum, quia timuerunt *Obstetrices* Deum, et fecit illis domos" Exod: I: 15 ad 21; per filias et filios quos pepererunt mulieres Hebraeae, repraesentantur bona et vera Novae Ecclesiae, per obstetrices Naturale quatenus recipiens bona et vera, per regem Aegypti Scientificum in communi, n: 1164. 1165. 1186, quod exstinguit vera, quod fit cum scientificum intrat in illa quae fidei sunt via praepostera, nihil credendo nisi quod sensuale et scientificum dictat; quod obstetrices ibi sint receptiones veri in naturali, ex Divina Domini Misericordia, confirmabitur cum illa, quae illius Capitis sunt, explicanda veniunt.

4589. Quia etiam hic tibi filius, quod significet spirituale verum, constat a significatione filii, quod sit verum, de qua n: 489, 491. 533. 1147. 2623. 3373, hic spirituale verum, quia est Benjamin qui hic filius, per quem spirituale coelestis repraesentatur.

4590. Et factum in exire animam illius quod moritura, quod significet statum tentationum, constat ex significatione exire animam et mori, quod sit ultimum tentationis, quod est cum vetus homo moritur et novus vitam accipit; quod haec significatio sit, patet ab illis quae praecedunt quod dura passa in parien-

do sit tentatio interioris veri, n: 4586. 4587, et ab illis quae sequuntur ad Vers: 19, quod moriebatur Rachel.

4591. Et vocavit nomen illius Benoni, quod significet quale status illius, constat a significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua saepius prius, status qui hic in sensu interno describitur, est status tentationum, hujus status quale est quod per Benoni significatur, nam Benoni in Lingua originali significat filium doloris seu luctus mei: quod antiquitus infantibus nomina significativa status inderentur, videatur n: 1946. 2643. 3422. [27] 4298.

4592. Et pater illius vocavit illum Benjamin, quod significet quale spirituale coelestis, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit spirituale coelestis; quid hoc sit, explicatum est supra n: 4585, quod nempe sit intermedium quod est inter spirituale et coeleste, seu inter hominem spiritualem et coelestem; Benjamin in Lingua originali significat filium dextrae, et per filium dextrae significatur spirituale verum quod a coelesti bono, et inde potentia, bono enim est potentia per verum, n: 3563; filius est verum, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373, et manus potentia, n: 878. 3091. 3563, inde dextra est summa potentia; ex eo patet, quid significat sedere ad dextram Dei, quod nempe sit status potentiae ex vero quod a bono, n: 3387; quod cum praedicatur de Domino, est Omnipotentia, et quoque Divinum Verum quod procedit a Divino Bono Domini, ut Ps: CX: 1. Matth: XXII: 44. [28] Cap: XXVI: 63. 64. Marc: XIV: 61. 62. Cap: XVI: 19. Luc: XXII: 69; [29] et quia est Divina potentia, hoc est, omnipotentia, ideo ibi dicitur, ad dextram potentiae seu virtutis Dei. Quid Benjamin in genuino sensu significat, inde patet, quod nempe verum spirituale quod a coelesti bono, quod est Josephus; ambo itaque simul sunt id intermedium quod est inter hominem spiritualem et hominem coelestem, ut supra n: 4585 dictum; sed hoc bonum et hoc verum distincta sunt a coelesti quod repraesentatur per Jehudam, et a spirituali quod repraesentatur per Israëlem, illud enim est superius seu interius, et hoc est inferius seu exterius, nam sunt, ut dictum, intermedium: sed ideam illius boni quod repraesentatur per Josephum et illius veri quod per Benjaminem, non aliquis habere potest, quam qui illustratus est a luce coeli, An-

geli de illis claram habent, quia eorum ideae cogitationis omnes sunt a luce coeli quae a Domino, in qua indefinita vident et percipiunt quae homo nusquam comprehendere potest, minus effari; illustrationi sit hoc, omnes homines, quotcunque sunt, nascuntur naturales cum potentia ut fieri possint vel coelestes vel spirituales, Dominus autem solus natus est spiritualis coelestis, et quia ita, natus est in Bethlechem ubi terminus terrae Benjaminis, per Bethlechem enim significatur Spirituale coelestis, et per Benjaminem repraesentatur spirituale coelestis; quod solus natus spiritualis coelestis, est quia Divinum in Ipso fuit; haec nusquam aliquis, qui non est in luce coeli, comprehendere potest, qui enim in luce mundi est et ex illa perceptionem habet, vix scit quid Verum et quid Bonum, minus quid ascendere ad interiora veri et boni per gradus, ita nequaquam aliquid de innumerabilibus eorum in unoquovis gradu quae coram Angelis in luce sicut meridiana patent; inde patet, qualis sapientia est Angelorum respective ad homines. Sunt Sex Nomina, quae in Propheticis, ubi agitur de Ecclesia, frequenter occurrunt, nempe Jehudah, Josephus, Benjamin, Ephraim, Israël, et Jacob, qui non scit quid boni et veri Ecclesiae per unumquemvis, in sensu interno intelligitur, nequaquam scire potest aliquid ex Arcanis Divinis Verbi ibi, nec scire potest quid Ecclesiae intelligitur nisi sciat quid coeleste quod est Jehudah, quid coeleste spiritualis quod est Josephus, quid spirituale coelestis quod est Benjamin, quid intellectuale Ecclesiae quod est Ephraim, quid spirituale internum quod est Israël, et quid spirituale externum quod est Jacob. Quod in specie Benjaminem attinet, quia is repraesentat Spirituale coelestis, et Josephus coeleste spiritualis, et sic uterque simul intermedium inter coelestem et spiritualem hominem, et inde quia conjunctissimi, ideo quoque conjunctio illorum in Historicis de Josepho describitur per haec „quod Josephus dixerit ad fratres suos, *quod fratrem minimum adducerent*, ne moriantur," Gen: XLII: 20. Cum redirent cum Benjamine, et Josephus „viderit *Benjaminem fratrem suum*, quod dixerit, num hic frater vester minimus est, et dixit, *Deus propitius esto tibi, fili mi; et festinavit Josephus, quia commota sunt viscera ejus erga fratrem suum, et quaesivit flere, et ideo intravit in conclave, et flevit ibi,*" Gen: XLIII: 29. 30: quod „*multi-*

plicaret portionem Benjaminis prae portione omnium *quintuplum,*" Gen: XLIII: 34: postquam aperuit se fratribus, „*quod ceciderit super colla Benjaminis fratris sui et fleret, et Benjamin fleret super collis ejus,*" Gen: XLV: 14: quod „dederit omnibus mutatorias vestes, *Benjamini vero trecentos argenti,* et *quinque mutatorias vestes,*" Gen: XLV: 22; ex illis patet, quod Josephus et Benjamin conjunctissimi fuerint, non quia ex una matre, sed quia per illos repraesentatur Conjunctio spiritualis quae est inter bonum quod Josephus et verum quod Benjamin, et quia utrumque est intermedium inter coelestem et spiritualem hominem, ideo Josephus non cum fratribus suis, nec cum patre suo conjungi potuit, nisi per Benjaminem, absque enim intermedio non datur conjunctio, haec causa fuit, quod Josephus non prius se revelaverit. Praeterea etiam alibi per Benjaminem in Verbo imprimis Prophetico, significatur spirituale verum quod est Ecclesiae; ut in Prophetico Mosis de filiis Israëlis „*Benjamini dixit,* dilectus Jehovae, habitabit confidenter super illum, obtegens super illum omni die, et inter humeros illius habitabit," Deut: XXXIII: 12; dilectus Jehovae est verum spirituale quod ex coelesti bono, hoc bonum apud id verum praedicatur habitare confidenter, id obtegere toto die, ut et inter humeros ejus habitare, humeri enim in sensu interno sunt omne potentiae, n: 1085, et omne potentiae bono est per verum, n: 3563. Apud Jeremiam „Fugite *filii Benjaminis* e medio Hierosolymae, et in clangendo clangite buccina, et super domum vineae tollite propheticum, quia malum prospicit e septentrione, et confractio magna," VI: 1: filii Benjaminis pro vero spirituali ex coelesti, Hierosolyma pro Ecclesia spirituali, etiam domus vineae seu Beth Kerem, malum e septentrione pro ex hominis sensuali et inde scientifico. Apud Eundem „Fiet, si sanctificatis diem sabbathi, intrabunt ex urbibus Jehudae, et ex circuitibus Hierosolymae, et *e terra Benjaminis,* et ex planitie, et ex monte, et ex meridie, offerentes holocaustum et sacrificium, et mincham, et thus, et offerentes eucharisticum, domum Jehovae," XVII: 24. 26; et alibi apud Eundem „In urbibus montis, in urbibus planitiei, in urbibus meridiei, et *in terra Benjaminis,* et in circuitibus Hierosolymae, et in urbibus Jehudae, adhuc transibunt greges juxta manus nu-

merantis," XXXIII: 13; ibi terra Benjaminis etiam pro spirituali vero quod est Ecclesiae; omnia enim quae sunt Ecclesiae a primo gradu ad ultimum significantur per urbes Jehudae, circuitus Hierosolymae, terram Benjaminis, planitiem, montem et meridiem. Apud Hoscheam „Clangite buccinae in *Gibea*, tuba in *Ramah*, vociferamini *Bethaven*, *post te Benjamin*, Ephraim in solitudines erit, in die correptionis," V: 8. 9; Gibea, Ramah, et Bethaven, pro illis quae sunt veri spiritualis a coelesti quod est Benjamin, Gibea enim erat Benjaminis, Judic: XIX: 14, etiam Ramah, Jos: XVIII: 25, ut et Bethaven, Jos: XVIII: 12; clangere buccina et tuba ac vociferari pro annuntiare, quod intellectuale Ecclesiae, quod est Ephraim, desolatum sit. Apud Obadiam „Fiet domus Jacobi ignis, et domus Josephi flamma, domus Esavi in stipulam, et haereditabunt meridionales montem Esavi, et qui in planitie Philistaeos, et haereditabunt agrum Ephraimi, et agrum Samariae, et *Benjamin* Gileadem," Vers: 18. 19; quod nomina significent res, hic ut alibi manifeste patet, nam nisi sciatur quid significant domus Jacobi, domus Josephi, domus Esavi, mons Esavi, Philistaei, ager Ephraimi, ager Samariae, Benjamin et Gilead, et praeterea quid meridionales, domus, planities, mons, ager, nusquam aliquid ibi comprehendetur; quae historice dicta sunt ibi, nec facta sunt; sed qui novit quid singula involvunt, inibi arcana coelestia comperiet; est ibi etiam Benjamin Spirituale ex coelesti. Similiter haec apud Sachariam „Jehovah erit in regem super totam terram, in die illo erit [30] Jehovah unus, et nomen Ipsius unum; circum erit tota terra sicut planities a Gibea usque ad Rimmonem, et habitabit sub se, inde *a porta Benjaminis* usque ad locum portae primae, usque ad portam angulorum, et turrim Chananeel, usque ad torcularia regis," XIV: 9. 10. Similiter apud Davidem „Pastor adverte aurem, qui ducit sicut gregem Josephum, qui sedes super Cherubim, coram Ephraim, et *Benjamine*, et Menasche, excita potentiam tuam, et ito in salutem nobis," Psalm: LXXX: 2. 3. Similiter in Prophetico Deborae et Baraki „Jehovah dominabitur mihi inter fortes, ex Ephraimo quorum radix in Amaleck, *post te Benjamin in populis tuis*, ex Machir descendent legislatores, et ex Sebulun trahentes sceptrum Scribae," Judic: V: 13. 14.

Apud Johannem „audivi numerum obsignatorum centum quadraginta quatuor millia obsignati ex omni Tribu Israëlis; ex *Tribu Sebulun* duodecim millia obsignati, ex *Tribu Josephi* duodecim millia obsignati, ex *Tribu Benjaminis* duodecim millia obsignati," Apoc: VII: 4. 8; ibi per Tribus Israëlis significantur illi qui in bonis et veris sunt, et inde in Regno Domini, Tribus enim et duodecim seu quod idem duodecim millia sunt omnia amoris et fidei, seu omnia boni et veri, n: 577. 2089. 2129. 2130. 3272. 3858. 3913. 3926. 3939. 4060; haec in quatuor classes ibi partita sunt, quarum ultima est 12000 obsignati ex Sebulone, et ex Josepho, et ex Benjamine, quia per Sebulonis Tribum significatur conjugium coeleste, n: 3960. 3961, in quo est coelum, ita in quo omnia, Josephus ibi est coeleste spiritualis seu bonum veri, et Benjamin est verum illius boni seu spirituale coelestis, hoc Conjugiale est in coelo, inde est, quod illi ultimo nominentur. Quia per Benjaminem Spirituale coelestis Ecclesiae, seu verum boni, quod est intermedium inter bonum coeleste et verum spirituale, repraesentaretur, ideo cessit Hierosolyma filiis Benjaminis in haereditatem, Hierosolyma enim, antequam Zion ibi aedificata, significabat Ecclesiam in genere; quod Hierosolyma cesserit Benjamini, videatur Jos: XVIII: 28, et Judic: I: 21.

4593. Et moriebatur Rachel, et sepeliebatur in via Ephrath, quod significet finem prioris affectionis veri interioris, constat ex significatione mori, quod sit desinere esse tale, de qua n: 494, ita finis; ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; ex significatione sepeliri, quod sit rejectio status prioris, et resuscitatio novi, de qua n: 2916. 2917. 3256; et ex significatione Ephratae, quod sit spirituale coelestis in statu priori, de qua n: 4585; inde patet, quod per moriebatur Rachel et sepeliebatur in via Ephrath, significetur finis status prioris affectionis veri interioris, et resuscitatio novi, quae est Bethlechem, de qua mox sequitur. In genuino sensu per moriebatur Rachel et sepeliebatur in via Ephrath, significatur haereditarium, quod per tentationes sit expulsum in perpetuum; haereditarium fuit humana affectio veri interioris, quam Divina affectio expulit; inde quoque est, quod filius ille a matre dictus sit Benoni seu filius dolo-

ris, sed a patre Benjamin seu filius dextrae: in humana affectione quae a matre, est haereditarium in quo [31] malum, at in Divina non est nisi bonum; in humana enim est gloria sui et mundi ut finis propter se, at in Divina est finis propter se ut sit a se ad salvandum genus humanum, secundum Domini verba apud Johannem „Oro pro illis quos dedisti Mihi, omnia namque Mea Tua sunt, et Tua Mea, *sed glorificatus sum in illis;* ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, et Ego in Te, ut etiam illi in Nobis unum sint. *Ego gloriam quam dedisti Mihi dedi illis*, ut sint unum, sicut Nos unum sumus, Ego in illis et Tu in Me," XVII: 9. 10. 21. 22. 23.

4594. Haec Bethlechem, quod significet loco illius resurrectionem novi spiritualis coelestis, constat ex significatione Bethlechem, quod sit spirituale coelestis in statu novo, Ephrath enim est Spirituale coelestis in statu priori, n: 4585; per quod sepeliebatur ibi, significatur resurrectio novi, n: 4593. [32] Quod Rachel alterum suum filium seu Benjaminem pareret in Bethlechem, et in pariendo moreretur, tum quod David natus in Bethlechem et ibi unctus in regem, et denique quod Dominus ibi nasceretur, est arcanum quod nondum revelatum est, nec alicui revelari potuit, qui non sciret quid significatum per Ephratam et per Bethlechem, et quid repraesentatum per Benjaminem, tum per Davidem; imprimis qui non sciret quid spirituale coelestis, hoc enim significatum est per loca illa, et repraesentatum per personas illas. Quod Dominus ibi nasceretur, et non alibi, erat, quia [33] Ipse Solus natus est Spiritualis Coelestis homo, omnes autem alii Naturales cum facultate seu potentia, ut per regenerationem a Domino fieri possent vel coelestes vel spirituales; quod Dominus natus Spiritualis coelestis homo, erat ex causa, ut Humanum suum Divinum posset facere, et hoc secundum ordinem ab infimo gradu ad supremum, et sic disponeret in ordinem omnia quae in coelis et quae in infernis; spirituale coeleste enim est intermedium inter naturalem seu externum hominem, et inter rationalem seu internum, videatur supra n: 4585. 4592, ita infra illud fuit naturale seu externum, et supra illud rationale seu internum; qui haec non capere potest, is nequaquam comprehendet, per quamcunque revelationem, cur Dominus natus in Bethlechem; Ephrath enim ab An-

tiquissimo tempore significavit Spirituale Coelestis, inde postea Bethlechem; ex hoc nunc est, quod apud Davidem haec dicantur „Juravit Jehovae, vovit forti Jacobi, si intravero in tentorium domus meae, si ascendero super spondam strati mei, si dedero somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem, usque dum invenero locum Jehovae, habitacula forti Jacobi; *ecce audivimus de Eo in Ephrata*, invenimus Eum in agris sylvae; intrabimus in habitacula Ejus, incurvabimus nos scabello pedum ejus," Psalm: CXXXII: 2 ad 7; quod haec de Domino dicta sint, manifeste patet; audivimus *de Eo*, et invenimus *Eum*, exprimitur ibi in fine in lingua originali per literam H desumptam ex nomine Jehovae: et apud Micham „Tu *Bethlechem Ephrataea*, parum est ut sis inter millenas Jehudae, ex te Mihi exibit, qui erit Dominator in Israële, et exitus Ipsius ab Antiquo, a diebus aeternitatis," V: 1. Matth: II: 6. Ex his Propheticis notum fuit populo Judaico quod Messias seu Christus nasceretur in Bethlechem, ut constat apud Matthaeum „Herodes congregans omnes pontifices et scribas populi, scrutatus est ab illis, ubi Christus (Messias) nasciturus; hi dixerunt illi, in *Bethlechemo* Judaeae," II: 4. 5; et apud Johannem „Judaei dixerunt, nonne Scriptura dicit, quod ex semine Davidis, et *ex Bethlechem*, urbs ubi David, Christus (Messias) venturus esset," VII: 42: quod etiam ibi natus sit, videatur Matth: II: 1. Luc: II: 4. 5. 6. 7: inde etiam, et quia ex Davide, vocatur Dominus virga ex trunco Jischaji, et radix Jischaji, Esai: XI: 1. 10; Jischajus enim pater Davidis Bethlechemita fuit, et David ibi natus, et quoque unctus in regem, I Sam: XVI: 1 ad 14. Cap: XVII: 12; inde Bethlechem dicta fuit urbs Davidis, Luc: II: 4. 11. Joh: VII: 42; [34] per Davidem imprimis repraesentatur Dominus quoad Regium seu Divinum Verum, n: 1888.

4595. Et statuit Jacob statuam super sepulchrum illius, quod significet sanctum veri spiritualis resurrecturi ibi, constat a significatione statuae, quod sit sanctum veri, de qua n: 4580, hic veri spiritualis ex coelesti, quia de illo vero agitur; et ex significatione sepulchri, quod sit resurrectio, de qua n: 2916. 2917. 3256.

4596. Haec statua sepulchri Rachelis usque ad hodie, quod

significet statum sancti in perpetuum, constat ex significatione statuae, quod sit sanctum veri, et ex significatione sepulchri, quod sit resurrectio, de qua mox supra; et ex significatione usque ad hodie, quod sit in perpetuum, de qua n: 2838 3998.

4597. Vers: 21. 22. *Et profectus Israël, et tetendit tentorium suum ab ultra turrim Eder. Et factum in residendo Israël in terra hac, et ivit Ruben, et cubuit cum Bilhah concubina patris sui; et audivit Israël.* Profectus Israël, significat coeleste spirituale naturalis nunc: et tetendit tentorium suum ab ultra turrim Eder, significat interiora illius: et factum in residendo Israël in terra hac, significat cum in hoc statu: et ivit Ruben et cubuit cum Bilhah concubina patris sui, significat prophanationem boni per fidem separatam: et audivit Israël, significat quod rejecta illa fides.

4598. Profectus Israël, quod sit coeleste spirituale naturalis nunc, constat a significatione proficisci, quod sit successivum seu continuum, de qua n: 4375. 4554, hic versus interiora magis; et ex repraesentatione Israëlis hic, quod sit coeleste spirituale naturalis, de qua n: 4286; quid coeleste spirituale naturalis, prius explicatum est, quod nempe sit bonum veri, seu bonum charitatis comparatum per verum fidei. Quid progressio versus interiora, parum scitur in mundo; non est progressio in scientifica, haec enim progressio saepe datur absque ulla progressione versus interiora, et saepenumero cum egressione; nec est progressio in virile judicium, hoc etiam quandoque datur cum egressione ab interioribus; nec est in cognitiones veri interioris, nam cognitiones nihil faciunt nisi homo afficiatur illis; est progressio versus interiora progressio versus coelum et Dominum per cognitiones veri implantatas affectioni earum, ita per affectiones: qualis progressio versus interiora est, non apparet alicui in mundo, sed in altera vita manifeste, est ibi a quodam nimbo in lucem; qui enim solum in exterioribus sunt, respective in nimbo sunt, et quoque ab Angelis videntur in nimbo; at qui in interioribus sunt, in luce sunt, proinde in sapientia, nam lux ibi est sapientia; et mirum, qui in nimbo sunt, non videre possunt illos qui in luce quod in luce sint, at qui in luce sunt, videre possunt illos qui in nimbo quod in nimbo sint. Quia agitur de progressione Divini Domini versus inte-

riora, Jacob hic vocatur Israël; at ubi non de progressione illa, vocatur Jacob, ut in Versu hujus Capitis mox praecedente 20, et in ultimo.

4599. Et tetendit tentorium suum ab ultra turrim Eder, quod significet interiora illius, constat ex significatione tendere tentorium, quod sit progressio sancti, hic versus interiora; quod tentorium sit sanctum, videatur n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312. 4391; [35] ex significatione ab ultra turrim, quod sit in interiora, de qua sequitur; et ex significatione Eder, quod sit quale status, nempe progressionis sancti ad interiora; turris illa ab antiquo significationem istam habuit, sed quia in Verbo non ulterius occurrit, praeter apud Josuam Cap: XV: 21; non confirmari, sicut alia nomina, ex parallelis locis potest. Quod ab ultra turrim, sit ad interiora, est quia illa, quae interiora sunt, exprimuntur per excelsa et alta, ita per montes, colles, turres, tecta domorum, et similia; causa est, quia interiora apparent coram mentibus, quae ex naturalibus mundi per sensualia externa trahunt suas ideas, sicut superiora, n: 2148: quod turres significent interiora, constare quoque potest ex aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam „Vinea fuit dilecto meo in cornu filii olei, quam circumdedit et elapidavit, et plantavit illam vite nobili, et *aedificavit turrim in medio illius*," V: 1. 2, Vinea pro Ecclesia spirituali, vitis nobilis pro spirituali bono, aedificavit turrim in medio ejus, pro interioribus veri: similiter etiam in parabola Domini apud Matthaeum „Homo paterfamilias plantavit vineam, et sepem ei circumposuit, et fodit in ea torcular, et *aedificavit Turrim*, et locavit eam agricolis," XXI: 33. [36] Marc: XII: 1. Apud Ezechielem „Filii Arvad et exercitus tuus super muris tuis circumcirca, et Gammadaei in *Turribus tuis* fuerunt, scuta sua suspenderunt super muris tuis circumcirca; hi perfecerunt pulchritudinem tuam," XXVII: 11; ibi de Tyro, per quam significantur cognitiones boni et veri, seu ii qui in illis sunt; Gammadaei in turribus ejus, pro cognitionibus veri interioris. Apud Micham „Regnabit Jehovah super eos in monte Zionis, a nunc et in aeternum, et tu *Turris gregis*, clive filiae Zionis, ad te veniet, et redibit regnum prius, regnum filiae Hierosolymae," IV: 7. 8; describitur ibi Regnum coeleste Domini, ejus intimum per montem Zionis quod est amor in

Dominum, ejus derivativum per clivum filiae Zionis quod est amor mutuus, qui in spirituali sensu charitas erga proximum vocatur, ejus interiora vera boni per turrim gregis; quod inde Regnum spirituale coelestis, significatur per Regnum filiae Hierosolymae. Apud Davidem „Laetabitur mons Zionis, exultabunt filiae Jehudae, propter judicia tua, circumdate Zionem, et circumcingite eam, *numerate turres ejus*," Psalm: XLVIII: 12. 13; turres ibi pro interioribus veris, quae defendunt illa quae amoris et charitatis sunt. Apud Lucam „Quicunque non portat crucem suam, et venit post Me, non potest meus esse discipulus: quis namque ex vobis, *cum vult Turrim aedificare*, nonne prius sedens calculat sumtum, num habeat quae ad perfectionem pertinent; aut quis rex est pergens ad committendum cum altero rege bellum, nonne sedens prius consultat, num potens sit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit contra illum," XIV: 27. 28. 31. 33; qui internum sensum Verbi non scit, is non aliter opinatur, quam quod comparative ibi loquutus Dominus, et per aedificare turrim et facere bellum non aliud intellectum sit, nesciens quod omnes comparationes in Verbo sint significativae et repraesentativae, et quod aedificare turrim sit comparare sibi vera interiora, et quod facere bellum sit ex illis pugnare, agitur enim ibi de Tentationibus, quas illi qui ab Ecclesia, et ibi vocantur Domini discipuli, subeunt; tentationes illae significantur per crucem suam quam portabunt; et quod nequaquam ex se et suo, sed a Domino vincant, significatur per qui non abnegat omnes suas facultates, non potest esse meus discipulus; ita haec cohaerent, at si illa, quae de turri et bello memorantur, solum comparative absque interiori sensu intelliguntur, non cohaerent; inde patet, quid lucis a sensu interno habetur. Interiora illorum, qui in amore sui et mundi sunt, ita falsa, ex quibus pugnant, et quibus confirmant religiosum suum, in opposito sensu per Turres etiam exprimuntur; ut apud Esaiam „Deprimetur altitudo virorum, et exaltabitur Jehovah Zebaoth super omnem superbum et altum, et super omnem elatum, et humiliabitur, et super omnes cedros Libani altas et elatas, et super omnes quercus Baschanis, et super omnes montes altos, et super omnes colles elatos, et *super omnem Turrim excelsam*, et super omnem mu-

rum munitum," II: 11 ad 18; ubi interiora et exteriora amorum illorum per cedros, quercus, montes, colles, turrim, et murum, describuntur, falsa interiora per turrim; ita quoque interiora per illa quae alta sunt; sed cum differentia, quod qui in his, nempe malis et falsis sunt, se altos et supra alios credant, sed qui in bonis et veris, se minores et infra alios, Matth: XX: 26. 27. Marc: X: 44; at usque bona et vera per alta describuntur, quia in Coelo propius Altissimo, hoc est, Domino, sunt. Praeterea Turres in Verbo praedicantur de veris, montes autem de bonis.

4600. Et factum in residendo Israël in terra hac, quod significet cum in hoc statu, nempe boni ex vero, constat ex significatione residere, quod sit vivere, residere enim simile significat ac habitare, sed cum differentia, quod residere praedicetur de vero, habitare autem de bono, quod habitare sit esse et vivere, ita status, videatur n: 3384; [37] ex significatione terrae, quod sit Ecclesia quoad bonum, de qua n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118. 2571. 2928. 3355. 4447. 4535, hic quoad bonum veri, hujus status, in quo nunc Israël, est qui significatur.

4601. Et ivit Ruben, et cubuit cum Bilhah concubina patris sui, quod significet prophanationem boni per fidem separatam; et audivit Israël quod significet quod rejecta illa fides, constat ex repraesentatione Rubenis, quod sit fides doctrina et intellectu, quae primum est Ecclesiae, de qua n: 3861. 3866, hic fides illa separata a charitate, de qua sequitur; et ex significatione cubare cum Bilhah concubina patris, quod sit prophanatio boni; adulterari enim significat pervertere seu adulterare bona, n: 2466. 2729. 3399; at cubare cum concubina patris, est prophanare illa; et ex significatione audivit Israël, quod sit rejecta illa fides; in proprio sensu quod audivit Israël, significat, quod hoc noverit et annuerit Ecclesia spiritualis, per audire enim significatur auscultare, et per Israëlem Ecclesia spiritualis; sed quod vera Ecclesia non annuat, patebit ab illis, quae de Rubene dicentur; at in sensu interno significat quod rejecta sit illa fides; non enim dicitur, quid Jacob de nefario illo facinore senserit et cogitaverit, sed quod prorsus aversatus sit et abhorruerit, patet a Prophetico ejus de Rubene „Ruben pri-

mogenitus meus tu, robur meum, et initium virtutis meae, excellens honore, et excellens potentia: levis sicut aquae, *ne excellas, qui ascendisti cubilia patris tui, tunc prophanasti, stratum meum ascendit,*" Genes: XLIX: 3. 4; et quod Ruben ideo deprivatus sit primogenitura," I Chron: V: 1; inde patet, quod per audivit Israël, significetur quod rejecta illa fides; quod primogenitura sit Ecclesiae fides, videatur n: 352. 2435. 3325. Prophanatio boni per fidem separatam fit, quando verum Ecclesiae et bonum ejus agnoscitur et creditur, et tamen contra illa vivitur; apud illos enim, qui separant illa quae fidei sunt ab illis quae charitatis in intellectu et inde vita, malum cum vero et falsum cum bono conjunguntur, ipsa haec conjunctio est, quae dicitur prophanatio; aliter apud illos, qui tametsi sciunt quid verum et bonum fidei, usque non corde credunt; videantur quae de prophanatione prius, n: 301. 302. 303. 571. 582. 593. 1001. 1003. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426. 3398. 3399. 3402. 3489. 3898. 4289. 4050, dicta et ostensa sunt; et quod prophanatio boni per fidem separatam, repraesentata sit, per Cainum quod occiderit Abelem, per Cham quod a patre suo maledictus, et per Aegyptios quod immersi mari rubro, n: 3325; et quod hic per Rubenem, n: 3325. 3870. Ut salvari potuissent illi qui ab Ecclesia spirituali sunt, Dominus miraculose separavit intellectualem eorum partem a voluntaria, et intellectuali indidit potentiam recipiendi novum voluntarium, n: 863. [38] 875. 895. 927. 928. 1023. 1043. 1044. 2256. 4328. 4493; cum itaque intellectuale capit et percipit bonum quod est fidei, et sibi appropriat illud, et voluntarium hominis, hoc est, velle male, usque regnat et imperat, tunc conjunctio fit veri et mali ac boni et falsi, haec conjunctio est prophanatio, et intelligitur per indigne edere et bibere in Sancta coena, a quibus separari bonum quod per corpus, et verum quod per sanguinem ibi, significatur; quae enim ita conjuncta sunt, nusquam in aeternum possunt separari, quare illos profundissimum infernum manet; at qui sciunt quid verum et bonum fidei, et tamen non corde credunt, ut apud perplurimam partem hodie, non possunt prophanare, quia intellectuale non recipit, et se illo imbuit. Agitur hic de rejectione hujus fidei, quia in mox sequentibus agitur de veris et bonis in suo genuino

ordine, et mox de conjunctione illorum cum Rationali seu Intellectuali; Jacobi filii, qui mox nominantur, sunt vera et bona in illo ordine, et Jischak est Rationale seu Intellectuale, adventus Jacobi cum filiis ad Jischakum, est in sensu interno conjunctio illa cum Intellectuali.

4602. Vers: 22. 23. 24. 25. 26. *Et fuerunt filii Jacobi duodecim. Filii Leae, primogenitus Jacobi Ruben, et Schimeon, et Levi, et Jehudah, et Jisaschar, et Sebulun. Filii Rachelis, Joseph et Benjamin. Et filii Bilhae ancillae Rachelis, Dan et Naphthali. Et filii Silpae ancillae Leae, Gad et Ascher: hi filii Jacobi, qui nati illi in Paddan Aram.* Fuerunt filii Jacobi duodecim, significat statum omnium nunc in Divino Naturali; filii Leae, significat Divina Bona et Vera suo ordine externa; primogenitus Jacobi Ruben, significat fidei bonum: et Schimeon, et Levi, et Jehudah, et Jisaschar, et Sebulun, significat essentialia illorum; filii Rachelis, Josephus et Benjamin, significat bona et vera interiora; et filii Bilhae ancillae Rachelis, Dan et Naphthali, significat sequentia interioribus inservientia: et filii Silpae ancillae Leae, Gad et Ascher, significat exterioribus inservientia: hi filii Jacob qui nati illi in Paddan-Aram, significat originem et statum eorum nunc.

4603. Fuerunt filii Jacobi duodecim, quod significet statum omnium nunc in Divino Naturali, constat a repraesentatione Jacobi, quod sit Divinum naturale, de qua saepius prius; et a significatione duodecim, quod sint omnia, et cum duodecim praedicantur de filiis Jacobi seu de tribubus ab illis nominatis, quod sint omnia veri et boni, de qua n: 2089. 2129. 2130. 3272. 3858. 3913. 3939. Dictum est de Naturali Domini, quomodo Ipse illud in Se Divinum fecit, Jacobus enim illud repraesentavit, mox autem agitur de conjunctione Divini Naturalis cum Rationali, quae conjunctio repraesentatur per adventum Jacobi cum Jischako, Jischakus enim repraesentat Divinum Rationale Domini, inde est quod recenseantur denuo omnes filii Jacobi; in Naturali enim omnia veri et boni debuerunt esse, antequam plene conjungi potuit cum Rationali, quia naturale inservit Rationali pro receptaculo, ideo recensitio illa: sed sciendum, quod filii Jacobi nunc alio ordine quam prius, nominentur, ultimo enim loco filii Bilhae et Silpae, nempe Dan, Naph-

tali, Gad et Ascher, qui tamen prius nati sunt quam Jisaschar, Sebulun, Joseph et Benjamin; causa est, quia hic agitur de ordine in quo sunt vera et bona in Naturali, cum hoc Divinum factum est, nam secundum statum rei de qua agitur, est ordo nominationis eorum, videatur n: 3862. 3926. 3939.

4604. Filii Leae, quod significet Divina Bona et Vera suo ordine externa, constat ex repraesentatione Leae, quod sit affectio veri externi, de qua n: 3793. 3819; inde filii ejus sunt illa, quae repraesentantur per Rubenem, Schimeonem, Levi, Jehudam, Jisaschar et Sebulun, de quibus sequitur.

4605. Primogenitus Jacobi Ruben, quod significet fidei bonum, constat a significatione primogeniti, quod sit fides, de qua n: 352. 367. [39] 2435. 3325; et a repraesentatione Jacobi, quod sit bonum veri naturalis, de qua n: 4538; et a Rubenis, quod sit quale fidei; Ruben enim in genuino sensu significat verum fidei, n: 3861. 3866; at postquam verum fidei factum est bonum, significat bonum fidei; fides etiam in se spectata est charitas, ita verum fidei in se spectatum est bonum fidei, tam quia fides nusquam dabilis est nisi a charitate, seu verum non dabile nisi a bono, quare cum homo regeneratus est, bonum primo loco est seu primogenitum, videatur n: 3325. 3494; inde est, quod per primogenitum Jacobi Rubenem hic significetur fidei bonum; simile etiam apud Mosen „*Vivat Ruben*, et ne moriatur, et erit, mortales ejus numeri" Deut: XXXIII: 6; quod Ruben hic sit bonum fidei, est quia primo loco ponitur, et secundo Jehudah, ita alio ordine in prophetico hoc Mosis de filiis Israëlis, quam in prophetico Jacobi Genes: XLIX, nam ut supra n: 4603 fin: dictum, ordo nominationis eorum fit secundum statum rei de qua agitur: similiter apud Johannem „Audivi numerum obsignatorum centum quadraginta quatuor millia obsignati ex omni tribu: ex tribu Jehudae duodecim millia obsignati, *ex tribu Ruben* duodecim millia obsignati, ex tribu Gad duodecim millia obsignati" Apoc: VII: 4. 5; ibi Jehudah primo loco nominatur, et Ruben secundo, ac Gad tertio; hi tres ibi constituunt primam classem, et quia ibi de Regno Domini agitur, Jehudah significat bonum coeleste quale in intimo seu tertio coelo, Ruben bonum spirituale, quod idem est cum bono fidei, quale est in secundo seu medio coelo, et

Gad bonum naturalis quale est in primo coelo. Aliter vero in prophetico Deborae et Baraki „Principes in Jisaschar cum Debora, et Jisaschar sic Barack, in vallem missus pedibus suis, in classes *Rubenis* magna statuta cordis; quare habitas inter sarcinas duas ad audiendum exsibilationes catervarum, ad classes *Rubenis* magnas pervestigationes cordis" Judic: V: 15; nisi sciatur quid repraesentant Jisaschar, Debora, Barack, Ruben, et quid significant principes, vallis, classis, statuta cordis, sarcinae duae, exsibilationes catervarum, nemo scire potest quid per illa verba intelligitur; quod Ruben ibi sit fides, patet.

4606. Et Schimeon, et Levi, et Jehudah, et Jisaschar, et Sebulun, quod significent essentialia illorum, nempe Divinorum bonorum et verorum externorum, constat ex repraesentatione cujusvis, nempe *Schimeonis*, quod sit in supremo sensu Providentia, in interno fides voluntate, in externo obedientia, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872; *Levi*, quod sit in supremo sensu Amor et Misericordia, in interno charitas seu amor spiritualis, in externo conjunctio, de qua n: 3875. 3877; *Jehudae*, quod sit in supremo sensu Divinum Amoris Domini, in interno coeleste regnum Domini, in exteriore doctrina e Verbo quae est Ecclesiae coelestis, de qua n: 3881; *Jisascharis*, quod sit in supremo sensu Divinum bonum veri et verum boni, in interno amor conjugialis coelestis, in externo amor mutuus, de qua n: 3956. 3957; et ex repraesentatione *Sebulonis*, quod sit in supremo sensu Ipsum Divinum Domini et Divinum Humanum Ipsius, in interno conjugium coeleste, et in externo amor conjugialis, de qua n: 3960. 3961: haec sunt essentialia, quae in Divinis bonis et veris externis Domini; at singula explicare quomodo insunt, nemo potest nisi qui in luce coelesti est, nam ibi apparent illa sicut responsa in Urim et Thumim per lucis et flammae evibrationes, et inde perceptionem a Domino; in Urim enim et Thumim erant duodecim lapides pretiosi secundum duodecim tribus Israëlis.

4607. Filii Rachelis Josephus et Benjamin, quod significent bona et vera interiora, constat a repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819, inde filii Rachelis sunt bona et vera interiora; horum essentialia repraesentantur per Josephum et Benjaminem;

per *Josephum* in sensu supremo Divinum spirituale, in interno Regnum spirituale, in externo bonum ejus, de qua n: 3969; et per *Benjaminem*, Divinum spirituale coelestis, de qua n: 3969. 4592: haec sunt in bonis et veris interioribus.

4608. Et filii Bilhae ancillae Rachelis, Dan et Naphtali, quod significent sequentia interioribus inservientia, constat ex repraesentatione Bilhae ancillae Rachelis, quod sit affectio sequens inserviens affectioni veri interioris pro medio, de qua n: 3849; ancilla etiam est medium inserviens conjunctioni, n: 3913. 3917. 3931; filii ejus sunt talia media; per bona et vera sequentia intelliguntur illa bona et vera, quae non immediate intrant, sed quae inde derivantur et sicut famulae adjunguntur, tum etiam quae sunt mediantia et promoventia: essentialia eorum repraesentantur per Danem et Naphtali; per *Danem* in supremo sensu Justitia et Misericordia, in interno sanctum fidei, et in externo bonum vitae, n: 3921. 3923; et per *Naphtali*, in supremo sensu propria Potentia, in interno tentatio in qua vincit, et in externo resistentia a naturali homine, n: 3927. 3928; haec sunt essentialia mediorum inservientium bonis et veris interioribus.

4609. Et filii Silpae ancillae Leae, Gad et Ascher, quod significet exterioribus inservientia, constat ex repraesentatione Silpae ancillae Leae, quod sit affectio sequens inserviens affectioni veri exterioris pro medio, de qua n: 3835; ancilla est medium inserviens conjunctioni, ut mox supra n: 4608; filii ejus sunt talia media; quorum essentialia repraesentantur per Gadem et Ascherem; per *Gadem* in supremo sensu Omnipotentia et Omniscientia, in interno bonum fidei, et in externo opera, n: 3934; per *Ascherem* in supremo sensu Aeternitas, in interno felicitas vitae aeternae, in externo jucundum affectionis, n: 3938. 3939. Haec sunt quae involvit recensio filiorum Jacobi nunc; sed quomodo cohaerent, ac unum sequitur alterum, et unum continetur in altero, non videri potest in luce mundi, nisi haec illustrata sit a luce coeli; at quae tunc apparent, usque sunt talia, quae non cadunt in voces; voces enim humanae sunt ex ideis formatis ab illis quae sunt in luce mundi, has transcendunt ideae quae sunt ex luce coeli, in tantum ut exprimi ne-

queant, sed modo quoad partem cogitari ab illis quibus datum est mentem a sensualibus abducere.

4610. Hi filii Jacobi qui nati illi in Paddan-Aram, quod significet originem et statum eorum nunc, constat ex illis quae de filiis Jacobi in genere et in specie nunc dicta sunt, quod nempe per illos significata sint in communi omnia quae in Divino Naturali Domini, n: 4603, adeo ut illa simul sumta nunc sint Jacobus: origo eorum significatur per quod nati illi in Paddan-Aram, seu ex cognitionibus veri et boni, hae enim per Paddan-Aram, significantur n: 3664. 3680; quia omnia simul sumta nunc sunt Jacobus, ideo in Lingua originali dicitur, *qui* [40] *natus illi*, in singulari. In nunc sequentibus agitur de Conjunctione Divini Naturalis cum Divino Rationali, conjunctio illa per adventum Jacobi ad Jischakum patrem suum repraesentatur.

4611. Vers: 27. 28. 29. *Et venit Jacob ad Jischakum patrem suum Mamre Kiriath Arba, haec Chebron, ubi peregrinatus Abraham et Jischak. Et fuerunt dies Jischaki, Centum anni et octoginta anni. Et exspiravit Jischak, et mortuus est, et collectus* [41] *ad populos suos, senex et satur dierum, et sepeliverunt illum Esau et Jacob filii illius.* Venit Jacob ad Jischakum patrem suum, significat quod nunc Divinum Rationale cui conjunctum: Mamre Kiriath Arba, significat statum ejus: haec Chebron significat statum cum conjuncta: ubi peregrinatus Abraham et Jischak, significat vitam Divinam simul: et fuerunt dies Jischaki, significat statum Divini Rationalis nunc: centum anni et octoginta anni, significat quale status: et expiravit Jischak et mortuus est, significat exsuscitationem in Divino Naturali: et collectus ad populos suos, significat quod nunc inter illa quae Divini Naturalis: senex et satur dierum, significat novum vitae: et sepeliverunt illum Esau et Jacob filii illius, significat quod resurrexerit in bono et bono veri Naturalis.

4612. Venit Jacob ad Jischakum patrem suum, quod significet quod nunc Divinum Rationale cui conjunctum, constat a repraesentatione Jacobi, quod sit Divinum Naturale in statu de quo mox supra a n: 4604 ad 4610; et a repraesentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale, de qua n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 3012. 3194. 3210; conjunctio significatur

per quod venerit ad illum. In sequentibus usque ad finem Capitis, agitur de conjunctione Naturalis cum Rationali; et quia ita, in mox praecedentibus descriptum est Naturale quale fuit, quod nempe in illo omnia boni et veri; quale ejus significatum est per duodecim filios Jacobi, nam, ut ostensum, quilibet eorum aliquid commune veri et boni repraesentat. Quod conjunctionem Naturalis et Rationalis, de qua in sequentibus agitur, concernit, sciendum, quod Rationale prius et facilius recipiat vera et bona quam Naturale, n: 3286. 3288. 3321. 3368. 3498. 3513; est enim Rationale purius et perfectius quam Naturale, quia interius seu superius, et in se spectatum in luce coeli, cui adaptatum est, inde est quod rationale illa quae sunt lucis illius, nempe vera et bona, seu quod idem, quae sunt intelligentiae et sapientiae, prius et facilius quam Naturale recipiat; Naturale autem est crassius et imperfectius, quia exterius seu inferius, et in se spectatum in luce mundi, quae lux nihil intelligentiae et sapientiae in se habet, nisi quantum per Rationale recipit a luce coeli; influxus, de quo Eruditi hodie loquuntur, non alius est. Cum Naturali autem ita se habet; hoc a prima infantia et pueritia suum quale accipit ab illis quae e mundo per sensualia externa influunt, per illa et ex illis homo sibi acquirit intellectuale; sed quia tunc in jucundis amoris sui et mundi est et inde in cupiditatibus, tam ex haereditario quam ex actuali, ideo intellectuale, quod tunc acquirit, talibus est oppletum, et tunc illa quae jucundis ejus favent spectat ut bona et vera; inde ordo eorum in Naturali est inversus seu oppositus ordini coelesti; in quo statu cum est, lux coeli quidem per Rationale influit, inde enim habet quod cogitare, quod ratiocinari, quod loqui, et in externa forma decore et civiliter agere possit, sed usque illa quae sunt lucis, et quae ei conducunt ad felicitatem aeternam, in Naturali non sunt; nam jucunda quae dominantur ibi repugnant illis; jucunda enim amoris sui et mundi in se prorsus opposita sunt jucundis amoris proximi et inde amoris in Dominum; scire quidem potest illa quae sunt lucis seu coeli, sed non potest illis affici, nisi quantum conducunt ad aucupandos honores et captandum lucrum, ita nisi quantum favent jucundis amoris sui et mundi: inde constare potest, quod ordo in Naturali sit prorsus inversus seu oppositus ordini coelesti; quapropter cum lux

coeli per Rationale influit in Naturale, non potest aliter quam ut vel reflectatur, vel suffocetur, vel pervertatur: inde nunc est, quod Naturale prius regenerandum sit, quam conjungi possit cum Rationali; cum enim Naturale regeneratum est, tunc illa quae influunt a Domino per Coelum, ac ita per Rationale in Naturale, recipiuntur, quia concordant; est enim Naturale nihil aliud quam receptaculum boni et veri e Rationali, seu per rationale a Domino. Per Naturale intelligitur Externus homo, qui etiam Naturalis homo vocatur, et per Rationale Internus. Haec praemissa sunt, ut sciatur quomodo se res habet cum illis quae sequuntur, nam ibi de conjunctione Naturalis cum Rationali agitur.

4613. Mamre Kiriath Arba, quod significet statum ejus, constat ex significatione Mamre, quod sit quale et quantum ejus cui adjungitur, de qua n: 2970; et ex significatione Kiriath Arba, quod sit Ecclesia quoad verum, de qua n: 2909, ita verum: inde per Mamre Kiriath Arba significatur status Naturalis quoad verum, et per Chebron status quoad bonum, de qua nunc sequitur.

4614. Haec Chebron, quod significet statum cum conjuncta, constat ex significatione Chebronis, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 2909, hic Divinum Bonum Divini Naturalis Domini, nam quae in interno sensu significant aliquid Ecclesiae, illa in sensu supremo significant aliquid Divini Domini, ex causa quia omne id quod facit Ecclesiam, est a Domino. Quod Chebron significet statum cum conjuncta, nempe Rationale et Naturale, est quia Jischakus ibi fuit, per quem repraesentatur Divinum Rationale Domini, et Jacob illuc venit, per quem repraesentatur Divinum Naturale Ipsius, et per adventum ejus illuc significatur conjunctio, n: 4612. Mamre Kiriath Arba, haec Chebron, dicitur, quia Divinum Naturale per Bonum conjungitur Bono Rationalis, Jischakus enim repraesentat Divinum Rationale Domini quoad bonum, n: 3012. 3194. 3210; Rebecca autem quoad verum, n: 3012. 3013. 3077, et Rebecca hic non memoratur.

4615. Ubi peregrinatus Abraham et Jischak, quod significet vitam Divinam simul, constat ex significatione peregrinari, quod sit vita, de qua n: 1463. 2025; et ex repraesentatione

Abrahami, quod sit Ipsum Divinum Domini, n: 1989. 2011. 3245. 3251. 3439. 3703. 4206. 4207; ac ex repraesentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale Ipsius, n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 2774. 3012. 3194. 3210. 4180. Quia de Conjunctione Divini Naturalis cum Divino Rationali hic agitur, ideo nominantur hic Abraham et Jischak, et dicitur quod ibi peregrinati sint, ut significetur vita Divina simul, nempe una cum Divino Naturali, quod est Jacob; et quia Ipsum Divinum, Divinum Rationale et Divinum Naturale, unum sunt in Domino, ideo dicitur, ubi etiam peregrinatus Abraham et Jischak in singulari, non peregrinati in plurali.

4616. Et fuerunt dies Jischaki, quod significet statum Divini Rationalis nunc, constat ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785; et ex repraesentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale, de qua mox supra n: 4615.

4617. Centum anni et octoginta anni, quod significet quale status, constare potest ex eo, quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495, ita centum anni et octoginta anni significant quale rei, seu quale status, de quo agitur: quod centum sint status plenus, videatur n: 2636, et octoginta tentationes, n: 1963, hic per tentationes; praeter plura, quae non sciri possunt; numeri enim significationem suam habent ex numeris simplicioribus, ex quibus in se ductis seu multiplicatis exsurgunt, prout hic numerus ex duodecim et quindecim, et quoque ex aliis adhuc simplicioribus.

4618. Et exspiravit Jischak et mortuus est, quod significet exsuscitationem in Divino Naturali, constat ex significatione exspirare et mori, quod sit exsuscitatio, de qua n: 3326. 3498. 3505; quando enim in Verbo memoratur de aliquo quod mortuus sit, in sensu interno significatur ultimum ejus et novum in altero, ita continuatio; sicut cum memoratur de Regibus Jehudae et Israëlis quod mortui, seu de summis pontificibus, in sensu interno est finis repraesentationis quae per illos, et continuatio in alio, ita exsuscitatio; etiam qui in altera vita sunt, et tunc apud hominem cum illa leguntur, non aliquam mortem capiunt, quia prorsus nesciunt ibi quid mori, inde loco ejus per-

cipiunt continuum in altero; praeterea cum homo moritur, non moritur nisi quoad corporeum quod ei inserviverat pro usibus in terra, sed continuat vitam quoad suum spiritum in mundo ubi corporea non amplius alicui usui sunt. Quod per exspiravit Jischak et mortuus est, significetur exsuscitatio in Divino Naturali, est quia Rationale vitam non habet, nisi Naturale correspondet, n: 3493. 3620. 3623; se habet hoc sicut visus oculi, is nisi objecta extra se habet quae videat, perit, ita quoque reliqui sensus; pariter si objecta sunt prorsus contraria, ea enim mortem inducunt; et quoque se habet sicut vena fontis cujus aquis nullus effluxus, inde obstipatur: simile est cum Rationali, nisi lucis ejus receptio sit in naturali, perit ejus visus, scientifica enim in naturali sunt objecta visus rationalis; quae objecta si contraria sunt luci, hoc est, intelligentiae veri et sapientiae boni, etiam visus rationalis perit, nam in contraria sibi influere nequit, inde est, quod Rationale apud illos qui in malis et falsis sunt, occludatur, sic ut non pateat per illud communicatio cum coelo, nisi solum quasi per rimas, ut in facultate sint cogitandi, ratiocinandi et loquendi: inde est, ut Naturale cum Rationali conjungi possit, quod ad receptionem praeparandum sit, quod fit per regenerationem a Domino, et tunc cum conjungitur, Rationale vivit in Naturali, nam in naturali videt objecta sua, ut dictum, sicut visus oculi in objectis mundi. Rationale quidem in se vitam habet, distinctam a vita naturalis, sed usque Rationale in naturali est, sicut homo in sua domo, aut anima in suo corpore: se quoque ita habet cum coelis, intimum seu tertium coelum quidem vivit distinctum a coelis qui infra illud, sed usque nisi receptio foret in secundo seu medio coelo, sapientia ibi dissiparetur, similiter nisi receptio lucis et intelligentiae hujus coeli foret in coelo ultimo seu primo, et hujus denique in Naturali hominis, intelligentia illorum coelorum quoque dissiparetur, nisi provideretur a Domino, ut alibi receptio foret; quapropter ita formati sunt coeli a Domino, ut unum alteri inserviat pro receptione, et tandem homo quoad ejus naturale et sensuale pro receptione ultima, nam ibi Divinum in ultimo ordinis est, et transit in mundum: ideo si concordat seu correspondet ultimum cum prioribus, tunc in ultimo sunt priora simul, nam quae ultima sunt, receptacula sunt priorum se, et

ibi successiva simul sunt. Inde patet, quid per exsuscitationem in Divino Naturali intelligitur.

4619. Et collectus ad populos suos, quod significet quod nunc inter illa quae Divini Naturalis, constat ex significatione colligi ad populos, quod, cum de repraesentativis agitur, sit non amplius de illo, de qua n: 3255. 3276, ita hic quod inter illa quae Divini Naturalis sunt, ut quoque sequitur ab illis quae mox supra n: 4618, dicta sunt. Antiqui, cum aliquis moriebatur, dicebant quod collectus sit ad populos, et tunc in proximo sensu intellexerunt, quod inter suos in altera vita esset; quisque enim homo in societate est cum spiritibus et angelis quoad spiritum suum, quum [42] vivit in corpore, inter eosdem quoque venit post mortem, n: 1277. 2379; hoc intellectum est per populos ad quos collectus: at in sensu interno Verbi, ubi de bonis et veris Ecclesiae seu Regni Domini agitur, per colligi ad populos significatur inter vera et bona, quae concordant seu correspondent; societates coelestes omnes sunt in veris et bonis, sed quia vera et bona ibi se habent sicut consanguinitates et affinitates in terra, cum omni differentia, n: 685. 917. 3815. [43] 4121. ita populi sui sunt vera in quibus societates concordes, seu societates quae in veris illis; quod populi sint vera, videatur n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581.

4620. Senex et satur dierum, quod significet novum vitae, constat ex significatione senis, quod sit exuitio prioris status et induitio novi, de qua n: 2198. [44] 3016. 3254. 3492; hic ideo novum vitae; et ex significatione satur dierum, quod sit status plenus.

4621. Et sepeliverunt illum Esau et Jacob filii illius, quod significet quod resurrexerit in bono et bono veri naturalis, constat a significatione sepeliri, quod sit resurrectio, de qua n: 2916. 2917, et quod sit status repraesentationis in alio resuscitatus, n: 3256; ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Naturale Domini quoad bonum, de qua n: 3302. 3576. 4241; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit Divinum Naturale Domini quoad bonum veri, de qua n: 4273. 4337. 4538; ex his et illis, quae supra n: 4618 dicta sunt, patet, quod per sepeliverunt illum Esau et Jacob filii illius, significetur quod resurrexerit in bono et bono veri naturalis. Quod sepeliri in interno

sensu sit resurgere, est quia cum corpus mortuum est, anima resurgat; inde Angeli, cum memoratur in Verbo sepelitio, non cogitant de corpore quod rejicitur, sed de Anima quae resurgit, sunt enim in ideis spiritualibus, ita in illis quae sunt vitae, inde omnia quae sunt mortis in mundo naturali, significant talia quae sunt vitae in mundo spirituali.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, hic de Correspondentia Odoris et Narium cum illo.

4622. *Sunt Habitacula beatorum in altera vita varia, tali arte constructa, ut sint quasi in ipsa arte architectonica, seu immediate ab ipsa arte; de habitaculis beatorum videantur quae prius ab experientia, n:* 1119. [45] 1626. 1627. 1628. 1629. 1630; *haec non solum apparent illis coram visu, sed etiam coram tactu; omnia enim, quae ibi sunt, adaequata sunt sensationibus spirituum et angelorum, inde sunt talia quae non cadunt sub sensum corporeum qualis est hominis, sed sub illum qui est illis qui ibi sunt: scio, quod hoc multis incredibile sit, sed ex causa, quia nihil creditur, quod non oculis corporeis videri, et manibus carneis palpari potest; inde est, quod homo hodie, cui occlusa sunt interiora, nihil sciat de illis quae existunt in mundo spirituali aut coelo; dicit quidem ex Verbo et ex Doctrina, quod coelum sit, et quod angeli, qui ibi, sint in gaudio et in gloria, et praeterea nihil novit; optat quidem ut sciat quomodo se ibi habet, sed cum ei dicitur, usque nihil credit, ex causa quia corde negat dari, cum optat scire, est solum quia tunc in curioso est ex doctrina, non in jucundo ex fide; qui non in fide sunt, illi quoque corde negant; at qui credunt, illi comparant sibi ideas de coelo, ejus gaudio et gloria, ex variis, quisque ex talibus quae suae scientiae ac intelligentiae sunt; at simplices ex sensitivis quae corporis sunt; sed usque plerique non capiunt, quod spiritus et angeli sensationibus polleant multo exquisitioribus, quam homines in mundo, nempe visu, auditu, olfactu, analogo gustus, et tactu,*

ac imprimis jucundis affectionum; si modo credidissent, quod essentia eorum interior esset spiritus, et quod corpus, ac corporis sensationes et membra sint modo adaequata usibus in mundo, et spiritus ac spiritus sensationes et organa adaequata usibus in altera vita, tunc ex se et paene sua sponte venirent in ideas de statu spiritus sui post mortem, cogitarent enim tunc secum, quod spiritus ejus foret ipse ille homo qui cogitat, et qui cupit, desiderat et afficitur, et dein quod omne id sensitivum quod apparet in corpore, esset proprie ejus spiritus, et corporis solum per influxum; et haec postea confirmarent apud se multis, et sic tandem delectarentur illis quae sui Spiritus sunt, plus quam illis quae sui corporis: reipsa etiam ita se habet, quod nempe corpus non sit quod videt, audit, odoratur, sentit, sed spiritus ejus; quapropter cum Spiritus exuitur corpore, tunc in suis sensationibus est, in quibus fuerat cum in corpore, et quidem in multo exquisitioribus; corporea enim, quia crassa respective, sensationes obtusas reddiderunt, et adhuc obtusiores, quia immersit illas terrestribus et mundanis: hoc asseverare possum, quod Spiritus multo exquisitiorem visum habeat, quam homo in corpore, tum quoque auditum, et, quod miraturi, sensum odoris, ac imprimis sensum tactus, vident enim se mutuo, audiunt se mutuo, tangunt se mutuo; hoc quoque is, qui credit vitam post mortem, concluderet ex eo, quod nulla vita dari queat absque sensu, et quod quale vitae sit secundum quale sensus, imo quod intellectuale non sit nisi exquisitus sensus interiorum, et superius intellectuale rerum spiritualium; inde etiam quae intellectualis et ejus perceptionum sunt, vocantur sensus interni. Cum Sensitivo hominis statim post mortem, ita se habet; ut primum homo moritur, et apud illum corporea frigescunt, exsuscitatur ille in vitam, et tunc in statum omnium sensationum, usque adeo, ut primum vix aliter sciat, quam quod in corpore adhuc sit; sensationes enim in quibus est, adducunt illum ita credere, sed cum appercipit quod sensationes exquisitiores habeat, et hoc imprimis quando cum aliis spiritibus loqui incipit, tunc animadvertit quod in altera vita sit, et quod mors corporis ejus fuerit continuatio vitae spiritus ejus: Cum duobus, quos notos habui, loquutus sum eodem die cum sepelirentur, et cum uno qui per-

meos oculos vidit suum loculum et feretrum, et is quia in omni sensatione erat in qua in mundo, loquebatur mecum de exequiis, cum funeralia ejus sequerer, et quoque de suo corpore, dicendo, quod rejiciant illud quia ipse vivit. Sed sciendum, quod illi qui in altera vita sunt, nihil quicquam quod in mundo per oculos alicujus hominis videre possint; sed quod per meos potuerint, erat, quia spiritu cum illis sum, et simul corpore cum his qui in mundo, videatur etiam n: 1880: *ac praeterea sciendum, quod illos, cum quibus in altera vita loquutus sum, non viderim oculis corporis mei, sed oculis spiritus mei, et usque tam clare, et quandoque clarius quam oculis corporis, nam, ex Divina Domini Misericordia, aperta sunt illa quae spiritus mei sunt. Sed scio, quod haec quae hactenus dicta sunt, non credituri sint illi, qui corporeis, terrestribus, et mundanis immersi sunt, hoc est, ii eorum, qui illa pro fine habent, hi enim non alia capiunt quam quae per mortem dissipantur: scio etiam, quod nec credituri sint, qui multum cogitarunt et disquisiverunt de anima, et non simul comprehenderunt quod anima sit ejus spiritus, et quod ejus spiritus sit ipse ejus homo qui vivit in corpore; hi enim non aliam notionem de anima capere potuerunt, quam quod sit aliquod cogitativum, aut flammeum, aut aethereum, quod solum agit in formas organicas corporis, et non in formas puriores quae sunt ejus spiritus in corpore, et sic tale quod cum corpore dissiparetur; et hoc imprimis illi, qui se in talibus confirmarunt per intuitiones sufflatas a persuasione sapientiae prae aliis.*

4623. *Sed sciendum, quod vita sensitiva Spirituum duplex sit, nempe realis et non realis; distincta est una ab altera in eo, quod omne id reale sit quod apparet illis qui in coelo, sed omne id non reale quod illis qui in inferno: quicquid enim venit ex Divino, hoc est, a Domino, hoc reale est, nam venit ab ipso Esse rerum et ex vita in Se; sed quicquid venit ex proprio spiritus, hoc non reale est, quia non venit ex esse rerum et non ex vita in se; qui in affectione boni et veri sunt, illi in vita Domini sunt, ita in vita reali, nam in bono et vero per affectionem Dominus est praesens, sed qui in malo et falso sunt per affectionem, illi in vita proprii sunt, ita in vita non reali, nam in malo et falso Dominus non est praesens. Reale*

a non reali in eo distinguitur, quod reale actualiter sit qualiter apparet, et quod non reale actualiter non ita sit qualiter apparet. Qui in inferno sunt, habent aeque sensationes, et non sciunt aliter quam quod realiter seu actualiter ita sit, prout sentiunt, sed usque cum inspectantur ab angelis, tunc apparent eadem sicut phantasmata et disparantur, et ipsi non sicut homines, sed sicut monstra; loqui etiam datum est cum illis de hac re, et quidam eorum dixerunt, quod credant realia esse, quia vident et tangunt illa, addentes, quod sensus non possit fallere; sed respondere datum, quod usque non realia sint, et hoc esse inde, quia in contrariis sunt seu in oppositis Divino, nempe in malis et falsis, utcunque illa ut realia iis apparent; et praeterea ipsi, quatenus in cupiditatibus mali et in persuasionibus falsi sunt, non sint nisi quam phantasiae quoad cogitationes, et ex phantasiis aliquid videre, est videre illa quae realia sunt ut non realia, et illa quae non realia ut realia; et nisi, ex Divina Domini Misericordia, illis donatum esset ita sentire, nullam vitam sensitivam haberent, proinde nullam vitam, nam sensitivum facit omne vitae: omnem experientiam de his afferre, foret perplures paginas implere. Caveant itaque sibi, cum in alteram vitam veniunt, ne illudantur; sciunt enim mali spiritus coram illis, qui recentes e mundo veniunt, varias illusiones sistere, et si non possunt fallere, usque tentant per illas persuadere, quod nihil reale sit, sed quod idealia omnia, etiam quae in coelo.

4624. *Quod autem Correspondentiam sensus Olfactus et inde Narium cum Maximo Homine concernit; ad Provinciam illam pertinent, qui in Perceptione communi sunt, sic ut dici queant Perceptiones; illis correspondet Olfactus, proinde Organum ejus; inde quoque est, quod olfacere, odorari, sagacem esse, et quoque nares, in communi sermone praedicentur de illis, qui divinatione rem prope tangunt, et quoque qui percipiunt; interiora enim vocum loquelae hominis ex correspondentia cum Maximo Homine plura trahunt, ex causa quia homo quoad spiritum est in societate cum spiritibus, et quoad corpus cum hominibus.*

4625. *Sed Societates, ex quibus totum Coelum, quod est Maximus Homo, consistit, sunt plures, et sunt magis et mi-*

nus universales; magis universales sunt, quibus integrum Membrum, aut Organum, aut Viscus, correspondet; minus universales, quibus partes eorum, et partium partes: unaquaevis Societas est imago totius, nam quod unanimum est, ex totidem sui imaginibus componitur: Societates illae magis universales, quia sunt imagines Maximi, habent societates particulares intra se, quae similiter correspondent: loquutus sum quandoque cum illis, qui in Societate, in quam missus, pertinebant ad provinciam pulmonum, cordis, faciei, linguae, auris, oculi, et cum illis qui ad provinciam Narium, ex quibus etiam scire datum quales sunt, quod nempe sint Perceptiones; perceperunt enim quicquid in Societate contigit in communi, non autem ita in particulari sicut illi qui in provincia oculi sunt, hi enim discernunt et intuentur illa quae perceptionis sunt: et quoque observare datum, quod perceptivum eorum varietur secundum status mutationes communes societatis in qua sunt.

4626. *Cum aliquis Spiritus advenit, etiamsi adhuc e longinquo et in occulto est, usque praesentia ejus percipitur, quoties Dominus id concedit, ex sphaera quadam spirituali, et ex illa noscitur qualis ejus vita est, qualis ejus affectio, et qualis ejus fides; angelici spiritus, qui in exquisitiore perceptione sunt, inde sciunt innumerabilia de statu vitae et fidei ejus: hoc mihi multoties ostensum est. Hae Sphaerae, quando Domino beneplacet, etiam in odores vertuntur; ipse odor manifeste sentitur: quod sphaerae illae vertantur in odores, est quia odor correspondet perceptioni, et quia perceptio est quasi odor spiritualis, inde etiam odor descendit; sed videantur quae de his prius ab experientia allata sunt; de* Sphaeris, *n:* 1048. 1053. 1316. 1504 *ad* 1519. 1695. 2401. 2489. 4464; *de* Perceptione, *n:* 483. 495. 503. 521. 536. 1383. 1384. 1388. 1391. 1397. 1398. 1504. 1640; *de* Odoribus inde, *n:* 1514. 1517. 1518. 1519. 1631. 3577.

4627. *Qui autem referunt interiora narium, in perfectiori statu quoad perceptionem sunt, quam illi qui referunt exteriora earum, de quibus supra: de illis haec licet referre: visum mihi sicut balneum cum longis sedilibus seu scamnis, et inde efflabat calor; apparuit ibi mulier, quae mox disparabatur in*

nubem nigricantem; et quoque auditi infantes, dicentes quod ibi non esse vellent: postmodum aliqui chori angelici sunt appercepti, qui ad me missi avertendi conatus quorundam malorum spirituum causa; et tunc subito supra frontem apparebant foraminula majora et minora, per quae translucebat lux pulchre flavescens, et in lucido illo intra foraminula visae sunt quaedam in niveo; et dein apparebant iterum foraminula alia dispositione, per quae illae quae intus erant, transpiciebant; et rursus alia foraminula, per quae lucidum non ita transmeabat; demum percepta lux candescens: dicebatur mihi, quod ibi essent domicilia earum quae constituunt provinciam Narium internarum, erant enim ex sexu foeminino, et quod perspicacia perceptionis illarum, quae ibi, in mundo Spirituum per talia foramina repraesentetur; spiritualia enim in coelo, repraesentantur per naturalia, seu potius, per talia quae naturalium similia sunt in mundo spirituum: postea dabatur loqui cum illis, et dicebant, quod per repraesentativa illa foramina possent exacte videre illa quae infra fierent, et quod foramina illa appareant conversa ad illas societates, quas observare satagebant, et quia tunc ad me, dicebant quod appercipere possent omnes cogitationis meae ideas, et quoque illorum qui circum me erant; insuper ajebant, quod non solum apperciperent ideas, sed etiam viderent illas varie sibi repraesentatas, sicut quae affectionis boni essent per flammulas convenientes, et quae affectionis veri essent per lucis variationes; adjiciebant, quod viderint quasdam Angelicas societates apud me, et illarum cogitationes per varie colorata, per purpuracea qualia in aulaeis pictis, et quoque per iridea in plano obscuriori, et quod inde perceperint, quod societates illae angelicae essent ex provincia oculi. Visi dein alii spiritus, qui inde dejecti sunt, et huc illuc dispersi, de quibus dicebant, quod tales essent, qui se apud illas insinuaverant causa appercipiendi aliquid, et videndi quid infra ageretur, sed fine insidiandi; haec dejectio observata est, quoties angelici chori adventabant, cum quibus etiam loquutus sum; de illis qui dejecti dicebant, quod referrent mucum narium, et quod essent hebetes et stupidi, et quoque absque conscientia, ita prorsus absque perceptione interiore: mulier quae visa, de qua supra, significabat tales insi-

diatrices, cum illis quoque loqui dabatur, et miratae sunt quod aliquis conscientiam habeat, nesciebant prorsus quid conscientia; et cum dicerem quod sit interior apperceptio boni et veri, et si agitur contra illam apperceptionem, quod sit anxietas, sed hoc non intellexerunt; tales sunt qui correspondent muco qui infestat nares, et qui ideo ejicitur. Ostensum mihi dein Lucidum in quo vivunt quae interna narium referunt, erat lucidum variatum pulchre venis flammae aureae et lucis argenteae, affectiones boni repraesentantur ibi per venas flammae aureae, et affectiones veri per venas lucis argenteae. Et quoque ostensum, quod habeant foramina patentia a latere, per quae vident sicut coelum cum stellis in coeruleo; et dictum, quod in conclavibus earum tanta lux sit, ut meridiana mundi aequiparari nequeat: et insuper dictum, quod apud illas [46] calor sit sicut vernalis aestivus in terra; et quod etiam infantes apud eas sint, sed infantes aliquot annorum; et quod ibi esse non velint, cum insidiatrices illae, seu muci, adventant. Talia Repraesentativa apparent innumerabilia in mundo spirituum; at illa fuerunt repraesentativa perceptionum, in quibus illae sunt quae odoratui internarum narium correspondent.

4628. *Quod porro odores, in quos vertuntur sphaerae perceptionum, attinet, sentiuntur illi tam manifeste sicut odores in terra, sed non perveniunt ad sensum hominis apud quem clausa sunt interiora, nam per viam internam influunt, non autem per externam. Sunt odores illi ex duplici origine, nempe ex perceptione boni, et ex perceptione mali, qui ex perceptione boni sunt, sunt gratissimi, halantes quasi ex fragrantibus horti floribus, et ex aliis fragrantiis, tanta amoenitate, et quoque varietate, ut ineffabile; in talium odorum sphaeris sunt illi qui in coelo: odores autem qui ex perceptione mali sunt, sunt ingratissimi, foetentes et putentes sicut qui ab aquis putidis, ab excrementis, a cadaveribus, et foede olentes sicut a muribus et pediculis domesticis; in talium nidorum sphaeris sunt illi qui in inferno: et quod mirum, ii qui in illis sunt, graveolentiam non sentiunt, imo putores illi eis delectabiles sunt, et cum in illis sunt, in sphaera suorum jucundorum et delitiosorum sunt; at vero cum aperitur infernum, et exhalatio inde ad spiritus bonos pervenit, corripiuntur hi horrore et quoque*

anxietate, sicut illi in mundo, qui in sphaeram foetorum talium incidunt.

4629. *Omnem illam experientiam, quam de sphaeris perceptionum conversis in odores habui, afferre, foret membranam exarare, videantur quae de illis prius, n:* **1514. 1517. 1518. 1519. 1631. 3577**, *memorata sunt; quibus solum haec licet adjicere: percepi quondam multorum spirituum commune cogitationis de Domino quod natus homo, et apperceptum, quod ex meris scandalis consisteret; nam quod cogitant spiritus in communi et particulari, hoc percipitur manifeste ab aliis; odor illius sphaerae percipiebatur similis aquae putidae, et aquae quisquiliis foetidis conspurcatae.*

4630. *Quidam supra caput inconspicuus aderat, quod adesset ex foetore appercepi, qui erat qualis foetor dentium qui excrementitius; et postea apperceptus nidor sicut ex cornu seu osse usto; dein veniebat talium magna turba, assurgens ab inferiori non procul a dorso, sicut nimbus, et quia etiam inconspicui erant, autumabam quod tam subtiles essent, et tamen mali, sed dictum, quod illi ubi sphaera spiritualis est, ibi inconspicui sint, sed ubi sphaera naturalis, ibi conspicui, nam qui ita naturales sunt, ut nihil cogitent de spiritualibus, nec credant infernum et coelum dari, et usque in negotiis suis sunt subtiles, illi sunt tales, et vocantur naturales inconspicui; et manifestantur aliis quandoque per foetorem, de quo supra.*

4631. *Bis et ter etiam afflavit me odor cadaverosus, et cum quaesitum a quibusnam esset, indicatum quod esset ab inferno ubi foedi latrones, et sicarii, et qui facinorosa ex gravi dolo patrarunt. Quandoque etiam odor excrementitius, et cum quaesitum undenam, dictum quod ab inferno ubi adulteri. Et cum odor excrementitius commixtus cadaveroso, dictum quod esset ab inferno ubi adulteri qui etiam crudeles; et sic porro.*

4632. *Cum quondam cogitarem de regimine animae in corpore, et de influxu voluntatis in actiones, apperceptum quod illi qui in inferno excrementitio tunc parumper aperto essent, non aliud cogitarent quam de animae imperio in anum, et de influxu voluntatis in protrusiones excrementorum, inde patuit in quali perceptionis et inde foetoris sphaera essent. Similiter factum cum de amore conjugiali cogitarem, quod tunc*

illi qui in inferno ubi adulteri, nihil nisi quam flagitiosa qualia sunt adulterii et spurca volverent. Et cum de sinceritate, quod illi qui in dolo, nihil nisi facinorosum ex dolo cogitarent.

4633. *Ex his, quae de perceptionibus et quoque de odoribus dicta sunt, patet, quod cujusvis vita, proinde cujusvis affectio manifeste pateat in altera vita: qui itaque credit, quod non sciatur ibi qualis fuerat, et qualis inde vita ei sit, et quod ibi occultare possit suum animum sicut in mundo, multum fallitur: ibi etiam patent non modo quae homo de se novit, sed etiam quae de se non novit, nempe illa quae is per frequentem usum tandem immersit jucundis vitae, nam tunc disparantur a visu et reflexione ejus: ipsi fines cogitationis ejus, et loquelae ejus, et actionum ejus, qui ex simili causa ei occulti facti sunt, in coelo manifestissime percipiuntur; coelum enim in sphaera et perceptione finium est.*

4634. *Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine ad finem Capitis sequentis, et ibi de Correspondentia Auditus et Aurium cum illo.*

ERRATA.

Vol. III. Pag. 304. l. 9. infr. post 402 fige punctum.
— V. Pag. 400. l. 3. post nus pone signum citationis.
— — — 496. l. 8. post om pone signum citationis.
— VI. — 55. l. 20. post scientifica loco semicoli lege comma.
— — — 59. l. 9. post similiter loco semicoli lege colon.

NOTAE CRITICAE
EDITORIS

AD PARTIS QUARTAE VOLUMEN PRIMUM, SEU TOTIUS OPERIS TOM. VI.

Pag. I. Arcana coel. — 1838. inscripsi pro: Arcana coelestia quae in Scriptura Sacra seu Verbo Domini sunt, detecta; hic quae in Genesi: Una cum Mirabilibus quae visa sunt In Mundo Spirituum, et in Coelo Angelorum. Pars Quarta. MDCCLII.

LECTIONES VARIANTES:

Cap. XXXI. Pag. 4. [1] 10. 11. 12. 13. 14. pro 20. 21. 22. 23. 24.

Pag. 5. l. 2. significatur pro significantur; [2] Si pro Et, ut n. 4072. 4079.

— 6. l. 11. Quia pro Ouia.

— 7. l. 5. osculari pro obsculari.

— 10. l. 8. indignationis pro indignatione; l. 26. spectat pro spectet; [3] fines pro finis.

— 11. l. 9. separetur pro Separetur.

— 12. l. 2 infr. sit pro fit.

— 13. l. 20. quoad pro quod.

— 14. l. 1. tales pro talis; [4] et per separationem ..., de qua agitur, non aliud intelligitur. pro non aliud per separationem ..., de qua agitur.; [5] 1822 pro 1922, ut n. 3509.; [6] 3395 pro 3365, ut n. 3944.

— 16. [7] statum pro statem, ut n. 4077.

— 17. l. 14. propius pro proprius, ut n. 4069.

— 20. l. 10. mediate pro mediata.

— 21. [8] 2319.... pro 2321....

Pag. 23. n. 4094. l. 3. propius pro proprius, ut n. 4069.
— 27. [9] 450 pro 453. ut n. 2148.
— 32. [10] vera pro vere.
— 33. [11] sui pro tui. [12] repraesentatur pro repraesentatione.
— 34. [13] 32. pro 31, ut p. 7; l. 15. consulerent pro consulerunt.
— 35. l. 1. legati pro lagati.
— 36. l. 13. infr. quae pro qua.
— 37. [14] 3923. pro 3922.
— 38. [15] X: 10 pro IX: 10. [16] Laban fixit, pro Jacob fixit tentorium, ut p. 6. vers. 25. et n. 4129, l. 1. et 11, cf. l. 5.
— 41. [17] consociatum est pro consociata sunt.
— 43. [18] non pro nont.
— 44. l. 14. quidam pro quidem.
— 45. l. 7 infr. praedicentur pro praedicenter.
— 47. [19] osculari pro oculari, ut l. 3. 5. [20] 3652 pro 3612, ut n. 3720. [21] estque pro est quae. [22] sit pro fit. [23] Sit pro Si.
— 49. l. 15. illius pro illis, ut n. 4150. [24] Labanem pro Labanum.
— 50. l. 22. nusquam pro nusqam.
— 51. l. 3. est pro et.
— 52. l. 1 infr. usque pro usqe.
— 55. l. 5. significantur pro signicantur.
— 59. l. 13 infr. seu pro sui, ut l. 15 infr.
— 60. l. 15. aequum pro equum.
— 61. [25] conscientiam pro conscentiam.
— 64. l. 8. polluta pro pulluta.
— 68. [26] 3973... pro 3074... [27] humanis pro humamanis.
— 71. [28] 1661. pro 1616, ut n. 2819.
— 75. [29] est pro et.
— 76. l. 23. ex pro et.
— 77. [30] iterum pro intrum, ut l. 1. infr. [31] significat pro quod significet.
— 81. [32] Verbo pro Vebo.
— 83. [33] genuini pro genuinae, ut l. 5. et p. 82. l. 2 infr. [34] 4197 pro 4196.

Pag. 85. [35] Verum pro Verbum.
— 86. l. 15. idololatricum pro idolatricum.
— 87. [36] 2874 pro 2174.
— 88. l. 15. comestiones pro commestiones.
— 90. [37] 1726 pro 1728, ut n. 3170. 3696. [38] de pro ne.
— 91. l. 15 infr. fit pro sit; l. 13 infr. tetros pro tetras; l. 11 infr. illustratos pro illustratas.
— 92. l. 23. Leae pro Lea.
— 93. [39] vitae pro vita.
— 95. [40] quia pro qui a.
— 96. n. 4222. l. 2. est cum omnibus et pro et cum omnibus est; l. 14. corporibus pro corporis.
— 97. l. 10 infr. movent pro moveat.
Cap. XXXII. Pag. 104. l. 18. Ecclesiae pro Ecccesiae.
Pag. 106. l. 18. interrogavit pro interogavit.
— 108. [1] 2319. pro 2321, cf. p. 21, not. 8. [2] 4252 pro 4231.
— 109. [3] 56 pro 58. [4] XIII: 46 pro XII: 46. [5] II:... V... pro III:... IV... [6] 25. pro 28.
— 111. [7] 3138 pro 3130, ut n. 3296. [8] 4234 pro 4231.
— 112. l. 18. idem pro idea.
— 113. [9] Ezechielem ... 9. pro Esaiam ... 9. Ezechielem.
— 114. [10] ad pro et.
— 115. l. 7. et 25. sit pro fit; l. 9. illius pro illus; l. 16. et 18. condescendentia pro condescentia; l. 22. inversio pro iniversio.
— 116. [11] angustia pro augustia. [12] bonorum pro bonum; l. 11. sit pro fit.
— 117. l. 13. quotiescunque pro quoties cunque; l. 16. cognitionem: fortassis legendum cogitationem.
— 119. [13] plurium pro plurimum.
— 123. [14] ea pro ex. [15] 9 pro 5.
— 126. l. 15. infr. offerentes pro offerrentes. [16] XXIII: 15. pro XXXIII: 15.
— 127. l. 8. referunt pro referant; l. 9. differentiae pro differentia. [17] qui pro quae. [18] Juvencis pro Juvenus.
— 131. l. 25. angelicam pro angegelicam.
— 133. [19] quia pro qui, ut lin. seq.; l. 23. 4274 pro 4374.

Pag. 134. l. 24. spirituale pro sprituale.
— 135. [20] illud pro illus; l. 3. infr. Domini pro Domiui.
— 136. l. 13. infr. conjugialis pro conjugalis, ut l. 15. infr. et n. 4277.
— 137. [21] 1123 pro 1124; l. 24. num pro mum.
— 138. [22] VII: 2. pro VI: 2. [23] erant pro erunt.
— 143. l. 17. Aegypti pro Egypti. [24] 33 pro 3.
— 144. l. 10. nomine pro nonine. [25] 6 pro 8. [26] Micham pro Ezechielem.
— 145. [27] 2574 pro 2527, ut n. 2625. 3318. 9528. N. H. 302.; l. 18. hominibus pro homininibus.
— 146. [28] 2525 pro 2503. [29] docet pro ducet; [30] Devastatae ... cessavit transiens ... irritum pro Davastatae...cessarunt transciens...irritam, ut n. 477. 3780. 5376. 10422. [31] XXVII: 13. pro XXXVII: 13.
— 147. l. 4. infr. cum pro eum.
— 148. [32] 2722. pro 1722; l. 5. infr. coelis pro coeli.
— 149. [33] 1010 pro 1020, ut n. 3398. 3898; [34] fide pro fidei.
— 150. l. 4. postquam pro post quam.
— 151. [35] notam ... viam tuam pro notum ... vias tuas, ut n. 10565; l. 14. Aegypti pro Aypti.
— 152. [36] est pro et; l. 4. et 3. infr. tura ... Jochschane, pro thura ... Joschane; ... Schuacho pro Schuaoch, ut n. 3237. 3238. 3239; [37] 4290 pro 4291.
— 153. l. 13. Israëlem pro Isralem; [38] tam pro tum.
— 158. [39] 340 pro 343, ut n. 3422; l. 14. propinquatio pro proprinquatio.
— 167. [40] 4293 pro 4291.
— 170. [41] patet pro patent.
— 171. [42] 3479. pro 349, ut J. A. C. s. v. Judaeus; l. 11. infr. conferebat pro conferrebat.
— 172. l. 2. excusarunt pro excusarent. [43] 39 pro 34. [44] 33 pro 3; l. 10. infr. esset pro essent. [45] aeternum pro alterum.
— 173. l. 17. quod pro quid; l. 12. confossos pro confessos; depraedati pro depredati.

Pag. 174. l. 12. quales pro qualis. [46] 4314 pro 4313.
— 175. [47] 21 pro 5; l. 2. infr. haereditarium pro haeriditarium.
— 176. l. 13. accidit pro occidet.
— 177. [48] 4319 pro 4318.
— 182. l. 16. patuit pro potuit, ut l. 11. et l. 20; l. 12. infr. influxu pro iufluxu.
— 184. l. 14. plurium pro plurimum, ut l. 18. 26.
— 185. l. 17. variebantur: lege variabantur.
Cap. XXXIII. Pag. 188. [1] 4060...4231. pro 4061... 4232.
Pag. 190. [2] 2177 pro 2171. ut n. 3464. 5734. 3813. 3880; l. 4. infr. illa: lege illo.
— 191. l. 22. 25. Chaldaeorum pro Chaldeorum, ut n. 1368. 1816.
— 192. l. 4. infr. viri pro veri.
— 193. [3] acceptasti pro accepit, ut n. 4363. 4369; [4] lactentia pro lactantia, ut n. 4374. 4377. 4378. 4382.
— 196. [5] veris pro viris.
— 197. [6] 3286 pro 2286, ut n. 3671.
— 198. l. 7. infr. particulari pro paricularі.
— 201. [7] secundam pro secundum, u. n. 4349.
— 202. l. 5. conjungunt pro conjungit.
— 207. [8] 14. 15. pro 15. 16, ut p. 105. v. 14. 15; l. 9. infr. conjungantur: legerim: conjunguntur; l. 2. infr. coacto legi pro coacta.
— 209. l. 17. infr. admittunt pro admittant; l. 12. infr. quodque colloquantur pro quoque colloquantur.
— 210. l. 21. multam pro multum; l. 10. infr. influit pro iufluit.
— 211. l. 4. datae pro dati; l. 11. quia privantur pro qui privantur; l. 18. at pro et.
— 212. [9] 14. 15. pro 15. 16, cf. not. 8. p. 207; l. 1. infr. sicut foret pro foret sicut.
— 213. l. 11. colloquutionem pro colloquationem.
— 215. l. 16. praecedunt pro praececedunt.
— 217. [10] XXXIII: ... pro XXIII: ..., ut n. 4240.
— 218. [11] diei pro viae, ut n. 3462.
— 219. [12] significat pro significet.

Pag. 220. l. 19. referunt pro referant.
— 221. [13] 1102 pro 1106, ut n. 3210. 4128. 4398; [14] 4289 pro 3489. ut I. A. C. s. v. prophanare.
— 222. l. 7. et 10. tentoriorum pro tentorium.
— 222. 223. [15] 2449. 2451. pro 2450. 2481. cf. n. 2712. 2943.
— 227. [16] vester pro noster, ut n. 4973. 9167. 9293. cf. 2921. not. 8.
— 229. [17] XXXII: 21. pro XXXIII: 21; [18] mittunt pro mittant.
Cap. XXXIV. Pag. 238. [1] 3757 pro 3759.
Pag. 240. [2] omni pro omne, ut n. 7770.
— 241. l. 13. stridor pro strudor, ut l. 2. 5. 8. 10; l. 20. compressit pro cumpressit, ut n. 4426. l. 5. 15. et n. 4433.
— 244. l. 3. illam pro illas, ut p. 241. v. 2. et n. 4430; l. 10. ad vid. pro advid; [3] 2129 pro 2120. ut n. 3272. 3858. 4503; [4] 3793. pro 3763. ut n. 3819. 3838. 3840. 3843. 3860.
— 245. [5] 3546 pro 3544.
— 245. 246. 248. [6] 2928 pro 2929. ut n. 3355. 4600.
— 245. [7] repraesentantur pro repraesentatur; [8] Ecclesia pro Ecclesiae.
— 246. l. 16. 17. 19. 25. Schechem pro Sechem, ut l. 14. 15. p. 247. l. 4. 6. 8. 10. 12. 13. 15. 16. 17. 26. 27. 32. et n. 1439. 1440. 1441.
— 247. [9] XXXIII. pro XXXII.; l. 16. Jerubaalis pro Jerabalis.
— 248. [10] IX: 7. pro X: 7.
— 249. [11] responderent pro responderet.
— 250. [12] 2449 pro 2450.
— 251. [13] multa pro nulla, ut A. E. n. 365. p. 494.
— 252. [14] LXII: 5. pro LXXII: 5.
— 253. [15] XXI: ... pro XXXI: ...
— 257. l. 14. agnoscunt pro agnoscant; l. 17. faciunt pro faciant; l. 3. infr. plicate pro plicato, ut p. 242. v. 12. et n. 4446. 4456.
— 260. l. 3. illis pro illius, ut n. 4438. p. 254. l. 17.
— 261. l. 1. sua pro suae, ut n. 4456. l. 3; [16] jussus pro justus.

Pag. 262. [17] XLIX: ... pro XXIX: ... [18] 597. pro 897. ut J. A. C. s. v. Ecclesia.

— 263. [19] offerrentur pro offerentur.

— 264. [20] restauraretur pro restaureratur; l. 5. societis pro societatis, ut l. 7. 8. et p. 242. l. 3. p. 260. n. 4446; l. 10. 11. signi. pro siigni.

— 265. l. 12. et p. 266. l. 2. [21] Javan pro Javal, ut n. 2967.

— 265. l. 17. p. 266. l. 6. pannag pro pannog, ut n. 2967.

— 265. l. 20. p. 266. l. 7. Chesbonis: secundum text. hebraicum: Chelbonis.

— 265. l. 26. aurum pro aurem, ut p. 266. l. 9. et n. 10199. 10254. cf. 117. 1171. 9881.

— 265. 266. [22] Channeh pro Channoch, ut n. 2967.

— 265. [23] XXVII: ... pro XXVI: ... ut n. 2967; [24] nominatas pro nominatus.

— 266. l. 5. tum pro tam; [25] 479. pro 470.

— 267. l. 23. donum pro domum; l. 26 et 33. [26] consensus pro confessus, ut l. 24.

— 269. [27] ruerent pro ruerunt.

— 270. l. 1. sit pro fit.

— 271. l. 26. perplurimam pro per plurimam.

— 274. [28] 4459 ... 4459. pro 4460 ... 4460.

— 275. l. 24. incredulitate pro in credulitate.

— 278. l. 22. antiquos pro antiqos.

— 279. 292. 297. [29] 2449 pro 2450.

— 281. [30] CXVIII: 5. pro CVIII: 5.

— 283. [31] 3720 pro 2720 ut J. A. C. s. v. Lapis.

— 284. l. 8. homines pro hominis.

— 285. l. 15. significatione pro sigificatione; [32] externis pro internis.

— 286. [33] 863 pro 865, ut n. 4328; [34] viris pro veris, ut l. 3. 10. 14. 19.

— 287. l. 5. sicut pro sic, ut p. 286. l. 1. infr.; l. 4. infr. polluerint pro poluerint, ut p. 243. v. 27. et p. 288. l. 13.

— 288. l. 13. et p. 296. l. 7. infr. polluerint pro polluerit, ut p. 243. v. 27; l. 5. infr. quoad pro quod.

Pag. 290. l. 5. Rehabeam pro Rahabeam, ut l. 7; [35] 40 pro 4 ut n. 901. 2788; [36] eriget pro egerit, ut n. 720. 2405. 5890.
— 291. [37] 2799 pro 2794. [38] 4493 pro 3493; l. 11. charitas pro chatitas.
— 293. l. 12. infr. aversionis pro adversionis, ut l. 11. infr. et n. 3530.
— 294. l. 8. depraeda pro depreda; [39] 3934. 5935. pro 5935. 5936.
— 295. [40] Ita pro Da, ut A. E. n. 405. p. 633.
— 296. l. 6. infr. p. 297. l. 7. polluerint pro polluerit, ut recte p. 243. v. 27. et n. 4494.
— 299. l. 17. terrae pro terra.
— 300. [41] 3546. pro 3544. cf. Vol. V. p. 878. not. 3.
— 301. l. 10. infr. exstite- pro existite-.
— 304. l. 7. didicerunt pro dedicerunt; l. 17. posset: legerim: possent.
— 305. l. 18. diversicolores pro diversi colores; l. 8. infr. quae pro qua; [42] 3213 pro 2213; l. 4. infr. orbe pro orbo; [43] videndi pro vivendi.
— 306. l. 12. incomprehensibili pro in comprehensibili; l. 17. aliquod pro aliquid; l. 19. nusquam pro nusqam; l. 24. apertus pro appertus; [44] qui pro quae.
— 307. l. 14. prae pro pre; l. 16. Aulaeis pro Auleis.
— 308. l. 16. mali pro malis.
Cap. XXXV. Pag. 309. [1] Consummationem pro Consummatione; l. 8. infr. et pro at.
Pag. 310. l. 1. infr. decisae pro decisa.
— 311. l. 18. significantur pro significentur.
— 312. l. 5. infr. Ephratam pro Euphratam, ut n. 4584. 4585.
— 313. l. 10. cubuit pro cubit, ut n. 4597. 4601.
— 315. l. 10. deantur pro deatur; [2] 3546 pro 3544. cf. Cap. 28. p. 574. not. 3. Cap. 34. p. 300. not. 41; [3] 4337 pro 4397. ut n. 4520.
— 316. [4] 2785 pro 2781, ut n. 2912. 2927. 3171. 4092. 4103; l. 4. 3. infr. ab Aegypto ad pro ad Aegypto ab, ut l. 1. infr.; [5] ab pro ad.
— 317. l. 6. Aegyptum pro Aepyptum.

Pag. 318. [6] 4537 pro 4577.
— 319. [7] LII: 1 pro LI: 1. ut n. 2576; [8] XLIV: 19. pro XLV: 19.
— 320. l. 3. erunt: legerim erant.
— 321. l. 11. et pro est.
— 323. l. 4. naturalis pro naturails, ut l. 7.
— 325. [9] in pro a, ut l. 3. et n. 4561; [10] 2449 pro 2450. cf. Cap. 24. not. 29.
— 327. l. 13. ginali pro gnali; [11] 15 pro 13; l. 7. infr. Bacuth pro Bacut, ut l. 4. infr. et n. 4565; l. 6. infr. haereditarium pro haeriditarium.
— 328. [12] 2306 pro 3306. ut J. A. C. s. v. infans; [13] 1573 pro 1473, ut n. 3036. J. A. C. s. v. Dominus; l. 18. praecipue pro precipue; [14] 2308 pro 3208, ut l. 24; [15] 2305 pro 3505, ut J. A. C. s. v. infantia; ib. l. 30. infantia pro infantiae, ut l. 31.
— 329. l. 8. infr. detinetur pro ditinetur; l. 6. infr. sit: legerim sic.
— 330. l. 1. remittuntur pro remittantur, (ut l. 2. tenentur.); l. 21. rejiceretur pro rejicerentur.
— 331. [16] 3006 pro 3009. ut n. 3421. 3861. 4565.
— 333. n. 4571. l. 2. constat pro co n st; n. 4572. l. 2. tionis pro tonis.
— 335. [17] decorum pro honestum; [18] 2846 pro 2816, ut n. 3971. 4573.
— 336. [19] 1940 pro 1949, cf. Cap. 26. not. 5.
— 337. [20] 3704 pro 3304, ut n. 4580.
— 338. [21] 52 pro 5.
— 340. l. 8. comestio pro commestio. [22] 2805 pro 2085. 2801. ut n. 2807. 3519. 4489.
— 343. [23] Bethel pro Bethlechem.
— 344. [24] ille pro illae; l. 20. cogitationis pro cogiationis; l. 27. et 31. adaequat. pro adequat.; [25] Spirituale coelestis pro coeleste spiritualis, ut p. 343. l. 10. 23. 24. s. et n. 4592.
— 345. l. 12. infr. Josephus pro Josepus; l. 3. infr. affectio pro affecto.
— 346. l. 4. quippe pro quippi; l. 5. s. [26] aggrediuntur mala et falsa pro agrediuntur mali et falsi.

Pag. 348. [27] 3422 pro 4322, ut n. 3861. 4298; [28] 44 pro 42; [29] XXII: 69. pro XXV: 69.
— 349. l. 7. Bethlechem pro Bethechem.
— 350. l. 14. infr. Hierosolymae pro Hierosoimae.
— 351. l. 5. Meridiem pro Merediem; l. 15. Benjamin pro Benjam; [30] erit pro erit in, ut 1736. 6000. D. 4.
— 353. [31] quo pro quod; [32] 4593 pro 4592; [33] quia pro qui.
— 354. l. 13. Ephrataea pro Ephra·aea, ut n. 10248. et D. 6; [34] VII: 42. pro VIII: 12.
— 356. [35] 4391. pro 3391. 4391; l. 13. parallelis pro paralelis; l. 15. exprimuntur pro expримantur, ut n. 2148; [36] 35. pro 13.
— 358. [37] 3384 pro 3584, ut n. 3613. 4451. 4540.
— 359. [38] 863 pro 873, ut n. 4328. cf. n. 4493. not. 33.
— 361. l. 10. Jisaschar pro Jisascher; [39] 367. pro 567. ut n. 7035. J. A. C. s. v. Primogenitura; l. 32. 32. 33. millia pro milia, ut l. 31.
— 362. l. 5. exsibilationes pro exsibiliationes, ut l. 9.
— 363. l. 3. spirituale pro sprituale.
— 364. [40] qui pro quo, ut l. 3. et p. 313. v. 26; [41] collectus pro collatus, ut l. 10. infr. et n. 4619. nec non p. 313. v. 29; l. 24. peregrina- pro pegrina-.
— 365. l. 15. infr. oppletum pro oppletium.
— 369. [42] quum pro quam, ut n. 2379. cum; [43] 3815. pro 2815. ut n. 4121; [44] 2198 pro 2298. ut n. 3254.
— 370. [45] 1119. pro 1116.
— 371. l. 13. odoratur pro odorat.
— 373. l. 9. infr. sagacem pro sagax.
— 376. [46] illas pro illos, cf. l. 13. earum et l. 15. eas; l. 27. halantes pro halentes.
— 377. l. 9. consisteret pro conststeret.

---

crystall. pro chrystall. p. 232. l. 15.
Jegar pro Segar. p. 77. l. 1. 14. 17. 26. ut p. 8. v. 47. p. 76. l. 7. infr.
Jischak. pro Jishak. p. 151. l. 1.
parallelism. pro paralelism. p. 286. l. 17.

signif. pro fignif. p. 9. l. 5. infr.; p. 55. l. 22; p. 61. l. 14; p. 134. l. 15; p. 181. l. 10. infr.; p. 183. l. 6.

---

amoen. pro amaen. p. 10. l. 26; p. 161. l. 30. 32. 35; p. 162. l. 1. 2. 3. 5. 8.; p. 231. l. 2. infr.; p. 232. l. 17. 34. 37; p. 274. l. 4. infr.; p. 305. l. 13. 14; p. 376. l. 11. infr.

coel. pro cael. p. 111. l. 12; p. 147. l. 14. infr.

coen. pro caen. p. 88. l. 28. 30. 33; p. 95. l. 8. infr.; p. 94. l. 2; p. 172. l. 2. 4; p. 190. l. 18; p. 340. l. 23; p. 341. l. 10.

coep. pro caep. p. 338. l. 14. 25.

coet. pro caet. p. 156. l. 26. 28; p. 290. l. 5; p. 312. l. 22; p. 331. l. 7; p. 334. l. 15. 18; p. 335. l. 21. 23. 27. 28.

foed. pro faed. p. 69. l. 11. infr.; p. 73. l. 17. 22. 30. 32; p. 77. l. 21; p. 79. l. 11. 20. 20; p. 81. l. 30. 36. 37; p. 83. l. 10. infr.; p. 88. l. 10.; p. 90. l. 1. 8; p. 146. l. 11. infr.; p. 151. l. 1. infr.; p. 168. l. 4. infr.; p. 173. l. 6; p. 178. l. 1. infr.; p. 247. l. 24. 26; p. 248. l. 12; p. 288. l. 13; p. 296. l. 4. infr.; p. 297. l. 18; p. 377. l. 12. infr.

foemin. pro faemin. p. 27. l. 15; p. 28. l. 1. 5. 11. 14. 16. 16; p. 53. l. 14. 27; p. 57. l. 15. 16; p. 76. l. 2. infr.; p. 77. l. 10; p. 82. l. 7 infr.; l. 3 infr. et 1 infr.; p. 101. l. 17; p. 106. l. 5; p. 129. l. 5; p. 131. l. 26. 30; p. 132. l. 18; p. 193. l. 5; p. 204. l. 15. 21. 37; p. 200. l. 4. infr.; p. 242. l. 6. infr.; p. 243. l. 18; p. 278. l. 3; p. 282. l. 8; p. 287. l. 1. infr.; p. 288. l. 20; p. 297. l. 3. et 2. infr.; p. 298. l. 3. 7; p. 375. l. 12.

foen. pro faen. p. 240. l. 7. infr.

foet. pro faet. p. 243. l. 21; p. 254. l. 5. infr.; p. 298. l. 16 et 22; p. 376. l. 8; p. 377. l. 12 et 14. 24. 37.

poenitent. pro paenitent. p. 93. l. 5; p. 151. l. 3. infr.

Adjeci p. 10. l. 3. [possit]; p. 13. l. 21. [et]; p. 15. l. 1. infr. [;]; p. 34. l. 3. infr. [20.]; p. 35. l. 1. [13.]; p. 38. [.9]; p. 47. l. 15. infr. [qua]; p. 49. l. 1. [quod]; p. 67. l. 7. [in]; p. 68. l. 2. [videatur]; p. 70. l. 21. [13.]; p. 72. l. 8. [et]; p. 76. l. 8. [.34. 35]; p. 81. l. 17. [Exod:]; p. 87. l. 6. [vers: 54. 55.]; p. 104. l. 14. [non]; p. 112. l. 8. infr. [.18]; p. 121. l. 20. [½]; p. 126. l. 1. [de];

p. 128. l. 13. [catervam] ut l. 10. infr. et n. 4266. l. 1. p. 105. v. 16; p. 146. l. 19. [.3624]; p. 149. l. 1. s. [humanum: quid]; p. 164. l. 14. [.35. 36.]; p. 170. l. 17. [.19]; p. 173. l. 8. infr. [.4]; p. 180. l. 3. [e]; p. 184. l. 6. infr. [et]; p. 186. l. 3. s. infr. [1316. 1304] ut n. 2401. 2489; p. 192. l. 10. [Exod.]; p. 217. l. 2. infr. [18.]; p. 228. l. 9. infr. [30.]; l. 4. infr. [.23]; p. 233. l. 17. [quo]; p. 252. l. 8. infr. [23.]; p. 266. l. 19. [ad] ut n. 4446; p. 288. l. 10. [et] ut p. 287. l. 6. infr.; p. 307. l. 11. infr. [in]; p. 308. l. 11. infr. [ut]; p. 311. l. 10. [Matth.]; p. 327. l. 22. [El.]; p. 331. n. 4567. l. 1. [adhuc]; p. 343. l. 22. s. [resurrectionem] ut n. 4594; p. 345. l. 12. infr. [Coeleste]; p. 346. l. 6. [et].

Punctum fixi p. 12. l. 7. infr. post 4067; p. 194. l. 15. infr. post conjungendum est; p. 265. l. 24. post tui, ut n. 2967.

— — loco commatis p. 12. l. 11. infr. post tertius; p. 102. l. 14. post IV. V; l. 16. post VI; l. 17. post VII; p. 263. l. 3. post sit; p. 367. l. 4. post 4180.

Colon delevi p. 116. l. 18. post praeparationem; p. 147. l. 14. post Ecclesia.

— fixi p. 71. l. 4. infr. post ejus.

— — loco semicoli p. 16. l. 3. infr. post illo; p. 119. l. 8. infr. post n; p. 125. l. 8. infr. post Divina.

— — — commatis p. 172. l. 5. post Luc.

Semicolon adjeci p. 51. l. 14. post vita; p. 72. l. 12. post illorum; p. 113. l. 17. post nox; p. 151. l. 11. infr. post eam; p. 156. l. 1. infr. post meum; p. 214. l. 7. infr. post nascitur; p. 332. l. 15. post Naturale.

— posui loco commatis p. 116. l. 2. post esse; p. 161. l. 1. post 4271; l. 10. infr. post 3134; p. 305. l. 10. post loquuntur.

Comma delevi p. 4. l. 9. post quales; p. 13. l. 21. post tationes; p. 28. l. 27. post literalis; p. 43. l. 21. post tamen; p. 61. l. 1. infr. post bonum; p. 76. l. 11. infr. post et; p. 97. l. 12. post organicis; p. 116. l. 3. infr. post est; p. 120. l. 13. post tatem; p. 123. l. 7. post Johanne; p. 146. l. 23. post reddam; p. 149. l. 1.

post periret; l. 2. post internorum; p. 203. l. 16. infr. post fiat; p. 307. l. 11. post quod est; l. 16. post Aulaeis; p. 308. l. 16. post spiritus; l. 17. post apparent; p. 328. l. 18. post praecipue; p. 355. n. 4598. l. 2. post ralis.

Comma adjeci p. 4. l. 9. post stas; p. 13. l. 12. post veri; l. 21. post affectiones; l. 29. post multiplex; p. 23. l. 6. post tum; p. 28. l. 21. post vit; p. 31. l. 11. post conjunctio; l. 21. post suum; p. 32. l. 10. post honorum; p. 38. l. 10. infr. post principium; p. 50. l. 11. post organum; p. 51. l. 7. infr. post Verbo; p. 55. l. 13. infr. post dictum; p. 56. l. 13. post videt; p. 58. l. 9. infr. post mearum; p. 60. l. 13. post judicium; p. 61. l. 8. post los; p. 72. l. 1. infr. post essent; p. 74. l. 13. infr. post gentibus; p. 75. l. 10. post commune; p. 76. l. 9. infr. post acervi; p. 79. l. 9. post Israëlis; p. 106. l. 3. infr. post sit; p. 120. l. 13. post boni; p. 123. l. 11. post regeneratur; p. 135. l. 1. post dicetur; p. 137. l. 21. post amorum; p. 146. l. 3. post manae; l. 23. post auro; p. 148. l. 19. post mundano; p. 149. l. 2. post sit; l. 15. post fuisset; p. 151. l. 9. post tuis; p. 153. l. 15. infr. post externa; p. 159. l. 4. infr. post illa; p. 166. l. 2. post spirituale; p. 167. l. 2. infr. post sentationes; p. 171. l. 9. post Ecclesia; p. 183. l. 12. post cogitant; p. 184. l. 4. post candescens; p. 191. l. 9. infr. post bono; p. 198. l. 10. infr. post ejus spiritus; l. 6. infr. post sentiat; p. 214. l. 4. infr. post conjungitur; p. 216. l. 23. post lente; p. 217. l. 2. post statu; p. 231. l. 16. post intellectuali; p. 258. l. 7. post egerint; p. 263. l. 3. post sit; l. 10. post clesia; p. 265. l. 13. post tui, ut n. 2967; p. 267. l. 28. post argenti; p. 305. l. 19. post argento; p. 307. l. 16. post tentorii; l. 18. post Hierosolymae; l. 6. infr. post est; p. 308. l. 2. post Vero; l. 26. post viperae; p. 311. l. 25. post adsit; p. 328. l. 17. post reconditum; l. 24. post agunt; p. 341. l. 17. post bamen; l. 18. post falsa; p. 348. l. 19. post verum; p. 352. l. 18. post spirituale; p. 355. n. 4598. l. 2. post nunc; p. 360. l. 12. infr. post boni; p. 363. l. 13. post guntur; l. 29. post ra.

Comma posui loco coli p. 27. l. 7. infr. post hominem; p. 72. l. 9. post Labane.

— — — semicoli p. 22. l. 2. infr. post Ipso; p. 31. l. 8. infr. post suum; p. 55. l. 20. post scientifica; p. 72. l. 21. post dere; p. 73. l. 23. post operum, ut l. 31; p. 109. l. 11. post coelum; p. 131. l. 12. infr. ante et binas; p. 168. l. 14. infr. post idem; p. 181. l. 4. post sensuum; p. 288. l. 3. infr. post involvant; p. 333. l. 9. post cat; p. 343. l. 1. post interius; p. 366. l. 10. post sunt.

Signum citationis delevi p. 145. l. 2. infr. post lum; p. 146. l. 3. post manae.

— — adjeci p. 2. l. 13. infr. post relinquetur; p. 89. l. 14. ante Quod; p. 103. l. 14. post transibunt; p. 110. l. 23. et 25. ante Castra; p. 160. l. 13. ante cognoverit; p. 171. l. 9. infr. ante locavit; l. 4. infr. ante homine; p. 172. l. 5. ante divite; l. 6. ante qui; l. 7. ante duobus; l. 14. post vestrorum; l. 13. infr. ante progenies; p. 173. l. 15. infr. ante cubuerit; p. 188. l. 9. infr. post derelinquetur; p. 238. l. 20. post dentium; p. 252. l. 11. ante homine; l. 13. ante decem; p. 259. l. 12. ante Judicium; p. 289. l. 21. ante irent; l. 23. ante parati; l. 25. ante de; l. 26. ante super; l. 28. ante qui; l. 30. ante Josua; l. 31. ante Jehovah; l. 34. ante Jonathan; p. 290. l. 2. ante Tria; l. 6. ante abi; l. 9. ante se; l. 10. ante fun-; l. 12. ante Jonas; l. 15. ante miserit; l. 16. ante ter; l. 17. ante dixerit; p. 341. l. 23. ante Filii; p. 349. l. 5. infr. ante viderit; l. 1. infr. ante multi; p. 350. l. 2. ante quod; l. 4. ante dederit; l. 4. infr. post Jehovae.

ARCANA COELESTIA

QUAE IN

SCRIPTURA SACRA

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

HIC QUAE IN

GENESI

UNA CUM MIRABILIBUS

QUAE VISA SUNT

IN MUNDO SPIRITUUM ET IN COELO ANGELORUM.

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG.

AD FIDEM EDIT. PRINCIP. 1749 ss. LONDINI EXCUSAE
DENUO CASTIGATIUS EDIDIT

D: JO. FR. IM. TAFEL.

PARTIS QUARTAE
VOL. II.
SEU TOTIUS OPERIS VOL. VII.

PROSTAT
TUBINGAE
IN BIBLIOPOLIO ZU - GUTTENBERG.
1839.



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

4635. Quia in Praemissis ante Capita Geneseos hactenus explicata sunt, quae Dominus apud Matthaeum Cap: XXIV, praedixerat de Ultimo tempore Ecclesiae; et quia apud eundem Evangelistam eadem continuantur Capite XXV, licet etiam illa suo ordine quoad sensum internum explicare, quae in litera haec sunt: *Tunc simile fiet Regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exiverunt in occursum Sponsi: quinque autem erant ex illis prudentes, quinque vero stultae; quae stultae accipientes lampades suas non acceperunt secum oleum; verum prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus suis. Tardante autem Sponso, dormitarunt omnes, et obdormierunt: media autem nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite in occursum Ipsius: tunc excitatae sunt omnes virgines istae, et adornarunt lampades suas: verum stultae prudentibus dixerunt, date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur; responderunt autem prudentes, dicentes, ne forte non sufficiat nobis et vobis; abite vero potius ad vendentes et emite vobis Ipsis: abeuntibus autem illis ad emendum, venit Sponsus, et paratae ingressae sunt cum Ipso ad nuptias, et clausa est janua. Postêa vero veniunt etiam reliquae virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ipse vero respondens dixit, amen dico vobis, non novi vos. Vigilate itaque, quia non scitis diem, neque horam, in qua Filius hominis venturus est.*

4636. Quod per hanc Parabolam Dominus adventum suum descripserit, constat a singulis, et a fine, ubi dicit „Vigilate

A



...nest,
...coelos
...elevatus
...et a singulis
...rabola in sen-

...um *decem virgini-*
...veteris et primum no-
...ra; decem virgines sunt
...qui in bono et vero, quam
...su interno sunt reliquiae, et
...rgines sunt illi qui in Ecclesia;
...*accipientes lampades suas,* si-
...coeleste, seu vera in quibus bo-
...in qua charitas erga proximum, et
...Dominum, oleum enim est bonum
...lampades in quibus non oleum,
Exiverunt in occursum Spon-
...uinque autem erant ex illis
...nificat partem eorum qui

'n quibus non
'nsu

at
asa
runt
.; dor-
ae sunt
s dubium
negativum.
tempus quod
oc tempus est
Ecclesiae; cla-
in occursum Ip-
ceptationem et re-
gines istae, adorna-
tionem omnium, nam
e acceptari se credunt,
n, putant enim fidem so-
i fides sit ubi non est chari-
dixerunt, date nobis de oleo
extinguuntur, significat quod
is suis inanibus, seu fidei suae
enim et coelestia omnia in altera
sed non nisi per bonum. *Respon-*
dicentes, ne forte non sufficiat nobis
communicari non possit, quia parum
ur; ita enim cum communicatione boni
absque bono sunt in altera vita se habet,
bonum, et sibi appropriant, et non cum
sed conspurcant id, quapropter non fit ali-
boni cum illis; de his ab experientia videbi-
dis seq: XXXVII. *Abite vero potius ad ven-*
nobis ipsis, significat bonum meriti, qui id ja-
lentes; etiam illi qui in vero sunt in quo non bo

A*

itaque, quia non scitis diem, neque horam, in qua Filius hominis venturus"; Sicut etiam in praeced: Capite XXIV, ubi de Adventu suo expresse loquitur „Vigilate ergo, quia non scitis, qua hora Dominus vester venturus" Vers: 42: quod Adventus Ipsius sit consummatio saeculi, seu ultimum tempus Ecclesiae, prius ostensum est.

4637. Quod omnia et singula quae Dominus loquutus est in Parabolis, repraesentativa et significativa sint spiritualium et coelestium Regni Ipsius, et in supremo sensu Divinorum apud Ipsum, constat manifeste; quare qui non id novit, nihil aliud de Parabolis Domini capere potest, quam quod sint sicut similitudines vulgares, et nihil plus in sinu recondant; prout haec de decem Virginibus, nisi sciatur quid in sensu interno Virgines significant, tum quid Decem, quid Quinque, quid Lampades, quid Vasa, quid Oleum, quid Vendentes, quid Nuptiae, et reliqua; similiter in omnibus aliis Parabolis: quae Dominus in illis loquutus est, apparent in externa forma, sicut, ut dictum, similitudines vulgares, sed in interna sunt tales, ut impleant universum coelum, nam sensus internus singulis inest, qui talis est, ut spirituale et coeleste ejus se diffundat per coelos undequaque sicut lux et flamma; is sensus est prorsus elevatus a sensu literae, et fluit a singulis expressionibus, et a singulis vocibus, imo ab omni jota. Quid autem haec Parabola in sensu interno involvit, patet ab his quae sequuntur.

4638. *Tunc simile fiet Regnum coelorum decem virginibus*, significat ultimum tempus Ecclesiae veteris et primum novae; Ecclesia est Regnum Domini in terra; decem virgines sunt omnes qui in Ecclesia, nempe tam qui in bono et vero, quam qui in malo et falso; decem in sensu interno sunt reliquiae, et quoque plenum, ita omnes; et virgines sunt illi qui in Ecclesia; ita quoque alibi in Verbo. *Quae accipientes lampades suas*, significat spiritualia in quibus coeleste, seu vera in quibus bonum, seu quod idem, fidem in qua charitas erga proximum, et charitatem in qua amor in Dominum, oleum enim est bonum amoris, de quo sequitur; at lampades in quibus non oleum, sunt eadem in quibus non bonum. *Exiverunt in occursum Sponsi*, significat receptionem eorum. *Quinque autem erant ex illis prudentes, quinque vero stultae*, significat partem eorum qui

in veris in quibus bonum, et partem qui in veris in quibus non bonum; illi sunt prudentes, hi autem stultae; quinque in sensu interno sunt aliqui, hic itaque pars eorum. *Quae stultae accipientes lampades suas non acceperunt secum oleum*, significat quod non haberent bonum charitatis in veris suis; oleum in sensu interno est bonum charitatis et amoris. *Verum prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus suis*, significat quod haberent bonum charitatis et amoris in veris suis; vasa sunt doctrinalia fidei. *Tardante autem Sponso, dormitarunt omnes, et obdormierunt*, significat moram et inde dubium; dormitare in sensu interno est ex mora pigrescere in illis quae sunt Ecclesiae, et obdormire est dubium fovere, prudentes dubium in quo est affirmativum, stultae dubium in quo est negativum. *Media autem nocte clamor factus est*, significat tempus quod ultimum Ecclesiae veteris et primum novae, hoc tempus est quod in Verbo vocatur nox, cum agitur de statu Ecclesiae; clamor est mutatio. *Ecce Sponsus venit, exite in occursum Ipsius*, significat id quod judicium, nempe acceptationem et rejectionem. *Tunc excitatae sunt omnes virgines istae, adornarunt lampades suas*, significat praeparationem omnium, nam qui in veris in quibus non bonum aeque acceptari se credunt, quam illi qui in veris in quibus bonum, putant enim fidem solam salvare, non scientes quod nulla fides sit ubi non est charitas. *Verum stultae prudentibus dixerunt, date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur*, significat quod velint communicari bonum veris suis inanibus, seu fidei suae vacuae, ab aliis; spiritualia enim et coelestia omnia in altera vita mutuo communicantur, sed non nisi per bonum. *Responderunt autem prudentes, dicentes, ne forte non sufficiat nobis et vobis*, significat quod communicari non possit, quia parum veri quod illis auferretur; ita enim cum communicatione boni cum illis qui in veris absque bono sunt in altera vita se habet, quasi auferunt illis bonum, et sibi appropriant, et non cum aliis communicant, sed conspurcant id, quapropter non fit aliqua communicatio boni cum illis; de his ab experientia videbitur ad finem Capitis seq: XXXVII. *Abite vero potius ad vendentes et emite vobis ipsis*, significat bonum meriti, qui id jactant sunt vendentes; etiam illi qui in vero sunt in quo non bo-

A*

num, prae aliis in altera vita meritorium faciunt omne id quod ut bonum in externa forma apparenter fecerunt, tametsi malum esset in interna, secundum illa quae Dominus dicit apud Matthaeum „ Multi dicent Mihi in illo die, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, et per Nomen tuum daemonia ejecimus, et in Nomine tuo virtutes multas fecimus; sed tunc confitebor illis, non novi vos, discedite a Me operarii iniquitatis " VII: 22; et apud Lucam „ Ex quo surrexerit Paterfamilias, et occluserit januam; tunc incipietis foris stare, et pulsare januam, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; sed respondens dicet vobis, non novi vos unde sitis; tunc incipietis dicere, edimus coram Te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti; sed dicet, dico vobis, non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes operarii iniquitatis " XIII: 26. 27; tales sunt qui per stultas hic intelliguntur, quapropter de illis similiter dicitur, his verbis „ venerunt etiam illae, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ipse vero respondens dixit, amen dico vobis, non novi vos. " *Abeuntibus autem illis ad emendum, venit Sponsus,* significat praeposteram applicationem. *Et paratae ingressae sunt cum Ipso ad nuptias,* significat qui in bono et inde in vero quod recepti in coelum, Coelum assimilatur nuptiis ex conjugio coelesti, quod est conjugium boni et veri, et Dominus Sponso, quia Ipsi tunc conjunguntur, inde Ecclesia vocatur Sponsa. *Et clausa est janua,* significat quod alii non intrare possint. *Postea vero veniunt etiam reliquae virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis,* significat quod ex sola fide absque charitate, et ex operibus in quibus non vita Domini sed vita sui, intrare velint. *Ipse vero respondens, dixit, amen dico vobis, non novi vos,* significat rejectionem; non nosse illos in sensu interno est non in aliqua charitate erga proximum esse, et per illam in conjunctione cum Domino; qui non in conjunctione sunt, non noti esse dicuntur. *Vigilate itaque, quia non scitis diem, neque horam, in qua Filius hominis venturus est,* significat studium vitae secundum praecepta fidei, quod est vigilare; tempus acceptationis, quod homini ignotum, et status, significantur per non scitis diem neque horam in qua Filius hominis venturus. Qui in bono, hoc est, qui facit secundum praecepta, prudens dicitur, at qui in cognitionibus veri, et non facit, stul-

tus, etiam alibi a Domino apud Matthaeum „Omnis qui audit mea verba et facit ea, comparabo eum viro *prudenti*, et omnis audiens verba mea, sed non faciens ea, comparabitur viro *stulto*" VII: 24. 26.

CAPUT XXXVI.

1. Et hae Nativitates Esavi, ipse Edom.

2. Esau accepit foeminas suas e filiabus Canaan, Adam filiam Elonis Chittaei, et Oholibamam filiam Anae filiae Zebeonis Chivaei.

3. Et Basemathan filiam Jischmaëlis, sororem Nebajoth.

4. Et peperit Adah Esavo Eliphasum, et Basemath peperit Reuelem. [1]

5. Et Oholibama peperit Jeuschum, et Jaëlam, [2] et Korachum; hi filii Esavi qui nati ei in terra Canaan.

6. Et accepit Esau foeminas suas, et filios suos, et filias suas, et omnes animas domus suae, et acquisitionem suam, et omnem bestiam suam, et omnem emptionem suam, quae acquisivit in terra Canaan, et ivit ad terram a coram Jacobo fratre suo.

7. Quia fuit conquisitio eorum multa prae habitare simul, et non potuit terra peregrinationum eorum ferre eos a coram acquisitionibus eorum.

8. Et habitavit Esau in monte Seir; Esau ipse Edom.

9. Et hae Nativitates Esavi patris Edomi in monte Seir.

10. Haec nomina filiorum Esavi; Eliphas filius Adae uxoris Esavi; Reuel filius Basemath uxoris Esavi.

11. Et fuerunt filii Eliphasi, Theman, [3] Omar, Zepho, et Gaëtham, et Kenas.

12. Et Thimna [4] fuit concubina Eliphaso filio Esavi, et peperit Eliphaso Amalekum; hi filii Adae uxoris Esavi.

13. Et hi filii Reuelis, [1] Nachath et Serach, Schammah, et Missa; hi fuerunt filii Basemath uxoris Esavi.

14. Et hi fuerunt filii Oholibamae filiae Anae, filiae Zibeo-

nis uxoris Esavi, et peperit Esavo Jeuschum, et Jaëlam, et Korach.

15. Hi Duces filiorum Esavi, filii Eliphasi primogeniti Esavi, dux Theman, dux Omar, dux Zepho, dux Kenas.

16. Dux Korach, dux Gaëtham, dux Amaleck; hi duces Eliphasi in terra Edom; hi filii Adae.

17. Et hi filii Reuelis filii Esavi, dux Nachath, dux Serach; dux Schammah, dux Missa; hi duces Reuelis in terra Edom; hi filii Basemath uxoris Esavi.

18. Et hi filii Oholibamae uxoris Esavi, dux Jeusch, dux Jaëlam, dux Korach; hi duces Oholibamae filiae Anae uxoris Esavi.

19. Hi filii Esavi, et hi duces illorum, Ipse Edom.

20. Hi filii Seir Choritae habitatores terrae, Lotan, et Schobal, et Zibeon, et Anah.

21. Et Dischon, et Ezer, et Dischan, hi duces Choritae filii Seir in terra Edom.

22. Et fuerunt filii Lotanis; Chori et Hemam, et soror Lotanis Thimna.

23. Et filii Schobalis, Alvan, et Manachath, [5] et Ebal, Schepho et Onam.

24. Et hi filii Zibeonis, et Ajah et Anah; hic Anah qui invenit mulos in deserto, in pascendo illo asinos Zibeoni [6] patri suo.

25. Et hi filii Anae; Dischan, et Oholibamah filia Anae.

26. Et hi filii Dischanis; Chemdan, et Eschban, et Jithran, et Cheran.

27. Hi filii Ezer, Bilhan et Saavan et Akan.

28. Hi filii Dischanis, Uz et Aran.

29. Hi duces Choritae; dux Lotan, dux Schobal, dux Zibeon, dux Anah.

30. Dux Dischon, dux Ezer, dux Dischan; hi duces Choritae quoad duces illorum in terra Seir.

31. Et hi Reges, qui regnarunt in terra Edom, ante regnare regem filiis Israëlis.

32. Et regnavit in Edom, Bela filius Beoris, et nomen civitatis illius Dinhabah. [7]

33. Et mortuus Bela, et regnavit loco illius Jobab filius Serach e Bozra.

34. Et mortuus Jobab, et regnavit loco illius Chuscham, e terra Themanitarum.

35. Et mortuus Chuscham, et regnavit loco illius Hadad filius Bedad, qui percussit Midianem in agro Moabi, et nomen civitatis illius Avith.

36. Et mortuus Hadad, et regnavit loco illius Samlah e Masrekah. [8]

37. Et mortuus Samlah, et regnavit loco illius Schaul e Rechoboth fluvii.

38. Et mortuus Schaul, et regnavit loco illius Baal-chanan filius Achbor.

39. Et mortuus Baal-chanan filius Achbor, et regnavit loco illius Hadar, et nomen civitatis illius Pau, et nomen uxoris illius Mehetabel filia Matred filiae Mesahab.

40. Et haec nomina ducum Esavi, quoad familias illorum, quoad loca illorum, in nominibus illorum; dux Thimna, dux Alva, dux Jetheth.

41. Dux Oholibamah, dux Elah, dux Pinon.

42. Dux Kenas, dux Theman, dux Mibzar.

43. Dux Magdiel, dux Iram; hi duces Edomi, quoad habitationes illorum, in terra possessionis illorum ipse Esau pater Edomi.

CONTENTA.

4639. In sensu interno hic agitur de Divino Bono Naturali Domini, et omnis illius Boni ordo describitur per Nomina; Divinum Bonum Naturale Domini est Esau.

SENSUS INTERNUS.

4640. Vers: 1. *Et hae nativitates Esavi, ipse Edom.* Hae nativitates Esavi, significat derivationes in Divino Bono

Naturali Domini: ipse Edom, significat Divinum Humanum Domini quoad Naturale et corporeum.

4641. Hae nativitates Esavi, quod significet derivationes in Divino Bono Naturali Domini, constat ex significatione Nativitatum, quod sint derivationes nempe boni et veri, de qua n: 1330. 3263. 3279. 3860. 3868. 4070; et ex repraesentatione Esavi, quod sit Divinum Bonum Naturale Domini, de qua n: 3302. 3322. 3494. 3504. 3576 3599; de hoc Bono nunc in hoc Capite agitur; sed quia est tale, ut non in intellectum alicujus hominis cadat, et vix in alicujus Angeli, ideo Bonum hoc describitur per mera Nomina: Divinum enim Bonum Naturale Domini, quod repraesentatur per Esau, est quod Divinum Ipsi ex Nativitate, a Jehovah enim conceptus fuit, inde Ipsi Divinum esse a nativitate, hoc Ipsi pro anima fuit, et consequenter intimum Ipsius vitae; exterius id investitum fuit ab illis quae a matre assumsit, quod quia non bonum, sed malum in se, ideo id ex propria potentia, imprimis per pugnas tentationum, expulit, ac dein Humanum hoc, quod novum in se fecit, conjunxit cum Divino Bono quod Ipsi ex nativitate fuit; Jacob repraesentavit id Bonum quod ex propria potentia sibi comparavit, de quo in Capitibus quae praecedunt, hoc Bonum est quod conjunxit Divino Bono; ac ita Humanum in Se omne Divinum fecit. Bonum quod Esau repraesentat, influebat per viam internam, et per Bonum Rationale in Naturale, immediate; at Bonum quod Jacob et Israël repraesentat, influebat per viam externam, et ei obviam ivit Divinum per Bonum Rationale, sed mediate per Verum Rationalis in Naturale; Jischakus repraesentat id Bonum Rationale, et Rebecca id Verum, videantur quae de his prius n: 3314. 3573. 4563 f, dicta sunt.

4642. Ipse Edom, quod significet Divinum Humanum Domini quoad [?] Naturale et corporeum, constat ex repraesentatione Edomi, quod sit Divinum Humanum Domini quoad Bonum Naturale cui adjuncta doctrinalia veri, de qua n: 3302. 3322. 4241, ita quoad Naturale et Corporeum, nam doctrinalia sunt instar corporis vero, seu in spirituali sensu sunt corporea veri naturalis; inde est quod per Edomum repraesentetur Divinum Humanum Domini quoad Naturale et Corporeum, quod doctrina sit velut corporatura Veri, est quia doctrina non in se est

verum, sed in doctrina est verum sicut anima in suo corpore. In sequentibus nunc agitur de Divino Bono Naturali Domini, sed ejus derivationes describuntur per Nomina ex causa ut supra dictum, quia derivationes illius Boni excedunt intellectum cujusvis hominis, etiam angeli; angeli enim finiti sunt, et finitum non capit Infinitum; sed usque cum legitur hoc Caput, derivationes, quae continentur in Nominibus, repraesentantur Angelis communiter per influxum Divini Amoris a Domino, et influxus per coelestem flammam quae afficit illos Divino Bono. Qui credit, quod Verbum non inspiratum sit quoad minimam jotam, et qui credit quod Verbum aliter inspiratum sit, quam ut singulae series repraesentent Divina, et inde coelestia et spiritualia, et singulae voces illa significent, non aliter opinari potest, quam quod Nomina haec nihil plus involvant, quam Genealogica ex Esavo; sed quid Genealogica ad Verbum, et quid Divinum in illis; sed quod Nomina in Verbo omnia significent res, videatur n: 1224. 1264. 1876. 1888. 4442, et ubivis alibi ubi explicatum quid Nomina significarunt.

4643. Vers: 2. 3. 4. 5. *Esau accepit foeminas suas e filiabus Canaan, Adam filiam Elonis Chittaei, et Oholibamam filiam Anae filiae Zibeonis Chivaei. Et Basematham filiam Jischmaëlis, sororem Nebajoth. Et peperit Adah Esavo Eliphasum, et Basemath peperit Reuelem. Et Oholibamah peperit Jeuschum, et Jaëlam, et Korachum; hi filii Esavi, qui nati ei in terra Canaan.* Esau accepit foeminas suas e filiabus Canaan, significat Boni Naturalis primam conjunctionem cum affectione apparentis veri: Adam filiam Elonis Chittaei, et Oholibamam filiam Anae filiae Zibeonis Chivaei, significat quale quod ex Antiqua Ecclesia: et Basematham filiam Jischmaëlis sororem Nebajoth, significat alteram conjunctionem cum affectione veri ex stirpe Divina: et peperit Adah Esavo Eliphasum et Basemath peperit Reuelem, significat primas derivationes inde: et Oholibamah peperit Jeuschum, et Jaëlam, et Korachum, significat alteram: hi filii Esavi, qui nati ei in terra Canaan, significat ex bono Regni Domini.

4644. Hic quia agitur de Bono, quod Divinum fuit Domino ex nativitate, deque conjunctione illius Boni cum Vero et Bono, quod Ipse Sibi ut Homo natus acquisivit, et quoque de

derivationibus inde; et quia haec talia sunt, quae, ut dictum, non cadunt in intellectum, ne quidem Angelicum, ideo non singulariter explicari possunt; et praeterea sunt mera Nomina, per quae Divinum illud cum ejus derivationibus, describitur, et mera nomina explicare, absque aliquo sensu historico qui praecedit et sequitur, ex quo lux confirmans, foret rem in dubium mittere, pauci enim possunt credere, utcunque eis ostenditur, quod res significentur per nomina in Verbo; ex his causis licet solum transcribere illa quae in hoc Capite, et adjungere aliquid explicationis in communi per talia quae captui adaequata possunt esse, quae modo adumbrationes sunt; nam quae in Divino sunt nusquam alicui apparent, sed quae ex Divino, apparent communissime secundum intellectum in quem cadunt, et hoc solum ut umbrae. Praeterea sciendum, quod nemo hominum in aliquod bonum nascatur, sed unusquisque in malum, in malum interius ex patre, et in malum exterius a matre, haereditarium enim cuivis est malum, sed solus Dominus natus est in Bonum inque ipsum Divinum Bonum, quantum a Patre; Divinum hoc Bonum, in quod Dominus natus, est, de quo hic agitur; derivationes ejus sunt quae exstiterunt in Humano Domini, quando id Divinum fecit, et per quas glorificavit illud; inde est, quod adjungi queat aliquid explicationis in communi.

4645. Vers: 6. 7. 8. *Et accepit Esau foeminas suas, et filios suos, et filias suas, et omnes animas domus suae, et acquisitionem suam, et omnem bestiam suam et omnem emtionem suam, quae acquisivit in terra Canaan, et ivit ad terram a coram Jacobo fratre suo. Quia fuit conquisitio eorum multa prae habitare simul, et non potuit terra peregrinationum eorum ferre eos a coram acquisitionibus eorum. Et habitavit Esau in monte Seir, Esau ipse Edom.* Accepit Esau foeminas suas, et filios suos, et filias suas, et omnes animas domus suae, et acquisitionem suam, et omnem bestiam suam, et omnem emtionem suam, quae acquisivit in terra Canaan, et ivit ad terram a coram Jacobo fratre suo, significat omnia Divini Boni et Veri inde, quae usque Ei, cum quibus correspondentia in coelo, et inde coelum; recedens a Jacobo ex causa repraesentationis: quia fuit conquisitio eorum multa, significat ob infinitatem: prae habitare simul, significat repraesentativa: et non potuit

terra peregrinationum eorum ferre eos a coram acquisitionibus eorum, significat quod omnia non possint describi: et habitavit Esau in monte Seir, significat Boni Naturalis verum: Esau ipse Edom, significat Divinum Humanum Domini.

4646. Vers: 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Et hae nativitates Esavi patris Edomi in monte Seir. Haec nomina filiorum Esavi; Eliphas filius Adae uxoris Esavi; Reuel filius Basemath uxoris Esavi. Et fuerunt filii Eliphasi, Theman, Omar, Zepho, et Gaëtham, et Kenas. Et Thimna fuit concubina Eliphaso filio Esavi, et peperit Eliphaso Amalekum; hi filii Adae uxoris Esavi. Et hi filii Reuelis, Nachath, et Serach, Schammah, et Missa; hi fuerunt filii Basemath uxoris Esavi. Et hi fuerunt filii Oholibamae filiae Anae filiae Zibeonis, uxoris Esavi, et peperit Esavo Jeuschum, et Jaëlam, et Korach.* Hae nativitates Esavi patris Edomi, significat derivationes in Divino Bono naturali; pater Edomi, est Divinum Bonum ex quo derivata alia: in monte Seir, significat quoad Boni vera: haec nomina filiorum Esavi, significat quale derivationum: Eliphas filius Adae uxoris Esavi; Reuel filius Basemath uxoris Esavi, significat status illarum ex conjugio Boni et Veri: et fuerunt filii Eliphasi, Theman, Omar, Zepho, et Gaëtham, et Kenas, significat primam derivationem Boni: et Thimna fuit concubina Eliphaso filio Esavi, significat servientia illis: et peperit Eliphaso Amalekum, significat sensuale: hi filii Adae uxoris Esavi, significat alteram derivationem: et hi filii Reuelis, Nachath et Serach, Schammah et Missa, hi fuerunt filii Bazemath uxoris Esavi, significat tertiam derivationem: et hi fuerunt filii Oholibamae filiae Anae filiae Zibeonis uxoris Esavi, et peperit Esavo Jeuschum, et Jaëlam, et Korach, significat sequentem derivationem.

4647. Vers: 15. 16. 17. 18. 19. *Hi duces filiorum Esavi, filii Eliphasi primogeniti Esavi, dux Theman, dux Omar, dux Zepho, dux Kenas, dux Korach, dux Gaëtham, dux Amaleck; hi duces Eliphasi in terra Edom; hi filii Adae. Et hi filii Reuelis filii Esavi, dux Nachath, dux Serach, dux Schammah, dux Missa; hi duces Reuelis in terra Edom; hi filii Basemath uxoris Esavi. Et hi filii Oholibamae uxoris Esavi, dux Jeusch, dux Jaëlam, dux Korach; hi duces Oho-*

libamae filiae Anae uxoris Esavi. Hi filii Esavi, et hi duces illorum; ipse Edom. Hi duces filiorum Esavi, significat praecipua Boni Vera: filii Eliphasi primogeniti Esavi, dux Theman, dux Omar, dux Zepho, dux Kenas, dux Korach, dux Gaëtham, dux Amaleck, significat primam classificationem, et quale illorum, et qualia etiam sunt in Regno Domini: hi duces Eliphasi in terra Edom, hi filii Adae, significat praecipua primae classis: et hi filii Reuelis filii Esavi, dux Nachath, dux Serach, dux Schammah, dux Missa, significat alteram classem, et quale eorum, sicut in coelo: hi duces Reuelis in terra Edomi, significat secundam classificationem: hi filii Basemath uxoris Esavi, significat ex conjugio Boni et Veri: et hi filii Oholibamae uxoris Esavi, significat praecipua tertiae classificationis: dux Jeusch, dux Jaëlam, dux Korach, significat quale eorum, inde in Regno Domini: hi duces Oholibamae filiae Anae uxoris Esavi, significat praecipua ex conjunctione Boni et Veri; hi duodecim Duces sunt sicut duodecim Tribus, secundum dispositionem a Bono: hi filii Esavi, et hi duces illorum, significat quod ex boni veris haec praecipua: ipse Edom, significat in Divino Humano Domini.

4648. Vers: 20 ad 28. *Hi filii Seir Choritae habitatores terrae, Lotan et Schobal, et Zibeon, et Anah. Et Dischon, et Ezer, et Dischan; hi duces Choritae filii Seir in terra Edom. Et fuerunt filii Lotanis, Chori et Hemam, et soror Lotanis Thimna. Et hi filii Schobalis, Alvan et Manachath, et Ebal, Schepho et Onam. Et hi filii Zibeonis, et Ajah et Anah: hic Anah qui invenit mulos in deserto, in pascendo illo asinos Zibeoni* [6] *patri suo. Et hi filii Anae, Dischan, et Oholibamah filia Anae. Et hi filii Dischanis, Chemdan, et Eschban, et Jithran, et Cheran. Hi filii Ezer, Bilhan, et Saavan, et Akan. Hi filii Dischanis, Uz et Aran.* Hi filii Seir Choritae habitatores terrae, significat vera inde ordine: Lotan, et Schobal, et Zibeon, et Anah, et Dischon, et Ezer, et Dischan, significat quale illorum: hi duces Choritae filii Seir, significat praecipua boni vera a prioribus: in terra Edom, significat in Divino Humano Domini: et fuerunt filii Lotanis, Chori et Hemam, et soror Lotanis Thimna, significat alteram classem verorum: et hi filii Schobalis, Alvan, et Manachath, et Ebal,

Schepho, et Onam, significat tertiam classem et quale: et hi filii Zibeonis, et Ajah et Anah, significat tertiam classem et quale: hic Anah qui invenit mulos in deserto, significat vera ex scientificis: in pascendo illo asinos Zibeoni [6] patri suo, significat cum in scientificis esset: et hi filii Anae, Dischan et Oholibamah filia Anae, significat tertiam classem, et quale: et hi filii Dischanis, Chemdan et Eschban, et Jithran, et Cheran, significat quartam classem, et quale: hi filii Ezer, Bilhan, et Saavan, et Akan, significat quartam classem, et quale: hi filii Dischanis, Uz et Aran, significat quintam classem et quale.

4649. Vers: 29. 30. *Hi Duces Choritae; dux Lotan, dux Schobal, dux Zibeon, dux Anah. Dux Dischon, dux Ezer, dux Dischan; hi duces Choritae quoad duces illorum in terra Seir.* Hi duces Choritae, significat praecipua ex sequentibus: dux Lotan, dux Schobal, dux Zibeon, dux Anah, dux Dischon, dux Ezer, dux Dischan, significat quale illorum: hi duces Choritae quoad duces illorum in terra Seir, significat praecipua in successivis.

4650. Vers: 31 ad 39. *Et hi Reges qui regnarunt in terra Edom, ante regnare regem filiis Israëlis. Et regnavit in Edom, Bela filius Beoris, et nomen civitatis illius Dinhabah.* [7] *Et mortuus Bela, et regnavit loco illius Jobab filius Serach e Bozrah. Et mortuus Jobab, et regnavit loco illius Chuscham e terra Themanitarum. Et mortuus Chuscham, et regnavit loco illius Hadad filius Bedad, qui percussit Midianem in agro Moabi; et nomen civitatis illius Avith. Et mortuus Hadad, et regnavit loco illius Samlah e Masrekah. Et mortuus Samlah, et regnavit loco illius Schaul e Rechoboth fluvii. Et mortuus Schaul, et regnavit loco illius Baal-Chanan, filius Achbor. Et mortuus Baal-Chanan filius Achbor, et regnavit loco illius Hadar, et nomen civitatis illius Pau, et nomen uxoris illius Mehetabel, filia Matred filiae Mesahab.* Hi Reges qui regnarunt in terra Edom, significat vera principalia in Divino Humano Domini: ante regnare regem filiis Israëlis, significat cum nondum ortum verum spirituale interius naturale: et regnavit in Edom, Bela filius Beoris, significat primum verum: et nomen civitatis illius Dinhabah, [7] significat inde doctrinam: et mortuus Bela, et regnavit loco illius [Jobab]

filius Serach e Bozrah, significat quod inde ut a suo essentiali, et ejus quale: et mortuus Jobab, et regnavit loco illius Chuscham, significat quod inde: e terra Themanitarum, significat unde: et mortuus Chuscham, et regnavit loco illius Hadad filius Bedad, significat quod inde: qui percussit Midianem in agro Moabi, significat purificationem a falso: et nomen civitatis illius Avith, significat doctrinalia inde: et mortuus Hadad; et regnavit loco illius Samlah e Masrekah, significat quod inde, et quale: et mortuus Samlah, et regnavit loco illius Schaul, significat quod inde: e Rechoboth fluvii, significat quale: et mortuus Schaul, et regnavit loco illius Baal-Chanan, filius Achbor, significat quod inde, et quale: et mortuus Baal-Chanan filius Achbor, et regnavit loco illius Hadar, significat quod inde: et nomen civitatis illius Pau, significat doctrinam: et nomen uxoris illius Mehetabel filia Matred filiae Mesahab, significat illius bonum.

4651. Vers: 40. 41. 42. 43. *Et haec nomina ducum Esavi quoad familias illorum quoad loca illorum, in nominibus illorum; Dux Thimna, dux Alvah, dux Jetheth. Dux Oholibamah, dux Elah, dux Pinon. Dux Kenas, dux Theman, dux Mibzar. Dux Magdiel, dux Iram: hi duces Edomi quoad habitationes illorum, in terra possessionis illorum, ipse Esau pater Edomi.* Haec nomina Ducum Esavi quoad familias illorum, quoad loca illorum, in nominibus illorum, significat doctrinalia boni ex illis, et eorum ortus, status, et quale: dux Thimna, dux Alvah, dux Jetheth, dux Oholibamah, dux Elah, dux Pinon, dux Kenas, dux Theman, dux Mibzar, dux Magdiel, dux Iram, significat quale illorum doctrinalium: hi duces Edomi, significat praecipua doctrinalia: quoad habitationes illorum, in terra possessionis illorum, significat quoad vera et bona: ipse Esau pater Edomi, significat Divinum Bonum Naturale Domini in Divino Humano Domini.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine seu cum Coelo; hic de Correspondentia Auditus et Aurium cum illo.

4652. *Qualis Correspondentia est inter Animam et Corpus, seu inter illa quae sunt spiritus qui intra hominem, et illa quae sunt corporis quae extra illum, constare manifeste potest ex Correspondentia, Influxu, et Communicatione cogitationis et apperceptionis quae sunt spiritus, cum loquela et auditu quae sunt corporis: cogitatio loquentis hominis non est nisi loquela ejus spiritus, et apperceptio loquelae non est nisi auditus ejus spiritus; Cogitatio quando homo loquitur, non quidem apparet ei sicut loquela, quia conjungit se cum loquela corporis, et inest illi; et apperceptio quando homo audit, non apparet aliter quam sicut auditus in aure; inde est, quod plerique, qui non reflexerunt, non aliter sciant, quam quod omnis sensus sit in organis quae sunt corporis, et inde cum organa illa per mortem collabuntur, nihil sensus supersit, cum tamen tunc homo, hoc est, spiritus ejus in ipsissimam suam vitam sensitivam venit. Quod Spiritus sit qui loquitur et qui audit, manifeste mihi constare potuit ex colloquiis cum spiritibus; illorum loquela communicata spiritui meo incidebat in interiorem meam loquelam, ac inde in organa correspondentia, ac ibi desinebat in conatum, quem aliquoties manifeste percepi: inde loquela eorum tam sonore mihi audita fuit, sicut loquela hominis: quandoque cum mecum loquuti sunt spiritus in medio consortio hominum, quia loquela eorum tam sonore audita est, putarunt aliqui eorum, quod etiam a praesentibus ibi audirentur; sed responsum quod non ita sit, quia loquela illorum per viam internam influit in aurem meam, et loquela humana per viam externam. Inde patet, quomodo Spiritus cum Prophetis loquutus est, non sicut homo cum homine, sed sicut spiritus cum homine, nempe in illo, Sachar:* I: 9. 13. *Cap:* II: 2. 7. *Cap:* IV: 1. 4. 5. *Cap:* V: 6. 10. *Cap:* VI: 4, *et alibi. Sed scio, quod haec non comprehendere possint illi qui non credunt hominem esse spiritum, et corpus inservire ei pro usibus in mundo; illi qui se confirmarunt in eo, ne quidem audire vo-*

lunt de aliqua Correspondentia, et si audiunt, quia in negativo sunt, rejiciunt; imo etiam contristantur, quod aliquid corpori auferatur.

4653. *Spiritus qui Auditui correspondent, seu qui Auris provinciam constituunt, sunt qui in Obedientia simplici sunt, qui nempe non ratiocinantur num ita sit, sed quia ita esse ab aliis dicitur, credunt quod ita sit; inde possunt vocari Obedientiae: quod illi tales sint, est quia Auditus se habet ad loquelam, sicut passivum ad activum suum, ita sicut qui audit loquentem et acquiescit; inde etiam in communi sermone* audiens esse alicui *est obediens esse, et* auscultare voci *est obedire; interiora enim sermonis hominis quoad plurem partem a Correspondentia traxerunt originem, ex causa quia spiritus hominis est inter spiritus qui in altera vita, et ibi cogitat, quod homo prorsus nescit, et homo corporeus nec scire vult.*

Sunt plures differentiae spirituum, qui correspondent auri, hoc est, functionibus et muniis ejus, sunt qui ad singula organula ibi referuntur, qui nempe ad aurem externam, qui ad membranam ibi quae tympanum Auris vocatur, ad membranas interiores quae fenestrae dicuntur, qui ad malleum, stapedem, incudem, cylindros, cochleam, et sunt qui ad interiora adhuc, usque ad illa substantiata quae propiora sunt spiritui, et quae tandem in spiritu, et ultimo intime conjunguntur cum illis qui pertinent ad visum internum, a quibus distinguuntur per id quod non ita discernant, sed sicut patientes illis adstipulentur.

4654. *Erant spiritus apud me, qui admodum fortiter influebant in cogitationem, cum agebatur de talibus quae essent Providentiae, imprimis quando cogitabam quod non evenirent quae exspectabam et cupiebam; dicebatur ab Angelis, quod essent spiritus, qui dum vixerunt in corpore, et precati de aliqua re, et non obtinuerunt, quod indignati sint, et in dubitationem de Providentia se eapropter induxerint; sed usque cum essent extra illum statum quod pietatem exercuerint secundum id quod alii dixerunt; ita quod in simplici obedientia fuerint: dictum quod tales ad provinciam Auris externae seu Auriculae pertineant; etiam ibi apparuerunt, cum loquuti sunt mecum.*

4655. *Praeterea multoties animadversi spiritus prope circa aurem, et quoque quasi intra illam; quod intra, est quia ita apparet, est status in altera vita, qui facit apparentiam: illi omnes simplices fuerunt, et obedientes.*

4656. *Erat Spiritus, qui mecum loquebatur ad Auriculam sinistram, ad posteriorem ejus partem ubi musculi elevatores auriculae; is mihi dicebat, quod ad me missus ad dicendum, quod is nihil reflectat super illa quae alii loquuntur, modo auribus illa capiat: cum loquebatur, voces quasi eructabat, dixit quoque quod ita loquatur: inde scire dabatur, quod interiora non inessent ejus loquelae, ita parum vitae, et quod inde eructatio talis; dictum quod tales qui parum ad sensum rei attendunt, sint qui ad cartilagineam et osseam partem Auris externae pertinent.*

4657. *Sunt Spiritus, qui aliquoties mecum loquuti sunt, sed mussitando, et hoc propius ad aurem sinistram, sic ut vellent loqui in aure ut nemo audiret; sed illis dicere datum, quod hoc non conveniat in altera vita, quia manifestat quod susurrones fuerint, et inde natura etiam nunc susurrandi imbuti sint, et quod plures ex illis tales sint, ut vitia et naevos aliorum observent, et illa sociis, nemine audiente, dicant, vel iis praesentibus in aurem, quodque sinistre omnia videant et interpretentur, seque aliis praeferant; et quod ideo nullatenus admitti possint in consortium bonorum spirituum, qui tales sunt, ut cogitata sua non abscondant. Dictum, quod usque talis loquela in altera vita sonantius audiatur, quam loquela aperta.*

4658. *Ad interiora Auris pertinent illi qui interioris Auditus visum habent, et obediunt quae spiritus ejus ibi dictat, et dictamina ejus congruenter proferunt, quales illi sunt, etiam ostensum est: Appercipiebatur sonorum quoddam penetrans ab infra juxta sinistrum latus usque ad aurem sinistram; animadverti quod essent Spiritus qui ita eniti conabantur, sed quales essent, non potui scire; quando autem enisi sunt, loquebantur mecum, dicentes, quod fuerint Logici et Metaphysici, et quod talibus immerserint cogitationes suas, absque alio fine, quam ut eruditi audirent, et sic ad honores et opes venirent, lamentantes quod nunc miseram vitam agant, ex causa quia absque alio usu imbuerunt illa, et sic non Rationale suum per*

illa perfecerunt; erat loquela illorum tarda, et mute sonans. Interea loquuti sunt inter se bini supra caput, et cum quaesitum quinam essent, dictum, quod unus illorum esset famigeratissimus quidam in Orbe literato, et dabatur mihi credere quod esset Aristoteles; alter quinam esset, non dicebatur; ille tunc mittebatur in statum, in quo fuit cum vixit in mundo; quilibet enim in statum suae vitae quem habuit in mundo, facile mitti potest, quia omnem vitae suae statum secum habet: at, quod miratus, applicabat se ad dextram aurem, et ibi loquebatur rauce, sed usque sane; ex loquelae ejus sensu appercepi, quod is prorsus alio genio esset quam Scholastici illi qui primum emerserunt, quod nempe is ex cogitatione sua excluserit illa quae scripserat, et inde Philosophica sua produxerit, sic ut termini, quos invenit, et quos imposuit rebus cogitationis, essent formulae quibus descripsit interiora, tum quod ex jucundo affectionis et desiderio sciendi illa quae essent cogitationis, ad talia excitatus fuerit, et quod sequutus obedienter quae dictaverat ejus spiritus; quapropter is ad dextram aurem; aliter quam asseclae ejus qui Scholastici vocantur, qui non ex cogitatione ad terminos, sed a terminis ad cogitationes eunt, ita via contraria; et plures illorum ne quidem ad cogitationes, sed solum haerent in terminis, quos si applicant, est ad confirmandum quicquid volunt, et ad imponendum falsis speciem veri secundum cupidinem persuadendi; inde illis Philosophica sunt media insaniendi potius quam sapiendi, et inde illis tenebrae loco lucis. Loquutus cum illo dein de Scientia Analytica, et dabatur dicere, quod puerulus per dimidium horae plus philosophice, analytice, et logice loquatur, quam ille potuisset per volumina describere, ex causa quia omnia cogitationis et inde loquelae humanae sunt analytica, quorum leges sunt ex mundo spirituali; et qui artificialiter ex terminis cogitare vult, quod is non absimilis sit saltatori, qui vult discere saltare ex scientia motricium fibrarum et musculorum, in qua si haereret animus ejus cum saltat, tunc vix movere posset pedem; et tamen is absque scientia illa movet omnes fibras motrices sparsas circum universum corpus, et applicate pulmones, diaphragma, latera, brachia, collum, et reliqua, quibus omnibus describendis non sufficerent volumina; et quod similiter se ha-

beat cum illis qui ex terminis volunt cogitare; haec ille approbavit, dicens, si illa via addiscantur, quod inverso ordine procedant; addens, si quis fatuus esse velit, ita procedat, sed cogitet jugiter de usu, et ex interiori. Dein mihi ostendit, qualem ideam habuerat de Summo Numine, quod nempe repraesentaverit sibi Illum facie humana circum caput cinctum circulo radioso; et quod nunc sciat, quod Dominus sit ipse ille Homo, et quod circulus radiosus sit Divinum ab Ipso, quod non modo influit in Coelum sed etiam in universum, ac disponit et regit illa; addens, qui coelum disponit et regit, etiam disponit et regit universum, quia unum ab altero separari nequit; et quoque dixit, quod crediderit solum unum Deum, cujus attributa et qualitates insigniverant tot nominibus quot alii deos coluerunt. Visa mihi mulier, quae exporrigebat manum suam, volens genam mulcere, quod cum miratus sum, dixit, quod, cum in mundo fuit, talis mulier ei saepe visa sit, quae quasi mulceret ejus genam, et quod ejus manus pulchra fuisset; spiritus angelici dicebant, quod tales priscis quandoque visae fuerint, et ab illis vocatae Pallades, et quod apparuerit ei ex spiritibus, qui cum homines antiquis temporibus vixerunt, delectati fuerunt ideis et indulserunt cogitationibus, sed absque Philosophia, et quia tales apud illum fuerunt, et delectati illo quia cogitavit ab interiori, repraesentative talem mulierem stiterunt. Ultimo indicavit, qualem ideam habuerat de anima seu spiritu hominis, quem vocabat Pnevma, quod nempe esset inconspicuum vitale, sicut aliquid aetheris; et dixit, quod noverit spiritum suum victurum post mortem, quia esset essentia ejus interior, quae non potest mori quia potest cogitare; et quod praeterea de eo non distincte cogitare potuerit, sed modo obscure, quia aliunde de illo aliquam cognitionem non habuerat quam ex se, et parumper etiam ex Antiquis. Praeterea Aristoteles est inter sanos spiritus in altera vita, et plures ejus asseclae inter fatuos.

4659. *Dictum n:* **4652** *f: quod homo sit spiritus, et quod corpus inserviat ei pro usibus in mundo, et passim alibi, quod spiritus sit internum hominis et corpus externum ejus; qui non capiunt quomodo se habet cum spiritu hominis et cum corpore ejus, inde autumare possunt, quod sic spiritus habitet intra*

corpus, et quod corpus quasi cingat et investiat illum; sed sciendum, quod spiritus hominis sit in corpore, in toto et in omni parte ejus, et quod sit substantia ejus purior, tam in organis ejus motoriis quam in sensoriis, et ubivis alibi, et quod corpus sit materiale ei ubivis annexum, adaequatum mundo in quo tunc est; hoc intelligitur per quod homo sit spiritus, et corpus inserviat ei pro usibus in mundo, et quod spiritus sit internum hominis, et corpus externum ejus: inde etiam patet, quod homo post mortem similiter in vita activa et sensitiva sit, tum quoque in forma humana, sicut in mundo, sed in perfectiore.

4660. *Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine seu Coelo, ad finem Capitis sequentis, et ibi de Correspondentia Gustus et Linguae cum illo.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

4661. Ante Caput praecedens continuatum est explicare quae Dominus praedixerat de Ultimo tempore Ecclesiae, et ibi quae per Parabolam de decem virginibus apud Matthaeum Cap: XXV, Vers: 1 ad 14; sequitur dein alia Parabola, nempe de Servis, quibus homo peregre abiens dedit talenta, uni quinque, alteri duo, et tertio unum, cum quibus negotiarentur, quorum ille qui accepit quinque talenta, lucratus per illa adhuc quinque, et ille qui accepit duo et duo per illa lucratus, et qui accepit unum, abscondidit illud in terra; haec Parabola quia paene simile involvit quod Parabola de decem Virginibus, licet ad ultimum in eodem Capite transire, et id explicare, quod tale est in litera ibi Cap: XXV: Vers: 31 ad fin:

4662. *Quando venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti Angeli cum Ipso, tunc sedebit super throno gloriae Ipsius; et congregabuntur coram Ipso omnes gentes, et separabit eas ab invicem, sicut pastor separat oves ab hircis; et statuet quidem Oves a dextris suis, at Hircos a sinistris: tunc dicet Rex iis qui a dextris Ipsius, venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a fundatione Mundi; esurivi enim et dedistis Mihi edere; sitivi et potastis Me; peregrinus fui et collegistis Me; nudus et amicivistis Me; aegrotus fui et visitastis Me; in carcere fui et venistis ad Me: tunc respondebunt Ipsi justi, dicentes, Domine, quando Te vidimus esurientem et aluimus Te; aut sitientem et potavimus; quando vero Te vidimus peregrinum et collegimus; aut nudum et amicivimus; quando vero Te vidimus aegrotum, aut in carcere, et venimus ad Te; sed respondens Rex dicet illis, amen dico*

vobis, quantum fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, Mihi fecistis. Tunc dicet etiam iis qui a sinistris, discedite a Me maledicti in ignem aeternum paratum diabolo et angelis ejus; esurivi enim et non dedistis Mihi edere; sitivi et non potastis Me; peregrinus fui et non collegistis Me; Nudus et non amicivistis Me: tunc respondebunt Ipsi et isti, dicentes, Domine, quando Te vidimus esurientem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut aegrotum, aut in carcere, et non ministravimus Tibi: Tunc respondebit illis, dicens, amen dico vobis, quantum non fecistis uni istorum minimorum, neque Mihi fecistis: et abibunt hi in poenam aeternam, at justi in vitam aeternam.

4663. Qui non sensum internum novit, non aliter putare potest, quam quod haec a Domino dicta sint de ultimo quodam die, quo congregabuntur omnes in universo terrarum orbe coram Domino, et tunc judicandi; et quoque quod processus judicii prorsus talis, sicut describitur in litera, futurus; nempe quod statuet illos a dextris et sinistris, et ita loquetur ad illos; sed qui sensum internum novit, et qui ex aliis locis in Verbo didicerat, quod Dominus nusquam aliquem judicet ad ignem aeternum, sed quod quisque semet judicet, hoc est, in illum se conjiciat, et quoque qui didicerat quod cujusvis ultimum judicium sit cum moritur, is aliquatenus scire potest, quid in genere illa involvunt, et qui interiora vocum novit ex sensu interno et ex correspondentia, is scire potest quid illa in specie significant: quod nempe quisque secundum vitam suam in mundo accipiat mercedem in altera vita. Qui salvationem hominis per solam fidem venditant, ii non aliter illa explicare possunt, quam quod illa quae Dominus de Operibus loquitur, sint fructus fidei, et quod hos solum memoraverit propter simplices, qui non mysteria norunt; sed sit secundum opinionem illorum, usque inde patet, quod fructus fidei sint qui beatum et felicem faciunt hominem post mortem; fructus fidei non aliud sunt quam vita secundum praecepta fidei, consequenter quod vita secundum illa salvet, non autem fides absque vita; homo enim post mortem secum fert omnes vitae suae status, sic ut talis sit qualis fuerat in corpore; qui nempe in vita corporis contempserat alios prae se, etiam in altera vita alios prae se contemnit; qui odio habue-

rat proximum in vita corporis, etiam in altera vita proximum odio habet; quique dolis egerat contra socios in vita corporis, etiam dolis agit contra socios in altera vita, et sic porro; quisque naturam, quam induerat in vita corporis, retinet in altera vita; et notum est, quod natura expelli nequeat, et si expellitur, quod nihil vitae remaneat: inde nunc est, quod opera charitatis a Domino solum memorentur; qui enim in operibus charitatis est, seu quod idem, in vita fidei, is in facultate est recipiendi fidem, si non in corpore usque in altera vita; at qui non in operibus charitatis est, seu in vita fidei, nullatenus in aliqua facultate est recipiendi fidem, neque in corpore neque in altera vita; malum enim nusquam concordat cum vero, sed unum rejicit alterum; sique illi qui in malo sunt, loquuntur vera, loquuntur illa ex ore, et non ex corde, et sic usque longissime a se invicem absunt.

4664. Quid autem illa, quae ibi Dominus de Ultimo judicio, hoc est, de ultimo cujusvis post mortem, loquitur, in sensu interno involvunt, prolixiora sunt, quam ut ante hoc Caput explicentur, quapropter, ex Divina Domini Misericordia, ante Capita quae sequuntur, ordine explicabuntur.

CAPUT XXXVII.

1. Et habitavit Jacob in terra peregrinationum patris sui in terra Canaan.

2. Hae nativitates Jacobi: Joseph filius septendecim annorum fuit pascens cum fratribus suis gregem, et is puer, cum filiis Bilhae et cum filiis Silpae foeminarum patris sui: et adduxit Joseph malam famam illorum ad patrem illorum.

3. Et Israël amavit Josephum prae omnibus filiis suis, quia filius senectutum is ei, et fecit ei tunicam variorum colorum.

4. Et viderunt fratres ejus quod eum amavit pater illorum prae omnibus fratribus ejus, et oderunt eum, et non potuerunt loqui ei ad pacem.

5. Et somniavit Joseph somnium, et indicavit fratribus suis, et addiderunt adhuc odisse illum.

6. Et dixit ad illos, audite quaeso somnium hoc quod somniavi.

7. Et ecce nos, manipulantes manipulos in medio agri, et ecce surrexit manipulus meus, et etiam constitit, et ecce circumdederunt manipuli vestri, et incurvaverunt se manipulo meo.

8. Et dixerunt ei fratres ejus, an regnando regnabis super nos; si dominando dominaberis in nos; et addiderunt adhuc odisse eum super somnia ejus, et super verba ejus.

9. Et somniavit adhuc somnium alterum, et narravit illud fratribus suis, et dixit, ecce somniavi somnium adhuc, et ecce sol et luna, et undecim stellae incurvantes se mihi.

10. Et narravit ad patrem suum, et ad fratres suos, et increpavit eum pater ejus, et dixit ei, quid somnium hoc quod somniasti, an veniendo veniemus ego et mater tua, et fratres tui, ad incurvandum nos tibi terram.

11. Et inviderunt ei fratres ejus, et pater ejus custodivit verbum.

12. Et iverunt fratres ejus ad pascendum gregem patris illorum in Schechem.

13. Et dixit Israël ad Josephum, nonne fratres tui pascentes in Schechem, vade et mittam te ad illos, et dixit ei, ecce me.

14. Et dixit ei, vade quaeso, vide pacem fratrum tuorum, et pacem gregis, et reduc mihi verbum: et misit eum e valle Chebronis, et venit Schechemum.

15. Et invenit eum vir, et ecce errans in agro, et interrogavit eum vir, dicendo, quid quaeris.

16. Et dixit, fratres meos ego quaerens, indica quaeso mihi, ubi illi pascentes.

17. Et dixit vir, profecti abhinc, quia audivi dicentes, eamus Dothanem; et ivit Joseph post fratres suos, et invenit illos in Dothan.

18. Et viderunt eum e longinquo, et antequam appropinquavit ad illos, et machinati sunt ei ad mori faciendum eum.

19. Et dixerunt vir ad fratrem suum, ecce dominus somniorum iste venit.

20. Et nunc, ite, et occidamus eum, et mittamus eum in

unam fovearum, et dicamus, fera mala comedit eum, et videbimus quid erunt somnia ejus.

21. Et audivit Ruben, et eripuit eum e manu illorum, et dixit, non percutiamus eum, anima.

22. Et dixit ad illos Ruben, ne effundatis sanguinem, mittite eum ad foveam illam, quae in deserto, et manum ne mittatis in eum, propterea ut eriperet eum e manu illorum, ad reducendum eum ad patrem ejus.

23. Et factum sicut venit Josephus ad fratres suos, et exuebant Josephum tunica sua, tunica variorum colorum quae super eum.

24. Et sumserunt eum, et miserunt eum in foveam, et fovea vacua, nulla in illa aqua.

25. Et sederunt ad comedendum panem, et sustulerunt oculos suos, et viderunt, et ecce comitatus Jischmaëlitarum venit e Gilead, et cameli illorum ferentes aromata, et resinam, et stacten, euntes ad deferendum ad Aegyptum.

26. Et dixit Jehudah ad fratres suos, quid lucri quod occidamus fratrem nostrum, et obtegamus sanguinem ejus.

27. Ite, et vendamus eum Jischmaëlitis, et manus nostra ne sit in eum, quia frater noster caro nostra is; et auscultarunt fratres illius.

28. Et transiverunt viri Midianitae negotiatores, et extraxerunt et ascendere fecerunt Josephum e fovea, et vendiderunt Josephum Jischmaëlitis in viginti Argenti, et adduxerunt Josephum Aegyptum.

29. Et rediit Ruben ad foveam, et ecce nullus Joseph in fovea, et discidit vestes suas.

30. Et rediit ad fratres suos, et dixit, natus non amplius, et ego quo ego venio.

31. Et sumserunt tunicam Josephi, et mactarunt hircum caprarum, et intinxerunt tunicam in sanguine.

32. Et miserunt tunicam variorum colorum, et adduxerunt ad patrem illorum, et dixerunt, hanc invenimus, agnosce quaeso an tunica filii tui haec, si non.

33. Et agnovit illam, et dixit, tunica filii mei, fera mala comedit eum, discerpendo discerptus est Joseph.

34. Et discidit Jacob vestes suas, et posuit saccum in lumbis suis, et luxit super filio suo diebus multis.

35. Et surrexerunt omnes filii ejus, et omnes filiae ejus, ad consolandum eum, et renuit ad consolandum se, et dixit, quia descendam ad filium meum lugens sepulchrum; et flevit eum pater ejus.

36. Et Midianitae vendiderunt eum ad Aegyptum Potiphari cubiculario Pharaonis, principi satellitum.

CONTENTA.

4665. Agitur in hoc Capite in sensu interno de Veris Divinis, quae a Divino Humano Domini, quod temporis successu in Ecclesia rejecta sint, et tandem loco illorum falsa recepta. In specie agitur de illis qui in fide separata a charitate, quod sint contra Divinum Humanum Domini.

SENSUS INTERNUS.

4666. Vers: 1. 2. 3. *Et habitavit Jacob in terra peregrinationum patris sui in terra Canaan. Hae nativitates Jacobi: Joseph filius septendecim annorum, fuit pascens cum fratribus suis gregem, et is puer, cum filiis Bilhae et cum filiis Silpae, foeminarum patris sui; et adduxit Joseph malam famam illorum ad patrem illorum. Et Israël amavit Josephum prae omnibus filiis suis, quia filius senectutum is ei, et fecit ei tunicam variorum colorum.* Habitavit Jacob in terra peregrinationum patris sui in terra Canaan, significat Divinum Naturale Domini quod concordans sub Divino Bono Rationali; hae nativitates Jacobi, significat illa quae sequuntur: Joseph, significat Divinum Humanum Spirituale Domini: filius septendecim annorum, significat statum ipsius: fuit pascens cum fratribus suis gregem, significat quod interesset illis qui in fide essent qui docebant: et is puer, significat primum: cum filiis Bilhae et cum filiis Silpae foeminarum patris sui, significat quod rejectus ab illis: et adduxit Joseph malam famam illorum ad patrem illorum, signifi-

cat quod ab ipso appareret quales essent: et Israël amavit Josephum prae omnibus filiis suis, significat conjunctionem Divini spiritualis Rationalis cum Divino spirituali Naturalis: quia filius senectutum is ei, significat vitam suam in illo: et fecit ei tunicam variorum colorum, significat apparentias veri inde, ex quibus spirituale naturalis cognoscitur et distinguitur.

4667. Habitavit Jacob in terra peregrinationum patris sui in terra Canaan, quod significet Divinum Naturale Domini quod concordans sub Divino Bono Rationali, constat a significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451; ex repraesentatione Jacobi, quod in supremo sensu sit Divinum Naturale Domini, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3544. [1] 3576. 3599. 3775. 4234. 4009. 4286. 4538. 4570; ex repraesentatione Jischaki, qui hic est pater, quod sit Divinum Rationale Domini quoad bonum, de qua n: 1893. 2066. 2630. 3012. 3194. 3210; et ex significatione terrae Canaanis, quod in supremo sensu sit Divinum Humanum Domini, de qua n: 3038. 3705; inde nunc est, quod habitavit Jacob in terra peregrinationum patris sui in terra Canaan, sit Divinum Naturale Domini vivens simul seu concordans sub Divino Bono Rationali, in Divino Humano. Actum est prius ad Cap: XXXV: Vers: 22. 23. 24. 25. 26, de naturali Domini quod in illo nunc omnia Divina essent, videatur n: 4602 ad 4610; et ad ejusdem Capitis Versus sequentes 27. 28. 29, de conjunctione Divini Naturalis Domini cum Divino Rationali Ipsius, videatur n: 4611 ad 4619; hic nunc est clausula, quod nempe Divinum Naturale concordem vitam ageret sub Divino Bono Rationali. Sub Divino Bono Rationali dicitur, quia Naturale sub illo vivit, est enim Rationale superius seu interius, aut secundum formulam solennem loquendo, est prius, Naturale autem inferius seu exterius, proinde posterius, ita hoc subordinatum illi; imo cum concordant, est Naturale non aliud quam commune Rationalis; quicquid enim habet Naturale, tunc non est ejus sed est Rationalis; differentia solum est, qualis est inter particularia et eorum commune, seu qualis inter singularia et eorum formam in qua singularia apparent ut unum; [2] notum est eruditis, quod finis sit omne in causa, et quod causa sit omne in effectu, sic ut causa sit formatus finis, et effectus sit formata causa, et inde quod effectus

prorsus pereat si auferas causam, et causa prorsus pereat si auferas finem, et insuper quod causa sit sub fine, et effectus sub causa; similiter se habet cum Naturali et Rationali.

4668. Hae nativitates Jacobi, quod significet illa quae sequuntur, constat a significatione nativitatum, quod sint derivationes illarum rerum quae Ecclesiae sunt, nempe veri a bono, aut fidei ab amore, nam non aliae nativitates in sensu interno Verbi intelliguntur; de his quoque in sequentibus agitur, quapropter dicitur, quod nativitates Jacobi sint illa quae sequuntur: quod talia per nativitates significentur, patet etiam ex eo, quod in sequentibus non aliquae nativitates genealogicae memorentur, agitur enim de Josepho, ejus somniis, et fratrum ejus machinationibus contra illum, et tandem de ejus abductione in Aegyptum; quod nativitates sint derivationes talium, videatur n: 1145. 1255. 1330. 3263. 3279. 3860. 3868. 4070.

4669. Joseph, quod significet Divinum Humanum Spirituale Domini, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit in supremo sensu Dominus quoad Divinum Spirituale, de qua n: 3969; quod Dominus per Josephum repraesentetur, in Ecclesia notum est, cum enim coelestis Josephus dicitur, non alius intelligitur; sed quid Domini Josephus repraesentat, non ita notum est, est enim Divinum Spirituale quod procedit a Divino Humano Ipsius; Divinum Spirituale quod procedit a Divino Humano Domini, est Divinum Verum quod ab Ipso in Coelo et in Ecclesia, Spirituale in sua essentia non aliud est. Divinum Spirituale seu Divinum Verum, est quoque id quod vocatur Regium Domini, et quod quoque significatur per Christum seu Messiam, videatur n: 2015 f. 3009. 3670; et quia ita, Josephus factus est sicut Rex in Aegypto, et hoc ideo, ut tunc repraesentaret illa quae Regii Domini sunt.

4670. Filius septendecim annorum, quod significet statum ipsius, constat ex annis aetatum illorum qui memorantur in Verbo, quod similiter significent res et status, sicut reliqui numeri; quod omnes numeri in Verbo significent res et status, videatur 575. 647. 648. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495;[3] et quod etiam anni, n: 487. 488. 493. 893; apparet quidem, sicut numeri annorum seu anni aetatum nihil aliud significent, et hoc quia in illis est sicut magis historicum, quam in reliquis

numeris, sed usque quod etiam illi involvant res et status, constat ex iis quae ad Cap: V Genes: explicata sunt, et ex illis quae de aetate Abrahami ad Gen: Cap: XVII: 1. et Cap: XXV: 7; atque Jischaki ad Gen: Cap: XXXV: 28, dicta sunt; ac praeterea ex eo, quod nusquam aliquod Historicum in verbo detur, quod non involvit coeleste, in quod etiam mutatur cum transit a cogitatione hominis legentis ad angelos qui apud illum, et per angelos ad coelum, ubi ex omni historico Verbi fit sensus spiritualis. Quid autem aetas Josephi septendecim annorum significat, constare potest ex significatione numeri illius alibi, quod nempe sit principium, hic principium repraesentationis per Josephum; quod sit principium et novum, videatur n: 755. 853; et praeterea involvit ille numerus in communi et sicut in facultate omnia quae repraesentantur per Josephum, septem enim significant sanctum, et decem reliquias; quod septem in Verbo sanctitatem adjiciant, videatur n: 881, et quod decem sint reliquiae, n: 576. 1906. 2284, quod reliquiae apud Dominum fuerint Divinae ac Ipsius, per quas Humanam Essentiam univit Divinae, n: 1906.

4671. Fuit pascens cum fratribus suis gregem, quod significet quod interesset illis qui in fide essent qui docebant, constat ex significatione pascere gregem, quod sit docere, in specie, ex doctrinalibus, illos qui in Ecclesia sunt; quod pascens gregem seu pastor sit qui docet, videatur n: 343. 3772. 3795, hic quod interesset illis qui docebant, quia dicitur pascens cum fratribus; fratres enim ejus in hoc Capite repraesentant Ecclesiam quae deflectit a Charitate ad fidem, et tandem ad fidem separatam, et sic ad falsa, ut patebit in sequentibus.

4672. Et is puer, quod significet primum, constat ex significatione pueri, cum praedicatur de nova Ecclesia, quod sit primum seu primus ejus status, Ecclesia enim se habet sicut infans, sicut puer, sicut vir, et tandem sicut senex, nam percurrit illa suas aetates sicut homo, est quoque Ecclesia sicut homo in communi, et quoque ita vocatur. In Ecclesia etiam, quae ex aetate puer dicitur, et quae talis est ut cito deflectat, Dominus primum est praesens, et cum illis qui docent et qui discunt, sed postea ab illis abalienatur, quod etiam repraesentatur per Josephum, quod a fratribus missus in foveam, et venditus. Om-

nis Ecclesia talis est quae inchoat a fide, aliter vero Ecclesia quae inchoat a charitate; quae a fide, nullum alium regulatorem habet quam intellectum, et intellectus id quod est haereditarium hominis, nempe amorem sui et mundi, hi persuadent intellectui, ut conquirat confirmantia ex Verbo, et quae non confirmant ut interpretetur; aliter Ecclesia quae a charitate inchoat, ea regulatorem habet bonum, et in bono Dominum; inter Dominum enim et fidem, intercedit bonum quod est charitatis et amoris, absque hoc intercedente non datur communicatio spiritualis, influxus absque intermedio non fit; malum si loco boni est, abigit Dominum, ac rejicit aut pervertit omnia quae Domini sunt, ita omnia quae fidei, nam fides est ab Ipso per bonum.

4673. Cum filiis Bilhae et cum filiis Silpae, foeminarum patris sui, quod significet quod rejectus ab illis, constat ex significatione filiorum Bilhae et filiorum Silpae, quod sint affectiones veri exteriores seu inferiores inservientes pro mediis, de qua n: 3849. 3931, ita cum filiis Bilhae et cum filiis Silpae significat quod Divinum Verum, quod est Josephus, rejectum sit ad inferiora quae respective servitia sunt. Tunc dicitur Divinum Verum rejectum ad inferiora, cum fides praeponitur charitati seu cum fit in cordibus antecedens, et charitas postponitur et fit in cordibus consequens; omne enim Divinum Verum est a Divino Bono, inde procedit, si non similiter apud hominem, non est in Domino; hoc Divinum Verum est ipsum sanctum spiritus quod procedit a Domino, et vocatur Paracletus et spiritus veritatis, Joh: XIV: 16. 17.

4674. Et adduxit Joseph malam famam illorum ad patrem illorum, quod significet quod ab ipso appareret quales essent, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum Spirituale seu Divinum Verum quod a Domino, de qua n: 4286. 4675; ex significatione patris, quod sit bonum, de qua n: 3703. 3704, hic bonum Antiquae Ecclesiae, quae repraesentatur per Jacobum, ut videbitur ad finem hujus Capitis; et ex significatione malae famae, quod sint naevi et vitia, quae illis qui per fratres Josephi significantur, qui quod sint illi ab Ecclesia qui deflectunt a bono et vero, supra n: 4671, dictum est; inde patet, quid per illa verba in sensu interno proximo significatur,

quod nempe naevi et vitia per fratres Josephi significata in medium proferrentur seu apparerent a Divino Vero, in spectando illa a bono Ecclesiae Antiquae, seu quod idem, quod ab ipso appareret quales essent. Cum his ita se habet, falsa et mala Ecclesiae, hoc est, illorum qui sunt in Ecclesia, non apparent illis qui ibi sunt, ex falsis enim falsa non spectantur, nec mala a malis, nam principia falsi adumbrant prorsus vera, et vita mali exstinguit illa, utrumque, nempe principia falsi et vita mali, inducunt species sicut falsa vera sint et vera falsa, et sicut bonum malum sit, et malum bonum; quod ita sit, ex multiplici experientia evidens est; at Ecclesia, seu illi qui in Ecclesia, prorsus aliter apparent in coelo, in coelo enim est Divinum Verum a Domino, et Divinum Verum ibi est Lux, in hac Luce apparent quales sunt; nam unusquisque homo quoad animam seu spiritum suum, est in societate quadam vel Angelica vel diabolica, cogitatio illius ibi est, sed loquela et actiones ejus sunt inter homines in eorum consortiis: quomodo ulterius se habet cum his, quod nempe illi qui in Ecclesia appareant a Divino Vero seu in Divina Luce, quales sunt, constare potest ab his; spiritus mali, qui recentes e mundo sunt, antequam in infernum se conjiciunt, prae reliquis concipiunt ut recipiantur in coelum, credentes quod modo sit receptio, et quod quilibet, qualiscunque sit, ex gratia in coelum admitti queat; sed quandoque dicitur illis, quod Coelum a Domino nemini negetur, et quod illi admitti queant si ibi esse possint, et quoque aliqui eorum in primas societates, quae in atrio ad coelum, elevantur, sed cum illuc veniunt, incipiunt angi, ac paene suffocari, laborante sic vita cogitationis et voluntatis eorum, vita cogitationis ex principiis falsi, et vita voluntatis ex vita mali in mundo; cumque in luce ibi se inspiciunt, apparent sibi sicut diaboli, quidam sicut cadavera, quidam sicut monstra, quapropter e societate illa se praecipites dejiciunt, et a luce ibi in nimbum aliquem infernalem, ubi priorem suam respirationem recipiunt, ac ubi apparent sibi ex phantasia sicut spiritus non mali; ita sciunt quales sunt; inde nunc liquet, quomodo intelligitur, quod ab ipso nempe a Divino Vero, appareant quales sunt.

4675. Et Israël amavit Josephum prae omnibus filiis suis, quod significet conjunctionem Divini Spiritualis Rationalis cum

Divino Spirituali Naturalis, constat ex repraesentatione Jacobi ut Israël, quod sit Divinum spirituale naturalis, seu coeleste spiritualis e naturali, de qua n: 4286. 4598; ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum Spirituale Rationalis seu coeleste spiritualis e Rationali, de qua n: 4286. 4592; et ex significatione amare, quod sit conjungi, amor enim est conjunctio spiritualis; inde patet, quod per Israël amavit Josephum, significetur conjunctio Divini Spiritualis Rationalis cum Divino Spirituali Naturalis: quia hic agitur de conjunctione illa, Jacob non hic vocatur Jacob, ut in Vers: 1. et 2. supra, sed Israël; etiam ex mutatione nominis concludi potest, quod aliquid Arcani sit quod in sensu interno hic continetur. Sed quomodo se habet cum conjunctione illa, nempe Divini Spiritualis Rationalis cum Divino Spirituali Naturalis, nondum explicari potest, quia de illo non agitur in hoc Capite, sed in Capitibus sequentibus, in quibus arcanum illud quantum potest, explicandum venit: hic solum, quod Spirituale praedicetur et de Rationali et de Naturali, Spirituale enim est Divinum Verum quod a Domino, quod cum lucet in Rationali seu in Interno homine, dicitur Spirituale Rationalis, et cum inde lucet in Naturali seu in Externo homine, dicitur Spirituale Naturalis.

4676. Quia filius senectutum is ei, quod significet vitam suam in illo, constat ex significatione senectutis, quod sit exuitio status prioris et induitio status novi, tum quod sit novum vitae, de qua n: 3492. 4620: senectus enim in sensu interno non significat senectutem, quia internus homo, seu spiritus hominis, non scit quid senectus, sed sicut senescit corpus seu externus homo, ita transit ille in novum vitae, perficitur aetate Spiritus hominis decrescente corporeo ejus; et adhuc magis in altera vita, qui ibi sunt in coelo, continue in perfectiorem vitam perducuntur a Domino, et tandem usque [4] in floridam juventutis; ita quoque qui in bono senio mortui sunt; inde constare potest, quod per senectutem significetur vita in sensu interno. Quid per vitam suam in illo intelligitur, explicatum est supra n: 4667. Dictum est, quod Spiritus hominis seu internus homo, non sciat quid senectus, et tamen prius dictum, quod ille sit qui cogitat in corpore, tum quod ex illo sit vita corpori; quod illa ejus cogitatio non communicari queat corpori, et ho-

mo sic sciat quod vivat post mortem, est inde, quia quamdiu spiritus ejus manet in corpore, non aliter cogitare potest quam ex principiis quae naturalis ejus homo imbuerat, et cum principium et persuasio est, quod solum corpus vivat, et cum id moritur etiam omne hominis moriatur, tunc influxus illius rei non recipitur; at usque influxus se manifestat per id quod plerique solliciti sint de sepultura [et] de encomiis post mortem, et quidam de fama tunc, quapropter etiam sibi monumenta magnifica exstruunt, ob causam ne memoria sui pereat; in talia vertitur influxus e coelo de vita permanente, apud illos qui alioquin nihil de illa credunt; absque enim influxu illo prorsus contemnerent omne memoriae sui postquam mortui sunt.

4677. Et fecit ei tunicam variorum colorum, quod significet apparentias veri inde, ex quibus spirituale naturalis cognoscitur et distinguitur, constat ex significatione Tunicae, quod sit verum naturalis, de qua sequitur; et ex significatione variorum colorum quod sint apparentiae veri ex quibus spirituale naturalis cognoscitur [et] distinguitur: quod haec per varios colores significentur, a nemine sciri potest, nisi qui scit, quod colores in altera vita aeque appareant sicut in mundo, et quidem colores qui pulchritudine et varietate multum excedunt hos, et nisi qui scit unde colores illi; colores, qui in altera vita, sunt ex variegatione lucis ibi, et sunt, ut ita dicatur, modificationes intelligentiae et sapientiae, nam Lux, quae ibi apparet, est ex Divino Vero quod a Domino, seu est Divinum Spirituale ab Ipso, seu quod idem, est Divina Intelligentia et Sapientia; haec sicut Lux apparet coram oculis Angelorum et Spirituum; inde patet, quid per Colores ex luce illa significatur, quod nempe qualitates veri, ita apparentiae ejus, et quod appareant ex affectionibus boni et veri; de coloribus in altera vita, videantur n: 1042. 1043. 1053. 1624. 3993. 4530. Quod Tunica sit Verum Naturalis, prius n: 3301, dictum est, sed quia ibi non ostensum, licet hic ex aliis locis in Verbo id confirmare: quia Reges in Ecclesia Judaica repraesentabant Dominum quoad Divinum Spirituale seu Divinum Verum, n: 2015. 2069. 3009. 3670, ideo filiae eorum vestiebantur tunicis variorum colorum, per filias enim significabantur affectiones boni et veri, et inde Ecclesiae, n: 2362. 3963; de quibus in Libro II Samuelis

C

„Erat super Thamare filia Davidis *Tunica variorum colorum*, quia talibus vestiebantur filiae Regis virgines amiculis," XIII: 18. Et quia summi Sacerdotes repraesentabant Dominum quoad Divinum Coeleste seu Divinum Bonum, ideo Aharon induebatur vestibus, quae repraesentabant Divinum Verum quod ex Divino Bono Domini, Divinum enim Bonum est in Domino, at Divinum Verum procedit ab Ipso, hoc erat quod repraesentabatur per vestes; similiter ac cum transformatus Dominus coram Petro, Jacobo, et Johanne, Divinum Bonum apparuit ut Sol, et Divinum Verum sistebatur per vestimenta quae apparebant sicut Lux, Matth: XVII: 2; de vestibus, quibus induebatur Aharon et filii ejus, ita apud Mosen „*Aharoni facies Tunicam xylini*, Cidarim Xylini, et Baltheum facies opus acupictoris: et filiis Aharonis facies *Tunicas*, et facies illis baltheos, et tiaras facies illis ad gloriam et ad decus," Exod: XXVIII: 39. 40; singula haec significabant illa quae sunt Divini Veri a Divino Bono Domini, tunica xylini Divinum spirituale in specie; similiter alibi apud Eundem „Sumes vestes, et *indues Aharoni Tunicam*, et pallium Ephodi, et Ephodum, et Pectorale, et amicies illum Cingulo Ephodi; postea filios ejus appropinquare facies, et *indues illos Tunicis*," Exod: XXIX: 5. 8. Cap: XL: 14; quid singula haec significant, ex Divina Domini Misericordia, dicetur ubi de illis agendum; quod vestes in genere sint vera, videatur n: 297. 1073. 2576. 4545. Prophetae etiam induebantur tunicis, sed tunicis pili, quia per Prophetas repraesentabatur Dominus quoad vera doctrinae, et quia haec sunt Naturalis seu Externi hominis, illis erant tunicae ex pilo, pilus enim significat naturale, videatur n: 3301. Quod Tunica significet Divinum Verum a Domino, manifestius adhuc patet ex illis locis, ubi tunica nominatur in Novo Testamento; ut apud Johannem „Milites acceperunt vestimenta Ipsius, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et *Tunicam; erat autem Tunica inconsuta, desuper texta per totum;* dixerunt itaque ad se invicem, ne dividamus eam, ut Scriptura impleretur, dicens, diviserunt vestimenta mea sibi ipsis, et super *Tunicam meam* jecerunt sortem," XIX: 23. 24; qui haec legit, putat quod ea non plus arcani involvant, quam quod vestimenta fuerint inter milites divisa, et quod super tunicam jacta sit sors,

cum tamen singula fuerunt repraesentativa et significativa Divinorum, tam scilicet quod vestimenta in quatuor partes divisa fuerint, quam quod tunica non divisa, sed super illam jacta sors, cumprimis quod Tunica fuerit inconsuta et desuper texta per totum; per Tunicam enim significabatur Divinum Verum Domini, quod quia unicum est et ex Bono, repraesentabatur per Tunicam quod inconsuta et desuper texta per totum; simile significabatur per Tunicam Aharonis, quae quod fuerit texta seu opus textoris patet apud Mosen „Fecerunt *tunicas xylini opus textoris* pro Aharone et filiis ejus," Exod: XXXIX: 27, et quoque repraesentabatur, quod Dominus non passus sit, ut Divinum Verum in partes distraheretur, sicut factum cum veris inferioribus Ecclesiae a Judaeis. Quia Divinum Verum est Unicum, nempe quod ex Divino Bono, etiam mandatum duodecim discipulis cum mitterentur ad praedicandum Evangelium Regni, ut non duas tunicas haberent, de quibus ita apud Lucam „Jesus misit duodecim discipulos praedicare Regnum Dei; et dixit ad illos, nihil sumite in viam, neque baculos, neque peram, neque panem, neque argentum, *neque singuli duas Tunicas habere*," IX: 2. 3: apud Marcum „Praecepit illis, ut nihil sumerent in viam, nisi baculum tantum, non peram, non panem, non in Zona aes, sed indutos calceos, *nec induemini duabus Tunicis*," VI: 8. 9: et apud Matthaeum „Non possideatis aurum, neque argentum, neque aes in Zonis vestris, nec peram in viam, *neque binas Tunicas*, neque calceos, neque baculos," X: 9. 10; singula ibi repraesentativa sunt coelestium et spiritualium Regni Domini, ad quod praedicandum missi sunt; quod non sumerent aurum, argentum, aes, peram, panem secum, erat, quia illa significabant bona et vera quae ex Solo Domino, aurum nempe bonum, n: 113. 1551. 1552; argentum autem verum inde, n: 1551. 2954; aes bonum naturale, n: 425. 1551; panis bonum amoris seu coeleste, n: 276. 680. 2165. 2177. 3478. 3735. 4211. 4217; Tunica autem, et calceus significabant vera quibus induerentur, et baculus potentiam veri ex bono; quod baculus sit potentia illa, videatur n: 4013. 4015; quod calceus sit infimum Naturale, n: 1748, ibi quoad Verum; Tunica est verum interius naturale; quia haec non duplicia erunt sed unica, prohibebatur ne duos baculos, duo paria cal-

ceorum, et duas tunicas haberent: haec arcana sunt in mandato illo Domini, quae nequaquam sciri nisi ex sensu interno possunt. Omnia et singula quae Dominus loquutus, erant repraesentativa Divinorum, consequenter coelestium et spiritualium Regni Ipsius, et sic adaequata captui hominum, et simul intellectui spirituum et angelorum; quapropter illa quae Dominus loquutus impleverunt et adimplent universum coelum; inde etiam patet, quantum conducit et interest nosse sensum internum Verbi; absque illo etiam quisque ex Verbo confirmare potest quodcunque libet dogma, et quia tale apparet illis qui in malo sunt, Verbum inde subsannant, et nihil minus credunt quam quod Divinum sit.

4678. Vers: 4 ad 11. *Et viderunt fratres ejus, quod eum amavit pater illorum prae omnibus fratribus ejus, et oderunt eum, et non potuerunt loqui ei ad pacem. Et somniavit Joseph somnium, et indicavit fratribus suis, et addiderunt adhuc odisse eum. Et dixit ad illos, audite quaeso somnium hoc quod somniavi. Et ecce nos manipulantes manipulos in medio agri, et ecce surrexit manipulus meus, et etiam constitit et ecce circumdederunt manipuli vestri, et incurvaverunt se manipulo meo. Et dixerunt ei fratres ejus, an regnando regnabis super nos, si dominando dominaberis in nos; et addiderunt adhuc odisse eum super somnia ejus, et super verba ejus. Et somniavit adhuc somnium alterum, et narrabat illud fratribus suis, et dixit, ecce somniavi somnium adhuc, et ecce sol et luna, et undecim stellae incurvantes se mihi. Et narravit ad patrem suum, et ad fratres suos; et increpavit eum pater ejus, et dixit ei, quid somnium hoc quod somniasti, an veniendo veniemus ego et mater tua, et fratres tui, ad incurvandum nos tibi terram. Et inviderunt ei fratres ejus, et pater ejus custodivit verbum.* Viderunt fratres ejus, significat illa quae sunt fidei; in sensu proximo posteros Jacobi: quod eum amavit pater illorum prae omnibus fratribus ejus, significat quod conjunctus cum Divino Naturali; in sensu proximo cum Antiqua Ecclesia, quae est pater: et oderunt eum, et non potuerunt loqui ei ad pacem, significat contemtum et aversionem: et somniavit Joseph somnium, significat praedicationem de Ipso: et indicavit fratribus suis, significat coram illis qui a fide separata: et addi-

derunt adhuc odisse eum, significat contemtum et aversionem adhuc majorem: et dixit ad illos, audite quaeso somnium hoc quod somniavi, significat praedicationis contenta: et ecce nos manipulantes manipulos in medio agri, significat docentes e doctrina: et ecce surrexit manipulus meus et etiam constitit, significat doctrinale de Domini Divino Humano: et ecce circumdederunt manipuli vestri, significat illos qui in fide essent: et incurvaverunt se manipulo meo, significat adorationem: et dixerunt ei fratres ejus, significat illos qui a fide separata: an regnando regnabis super nos, si dominando dominaberis in nos, significat num quoad intellectualia et voluntaria subjecti essent: et addiderunt adhuc odisse eum super somnia ejus et super verba ejus, significat contemtum et aversionem adhuc majorem propter praedicationem verbi: et somniavit adhuc somnium alterum, significat iterum praedicationem: et narravit illud fratribus suis, et dixit, significat coram illis qui a fide separata: ecce somniavi somnium adhuc, significat contenta: et ecce sol et luna, significat bonum naturale et verum naturale: et undecim stellae, significat cognitiones boni et veri: incurvantes se mihi, significat adorationem: et narravit ad patrem suum, et ad fratres suos, significat quod datum scire id: et increpavit eum pater ejus et dixit ei, quid somnium hoc quod somniasti, significat indignationem; pater hic est religio Judaica ex Antiqua: an veniendo veniemus ego et mater tua, et fratres tui, ad incurvandum nos tibi terram, significat num adoratura Ecclesia: et inviderunt ei fratres ejus, significat aversionem illorum: et pater ejus custodivit verbum, significat quod maneret veritas in religioso eorum.

4679. Viderunt fratres ejus, quod significet illa quae sunt fidei; et in sensu proximo posteros Jacobi, constat ex significatione videre, quod sit appercipere et intelligere, de qua n: 2150. 2325. [5] 2807. 3764. 3863; et ex repraesentatione fratrum Josephi, quod sint illa quae sunt fidei; Josephus enim in hoc Capite repraesentat Divinum Spirituale seu Divinum Verum Domini; et fratres ejus repraesentant Ecclesiam quae deflectit a charitate ad fidem, et dein ad fidem separatam a charitate, denique ad falsa, videatur supra n: 4665. 4671; inde est quod per fratres Josephi hic significentur illa quae sunt fi-

dei: et quia talis fuit posteritas Jacobi, in sensu proximo significatur illa.

4680. Quod eum amavit pater illorum prae omnibus fratribus ejus, quod significet quod conjunctus cum Divino Naturali; in sensu proximo cum Antiqua Ecclesia, quae est pater, constat ex illis quae supra n: 4675 explicata sunt, ubi similia. Quod in sensu proximo sit, quod conjunctus cum Antiqua Ecclesia, et quod illa sit quae in eo sensu intelligitur per patrem, inde est, quia in proximo sensu, ut mox supra n: 4679, dictum, per fratres Josephi significantur posteri Jacobi, proinde Ecclesia quae apud illos repraesentabatur: quomodo haec se habent, aliquoties prius dictum est, sed propter seriem sequentium hic paucis recapitulandum; Antiqua Ecclesia, quae post diluvium a Domino instaurata fuit, erat Ecclesia repraesentativa; quae talis erat, ut omnia et singula ejus externa cultus repraesentarent coelestia et spiritualia quae sunt Regni Domini, et in supremo sensu ipsa Divina Domini; ejus interna autem cultus omnia et singula se referebant ad charitatem: erat Ecclesia illa sparsa per multum orbis Asiatici, et per plura regna ibi; et tametsi discrepabant quoad doctrinalia fidei, usque una Ecclesia erat, quia omnes ubivis charitatem fecerunt essentiale Ecclesiae; qui tunc temporis separabant fidem a charitate, et fidem essentiale Ecclesiae fecerunt, dicebantur Cham: sed haec Ecclesia temporis successu deflexit ad idololatrica, ac in Aegypto, Babele et alibi in magica, coeperunt enim colere externa absque internis, et sic quia recesserunt a charitate, etiam recessit coelum ab illis, et loco ejus venerunt ab inferno spiritus, qui ducebant illos. Cum haec Ecclesia desolata fuit, nova quaedam incepta fuit ab Ebero, quae Ecclesia Hebraea vocata est, haec fuit in Syria et Mesopotamia, et quoque inter aliquas gentes in terra Canaane; sed differebat haec ab Antiqua, quod poneret essentiale cultus externi in sacrificiis; internum cultus quidem agnovit quod esset charitas, sed non ita corde prout Ecclesia Antiqua; verum haec quoque idololatrica facta est. Tandem beneplacuit Domino novum Ecclesiae instaurare apud posteros Abrahami ex Jacobo, et introducere apud illam gentem externa cultus Antiquae Ecclesiae; sed gens illa talis fuit, ut non posset recipere aliquod internum Ecclesiae, quia corda eorum erant

prorsus contra charitatem; quapropter apud illam modo institutum fuit repraesentativum Ecclesiae: inde nunc est, quod filii Jacobi seu fratres Josephi in sensu proximo significent Ecclesiam talem, et quod Jacob pater eorum Ecclesiam antiquam; etiam pluries alibi in Verbo, imprimis prophetico, per Jacobum intelligitur Ecclesia Antiqua, et quoque aliquoties illa Ecclesia, nempe Antiqua, vocatur pater et mater, pater quoad bonum ejus, et mater quoad verum: inde nunc patet, quod per amavit Josephum pater illorum prae omnibus fratribus ejus, significetur quod Divinum Verum Domini conjunctum fuerit cum Antiqua Ecclesia.

4681. Et oderunt eum, et non potuerunt loqui ei ad pacem, quod significet contemtum et aversionem, nempe contemtum pro Divino Vero quod per Josephum repraesentatur, et aversionem ab illo, constat ex significatione odi, quod sit contemnere, odium enim in sensu interno non significat odium quale est apud homines qui in odio sunt, mitescit enim significatio illius vocis sicut ascendit in coelum, quia in coelo non sciunt quid odium, idcirco est contemtus qui significatur; et ex significatione non posse loqui ei ad pacem, quod sit avertere se; loqui enim ad pacem est velle alicui bene, nam per pacem intellexerunt Antiqui in supremo sensu, ipsum Dominum, in sensu interno Regnum Ipsius ac vitam in illo seu salutem, in externo autem salutem in mundo seu valetudinem; contrarium ejus est, non posse loqui ei ad pacem, hoc est, non velle alicui bene, ita avertere se, hic a Divino Vero.

4682. Et somniavit Joseph somnium, quod significet praedicationem de Ipso, constat ex significatione somniare somnium, quod sit praedicare; et quia somnium de Josepho agit, est praedicare de Divino Humano Domini; quod somnium hic significet praedicationem, est quia in binis somniis Josephi continentur in summario omnia illa quae de Josepho praevisa et provisa sunt, seu in sensu interno quae de Divino Vero intra Ecclesiam talem qualis per fratres Josephi repraesentatur, seu qualis quae a fide inchoat; et praeterea Divina Vera antiquitus manifestabantur vel per loquelam, vel per visiones, vel per somnia, et ex illis erant praedicationes; inde est quod per Prophetas in Verbo, quibus verum Divinum manifestabatur vel per loquelam, vel per

Visiones, vel per somnia, significentur docentes vera, et in sensu abstracto, vera doctrinae, n: 2534; similiter itaque per videre visiones et somniare somnia; ut apud Joëlem „Effundam spiritum meum super omnem carnem, et *prophetabunt* filii vestri, et filiae vestrae, senes vestri *somnia somniabunt*, juvenes vestri *visiones videbunt:* etiam super servos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum," III: 1. 2; effundere spiritum super illos pro instruere de veris, prophetare pro docere et praedicare illa, ita quoque somnia somniare; senes pro sapientibus, juvenes pro intelligentibus, servi pro scientibus. Apud Jeremiam „Sic dixit Jehovah Zebaoth, ne attendite *ad verba prophetarum prophetantium vobis*, vanos reddunt illi vos, visionem cordis sui loquuntur, non ex ore Jehovae: audivi quod dixerunt *prophetae*, qui *prophetarunt* in nomine meo mendacium, dicendo, *somniavi, somniavi: propheta cum quo somnium*, narret *somnium*, at cum quo Verbum meum, narret verbum meum in veritate: ecce Ego *contra prophetantes somnia mendacii*, dictum Jehovae, narrant ea, et seducunt populum meum per mendacia sua," XXIII: 16. 25. 28. 32; prophetare etiam hic pro docere et praedicare, sed ex somniis mendacii, quae sunt ex quibus eorum praedicatio; similiter alibi, ut Jerem: XXIX: 8. 9. Sachar: X: 2. Apud Mosen „Quando surgit in medio tui *propheta*, aut *somnians somnium*, qui dederit tibi signum aut prodigium, et veniat signum aut prodigium, quod loquutus est ad te, dicendo, eamus ad deos alios, quos non novisti, et serviamus illis, non obedies *verbis prophetae istius*, vel *somnianti somnium* isti: et *propheta iste*, et *somnians somnium* iste, occidetur, propterea quod loquutus defectionem contra Jehovam Deum vestrum," Deut: XII: 2. 3. 4. 6; propheta et somnians somnium, uterque pro docente et praedicante, ibi falsa.

4683. Et indicavit fratribus suis, quod significet coram illis qui a fide separata, constat a repraesentatione fratrum Josephi, quod sint Ecclesia quae deflectit a charitate ad fidem, seu in sensu abstracto illa quae sunt fidei, de qua supra n: 4665. 4671. 4679, hic qui sunt a fide separata a charitate, quia sequitur quod addiderint adhuc odisse illum, per quae significatur contemtus et aversio adhuc major. Se enim ita cum illa Eccle-

sia habet; cum primum inchoat, charitatem praedicant, sed modo ex doctrinali, ita ex scientifico, non autem ex ipsa charitate, ita non ab affectione seu corde; successu temporis, sicut charitas et affectio obliteratur in corde, praedicant fidem, et tandem cum nulla amplius charitas, solam fidem, et hanc salvificam dicunt absque operibus; tunc quoque opera non amplius vocant charitatis, sed fidei, et nominant illa fructus fidei; conjungunt quidem sic, sed solum ex doctrina, non autem ex vita; et quia in vita fidei seu in bono nihil salutis ponunt, sed solum in fide, et tamen manifeste ex Verbo, et quoque ex intellectuali suo sciunt, quod doctrina nihil sit absque vita, seu quod fides nihil sit absque fructibus, salvificum fidei ponunt in confidentia, ut sic quoque a fructibus recedant, non scientes quod omnis confidentia trahat suum esse a fine vitae, et quod genuina confidentia non dabilis sit nisi in bono, sed spuria et falsa etiam in malo: utque adhuc magis separent fidem a charitate, etiam persuadent quod confidentia solum unius momenti, etiam in ultimo vitae, salvet, utcunque vita ante acta fuit, quantumvis sciunt, quod vita sua quemvis maneat post mortem, et quod quisque secundum opera vitae suae judicabitur: ex his paucis constare potest, qualis est fides separata a charitate, proinde qualis Ecclesia, quae fidem, non autem vitam fidei essentialem facit. De falsis quae inde ut a sua scaturigine fluunt, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur.

4684. Et addiderunt adhuc odisse eum, quod significet contemtum et aversionem adhuc majorem, constat ab illis quae supra n: 4681, [6] dicta sunt, ubi similia verba.

4685. Et dixit ad illos, audite quaeso somnium hoc quod somniavi, quod significet praedicationis contenta, constat ex significatione somniare somnium, quod sit praedicatio, de qua supra n: 4682, [7] hic praedicationis contenta, quia sequitur nunc quale somnium ei fuit.

4686. Et ecce nos manipulantes manipulos in medio agri, quod significet docentes e doctrina, constat ex significatione manipuli, quod sit doctrina, et inde manipulare manipulos, quod sit docere ex illa, de qua sequitur; et ex significatione agri, quod sit Ecclesia, de qua n: 2971. 3766. 4440. 4443; medium agri est interius in Ecclesia, ita sunt illi qui in fide alicu-

jus charitatis; medium enim in sensu interno est quod interius et quod intimum est, n: 1074. 2940. 2973; sunt enim in omni Ecclesia qui in medio ejus seu qui intimi sunt, et sunt illi qui in charitate, hic qui in fide alicujus charitatis sunt; apud illos Dominus praesens est, quia Dominus in charitate est, et per charitatem in fide, n: 4672; quod illi significentur, patet etiam ex sequentibus, ex eo quod manipulus Josephi surrexerit et circumdederint illum manipuli reliqui; per manipulum enim Josephi significatur doctrina ex Divino Vero Domini. Quod manipulus sit doctrina, est inde, quia ager est Ecclesia, ut mox dictum, et seges in agro est verum in Ecclesia, ita manipulus in quo seges est doctrina in qua verum: simile significant manipuli apud Davidem „Qui seminant in lachryma, cum cantu metent; eundo ibit et flendo, portans jactum *seminis*, sed veniendo veniet cum cantu, portans *manipulos suos*," Psalm: CXXVI: 6, ubi de illis qui in captivitate spirituali fuerunt, et liberati; portare jactum seminis pro instructione in veris, venire cum cantu pro affectionis veri laetitia, portare manipulos pro veri illius doctrinalibus.

4687. Et ecce surrexit manipulus meus et etiam constitit, quod significet doctrinale de Domini Divino Humano, constat ex significatione manipuli, quod sit doctrinale, de qua mox supra; et ex significatione surgere et consistere, quod sit supremum quod regnaturum, et quod adoraturi; hoc quod sit Divinum Humanum Domini, patet ex illis quae sequuntur, quod nempe Manipulo illi incurvaverint se undecim manipuli, et in altero somnio quod sol et luna et undecim stellae incurvaverint se Josepho, per quae significatur supremum quod regnaturum, et quod adoraturi, quapropter etiam Jacobus dicit, an veniamus ego et mater tua, et fratres tui, ad incurvandum nos tibi terram; Divinum Verum Domini est quod per Josephum repraesentatur, ut supra dictum; supremum ejus est Ipse Dominus, et supremum inter doctrinalia, quod Humanum Ipsius sit Divinum. Cum hoc supremo doctrinalium ita se habet; Antiquissima Ecclesia, quae coelestis fuit, et prae reliquis Homo dicta est, adoravit Infinitum Esse, et inde Infinitum Existens; et quia de Infinito Esse nullam perceptionem habere potuerunt, sed aliquam de Infinito inde Existente ex perceptibilibus quae

in Interno eorum homine, exque sensibilibus quae in Externo, et ex aspectabilibus quae in Mundo, ideo adoraverunt Infinitum Existens in quo Infinitum Esse: Infinitum Existens in quo Infinitum Esse, perceperunt ut Divinum Hominem, ex causa quia norunt, quod Infinitum Existens ex Infinito Esse produceretur per Coelum, quod quia est Maximus Homo correspondens omnibus et singulis quae in homine, ut ad finem Capitum praecedentium ostensum est, et ad finem aliquot sequentium ostendetur, non aliam perceptionis ideam de Infinito Existente ab Infinito Esse potuerunt habere, quam de Divino Homine, nam quicquid per Coelum sicut per Maximum Hominem ab Infinito Esse transit, hoc imaginem ejus secum habet, in omnibus et in singulis: Cum Ecclesia illa coelestis coepit labi, praeviderunt quod Infinitum illud Existens non potuisset influxum habere in mentes hominum amplius, et quod sic periturum Genus humanum, idcirco ex revelatione habuerunt, quod nasceretur qui Humanum in Se Divinum faceret, et sic fieret ipsum Infinitum Existens quale fuerat antea, et tandem unum cum Infinito Esse sicut etiam fuerat antea, inde Propheticum eorum de Domino in Genes: Cap: III: Vers: 15. Hoc describitur ita apud Johannem, „ In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: Hoc erat in principio apud Deum; omnia per Ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ipsius sicut Unigeniti a Patre, plenus gratia et veritate, " I: 1. 2. 3. 4. 14; Verbum est Divinum Verum, quod in Essentia sua est Infinitum Existens ab Infinito Esse, et est Ipse Dominus quoad Humanum suum; Hoc Ipsum est a Quo verum Divinum nunc procedit et influit in Coelum, et per Coelum in mentes humanas, consequenter quod regit et gubernat universum, sicut id rexit et gubernavit ab aeterno, idem enim et unum est cum Infinito Esse, nam conjunxit Divino Humanum, quod factum per id quod Humanum in Se etiam Divinum fecerit. Inde nunc constare potest, quod supremum Veri Divini sit Domini Divinum Humanum, ac inde quod supremum inter doctrinalia Ecclesiae sit, quod Humanum Ipsius sit Divinum.

4688. Et ecce circumdederunt manipuli vestri, quod si-

gnificet illos qui in fide essent, nempe in fide alicujus charitatis, constat a significatione circumdare, quod hic sit accessus ad adorandum, sequitur enim quod incurvaverint se manipulo ejus, per quod significatur adoratio; et ex significatione manipuli, quod sit doctrina, de qua mox supra n: 4686, [8] hic omnia doctrinae seu omnia fidei; quod manipuli hic significent illa, est quia per omnes filios Jacobi repraesentantur in genuino sensu omnia fidei, n: 3858. 3926; ita quoque manipuli, quia illi erant loco illorum in somnio, et quia hoc visum est in medio agri, et per medium agri significatur interius, seu qui interiores sunt in Ecclesia, de qua agitur n: 4686, [8] ita illi qui in fide alicujus charitatis sunt; hi sunt manipuli, qui circumdederunt, et se incurvarunt Manipulo Josephi; quod illi qui exteriores sunt seu remotiores a medio, et in proprio sensu hic sunt fratres Josephi, non intelligantur, patet ab illis quae praecedunt et quae sequuntur, quod nempe oderint eum magis et magis, hoc est, quod contemserint eum et se averterint, nam per odi, non loqui ad pacem, et invidere, quae dicuntur de fratribus ejus, significatur contemtus et aversio.

4689. Et incurvaverunt se manipulo meo, quod significet adorationem, constat ex significatione incurvare se, quod sit effectus humiliationis, de qua n: 2153, proinde adoratio; et ex significatione manipuli Josephi, quod hic sit doctrinale de Domini Divino Humano, de qua n: 4686, ita est Divinum Humanum quod adoraverunt, nempe illi qui in interiori Ecclesiae sunt; qui autem exteriores sunt, hoc est, illi qui a fide separata, nihil minus quam adorant, fides separata a charitate hoc secum habet, quia, ut supra dictum, Dominus in charitate est praesens, ac in fide non nisi quam per charitatem, nam charitas est medium conjungens; quid verum absque bono, et quid intellectuale absque voluntario, ita quid fides absque charitate, aut quid confidentia absque essentia sua. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, nihil minus quam adorent Divinum Humanum Domini, constare mihi potuit manifeste a talibus qui in alteram vitam e Christiano orbe veniunt, cum quorum pluribus loquutus sum, ibi enim non ora sicut in mundo, sed corda loquuntur, cujusvis cogitationes ibi communicantur multo apertius quam per aliquam loquelam in mundo, nec ibi loqui

aliter conceditur quam sicut cogitant, ita sicut credunt; multi eorum, qui etiam praedicarunt Dominum in mundo, ibi prorsus negant illum, et cum inquiritur ex quo fine seu ex qua causa praedicarunt Ipsum et quoque in externa forma sancte adoraverunt Ipsum, compertum est, quod fecerint quia illis ex officio id injunctum, et quia sic honores et opes lucrati; et qui non praedicarunt, sed usque confessi Ipsum, quod fecerint quia nati in Ecclesia, et quod diffamarentur si contra religionem loquuti fuissent; ne quidem unus ex orbe Christiano novit, quod Humanum Ipsius Divinum sit, et vix aliquis quod Ipse Solus coelum ac universum regat, minus quod Divinum Humanum Ipsius sit omne in coelo; quod ita sit, non potuerat aperte revelari, quia praevisum a Domino, quod Ecclesia Christiana deflecteret a charitate ad fidem, proinde se separaret ab Ipso, et sic non modo rejiceret sed etiam prophanaret sanctum quod a Divino Humano Ipsius, nam fides separata a charitate non aliter potest. Quod fides separata a charitate hodie sit, constat, separant se Ecclesiae secundum dogmata, et qui aliter credit quam sicut dogma docet, e communione eorum ejicitur, et quoque diffamatur; qui autem latrocinatur, absque misericordia deprivat alios suis bonis, solum ne fiat apertis modis, qui dolose machinatur contra proximum, qui charitatis opera ignominia afficit, quique adulteratur, is usque Christianus vocatur, modo frequentet sacra et loquatur ex doctrina; inde patet, quod hodie sit doctrina quae facit Ecclesiam, non autem vita, et quod fructus, quos fidei adjungunt, sint modo in doctrina, et nihil in mentibus eorum.

4690. Et dixerunt ei fratres ejus, quod significet illos qui a fide separata, constat a repraesentatione fratrum Josephi, quod sint Ecclesia, quae deflectit a charitate ad fidem, et tandem fidem separat a charitate, de qua n: 4665. 4671. 4679; interiores autem illius Ecclesiae significati sunt per manipulos in somnio, n: 4686. 4688. Quod fratres Josephi illam Ecclesiam repraesentent, est quia in sensu proximo significant Ecclesiae repraesentativum, seu religiosum, quod apud posteros Jacobi instituebatur; qui quidem non noverunt aliquid de fide de qua Ecclesia Christiana, sed de Veritate, veritas illis erat eadem quae Christianis fides, etiam in Lingua originali eadem vox utri-

que est; sed Judaica Ecclesia per veritatem intelligebat praecepta decalogi, et quoque leges, judicia, testimonia, et statuta, quae per Mosen tradita sunt; interiora veritatis non sciebant, nec scire volebant; Christiana autem Ecclesia, doctrinalia quae sunt interiora Ecclesiae et credenda dicuntur, fidem vocat; per fidem enim vulgus non aliam quam symbolicam intelligit, seu quam Libri symbolici docent; qui autem cogitant, quod doctrinalia fidei, seu scientia eorum neminem salvare possit, et quod pauci in vita fidei sint, fidem confidentiam dicunt, sed hi supra vulgus sunt, ac aliis doctiores. Ex his constare potest, quod in sensu interno hic agatur non solum de Ecclesiae repraesentativo, quod apud posteros Jacobi institutum fuit, sed etiam de Ecclesia Christiana quae successit; nam Verbum Domini est universale, et comprehendit in genere omnem Ecclesiam; aeque enim a Domino praevisum est, quomodo se haberet cum Ecclesia Christiana, ac quomodo cum Ecclesia Judaica, sed proxime cum Judaica, quapropter ille sensus vocatur sensus proximus seu sensus internus historicus, et alter sensus internus.

4691. An regnando regnabis super nos, si dominando dominaberis in nos, quod significet num quoad intellectualia et voluntaria subjecti essent, constat ex significatione regnare, quod sit subjectum esse quoad intellectualia; et a significatione dominari, quod sit subjectum esse quoad voluntaria: quod regnare super eos, et dominari in eos, sit subjectum fieri, patet; sed quod utrumque hic dicatur, est quia unum spectat intellectualia, et alterum voluntaria; commune est in Verbo, imprimis prophetico, unam rem per bina exprimere; qui non novit arcanum quod in illo est, non aliter opinari potest, quam quod solum sit repetitio propter emphasin; sed non ita est, in singulis Verbi est conjugium coeleste, nempe conjugium veri cum bono et boni cum vero, sicut est conjugium intellectus et voluntatis in homine, una expressio se refert ad verum, altera ad bonum, ita una ad intellectuale nam hujus est verum, et altera ad voluntarium nam hujus est bonum, etiam expressiones in Verbo ex illis vocibus constant quae constanter significant talia; hoc arcanum est, quod latet in eo, quod una res per bina exprimatur, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 4138 f: ita etiam hic, regnare super eos, et dominari in eos,

regnare etiam spectat verum quod intellectus, dominium autem bonum quod voluntatis, etiam Regnum praedicatur de vero, n: 1672. 2547, et dominium de bono; ut quoque apud Danielem, ubi etiam agitur de Divino Humano Domini „ Huic datum est *Dominium*, et gloria, et *Regnum*, ut omnes populi, gentes, et linguae Ipsum colerent: *Dominium* Ipsius *Dominium aeternum* quod non transibit, et *Regnum* Ipsius quod non peribit" VII: 14: et apud Davidem „ *Regnum* tuum *Regnum* omnium aeternitatum, et *Dominium* tuum in omnem generationem et generationem" Psalm: CXLV: 13.

4692. Et addiderunt adhuc odisse eum super somnia et super verba ejus, quod significet contemtum et aversionem adhuc majorem propter praedicationem veri, hic nempe de Divino Humano Domini, constat ex significatione addere, quod sit magis; ex significatione odi, quod sit contemnere et se avertere, de qua supra n: 4681; ex significatione somnii, quod sit praedicatio, de qua etiam supra n: 4682. 4685; et ex significatione verborum, quod sint vera; quod verba sint vera, est quia omne Verbum in coelo est ex Domino, ideo verba in sensu interno significant vera, et Verbum in genere omne Divinum Verum. Quod ipsam rem attinet, est supremum inter vera, quod Ecclesia, quae separavit fidem a charitate, praecipue contemnit, et a quo se avertit, nempe quod Humanum Domini sit Divinum: omnes qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt, et non separaverunt charitatem a fide, crediderunt quod Deus universi esset Divinus Homo, et quod Ipse esset Divinum Esse; inde etiam Jehovam Ipsum nominabant; sciebant hoc ex Antiquissimis, tum quoque quia apparuerat pluribus fratrum eorum, ut Homo; sciebant etiam, quod omnia ritualia et externa Ecclesiae eorum Ipsum repraesentarent: sed qui a fide separata fuerunt, non potuerunt id credere, quia non potuerunt comprehendere, quomodo Humanum posset esse Divinum, et quod amor Divinus hoc faceret, quicquid enim non comprehendebant ex aliqua idea capta per sensualia corporis externa, nihili esse putabant; fides separata a charitate hoc secum habet; nam clauditur apud illos internum perceptionis, quia non datur aliquod intermedium, per quod influxus. Ecclesia Judaica, quae successit, credidit qui-

dem Jehovam esse Hominem et quoque Deum, quia apparuerat Mosi et Prophetis sicut homo, quapropter unumquemvis Angelum, qui apparuit, nominabant Jehovam; sed usque de Ipso non aliam ideam habuerunt, quam gentiles de suis diis, quibus Jehovam Deum praeferebant, quia miracula potuit facere, n: 4299; non scientes, quod Jehovah esset Dominus in Verbo, n: 2921. 3035; et quod esset Divinum Humanum Ipsius, quod omnia ritualia eorum repraesentabant; de Messia seu Christo non aliud cogitabant, quam quod futurus maximus Propheta, major Mose, et maximus Rex, major Davide, qui introduceret eos in terram Canaanem cum stupendis miraculis; de Regno Ipsius coelesti [9] nihil voluerunt audire; et hoc quia nihil aliud quam mundana capiebant; erant enim separati a charitate. Ecclesia vero Christiana quidem Humanum Domini ut Divinum adorat in externo cultu, imprimis in Sacra Coena, quia dixerat quod Panis ibi esset Corpus Ipsius, et Vinum esset Sanguis Ipsius; sed Humanum Ipsius non Divinum faciunt in doctrina, distinguunt enim inter naturam Divinam et naturam humanam; hoc etiam ex causa quia Ecclesia deflexit a charitate ad fidem, et tandem ad fidem separatam; et quia Humanum Domini non Divinum agnoscunt, scandalizant se multi, et corde Ipsum negant, n: 4689; cum tamen res ita se habet, quod Divinum Humanum Domini sit Divinum Existens a Divino Esse, de quo supra n: 4687, et quod Ipse sit Divinum Esse, nam Divinum Esse et Divinum Existens unum sunt, sicut etiam Dominus manifeste docet apud Johannem „Dixit Jesus Philippo, tantum tempus vobiscum sum, et non nosti Me; qui vidit Me vidit Patrem; nonne credis, quod Ego in Patre et Pater in Me sit: credite Mihi, quod Ego in Patre, et Pater in Me" XIV: 9. 10. 11, et quoque alibi; Divinum enim Existens est ipsum Divinum procedens a Divino Esse, ac in imagine est Homo, quia Coelum, cujus est omne, repraesentat Maximum Hominem, ut supra n: 4687 dictum, et ad finem Capitum ubi de Correspondentia omnium quae apud hominem cum illo, ostensum. Dominus quidem natus est ut alius homo, et infirmum humanum a matre habuit, sed Dominus hoc humanum prorsus expulit, adeo ut amplius non filius Mariae esset, et Humanum in Se Divinum fecit, quod intelligitur per quod glorificatus sit; et quoque ostendit

Petro, Jacobo et Johanni, quod Divinus Homo esset, cum transformatus.

4693. Et somniavit adhuc somnium alterum, quod significet iterum praedicationem, constat ex significatione somnii, quod sit praedicatio, de qua supra n: 4682.

4694. Et narravit illud fratribus suis et dixit, quod significet coram illis qui a fide separata, constat ex repraesentatione fratrum Josephi, quod sint illi qui a fide separata sunt, de qua supra n: 4665. 4671. 4679. 4690.

4695. Ecce somniavi somnium adhuc, quod significet contenta, nempe praedicationis, constat ex illis quae supra n: 4685, dicta sunt.

4696. Et ecce sol et luna, quod significet bonum naturale et verum naturale, constat a significatione solis, quod sit bonum coeleste, de qua n: 1529. 1530. 2120. 2495. 2441. 3636. 3643. 4060; et ex significatione lunae, quod sit bonum spirituale seu verum, de qua n: 1529. 1530. 2495: Sol in supremo sensu significat Dominum, quia Ipse ut Sol apparet illis in coelo qui in coelesti amore sunt, et Luna in supremo sensu etiam significat Dominum, quia Ipse ut Luna apparet illis in coelo qui in spirituali amore sunt, etiam omne lucis in coelo est inde; Lux ideo a Sole ibi est coeleste amoris seu bonum, et Lux a Luna ibi est spirituale amoris seu verum; hic itaque Sol est bonum naturale, et Luna est verum naturale, quia praedicantur de Jacobo et Lea, ut patet a vers: 10, ubi Jacob dicit „An veniendo veniemus ego et mater tua, et fratres tui, ad incurvandum nos tibi terram;" per Jacobum enim repraesentatur bonum naturale, et per Leam verum naturale, ut prius passim ostensum est. Divinum quod a Domino venit, hoc in supremo sensu est Divinum in Ipso, in sensu autem respectivo est Divinum ab Ipso, Divinum bonum quod ab Ipso est quod vocatur coeleste, et Divinum verum quod ab Ipso est quod dicitur spirituale; cum Rationale illa recipit, sunt bonum et verum rationalis quae significantur, cum autem naturale illa recipit, sunt bonum et verum naturalis quae significantur; hic bonum et verum naturalis, quia praedicantur de Jacobo et Lea.

4697. Et undecim stellae, quod significet cognitiones boni et veri, constat a significatione stellarum, quod sint cognitiones

boni et veri; quod stellae in Verbo illas significent, est quia sunt parva luminaria quae lucent noctu, et a se in nostram atmosphaeram tunc emittunt scintillas lucis, similiter ac cognitiones illa quae sunt boni et veri: quod per stellas cognitiones illae significentur, constare potest a pluribus locis in Verbo, ut apud Jeremiam „Dixit Jehovah, dans *solem in lucem diei, statuta lunae et stellarum in lucem noctis*, commovens mare, ut tumultuentur fluctus ejus" XXXI: 35; ubi de nova Ecclesia, per dare solem in lucem diei significatur bonum amoris et charitatis, et per statuta lunae et stellarum in lucem noctis, verum et cognitiones: similiter apud Davidem „Jehovah qui fecit *Luminaria magna, solem in dominium in die, lunam et stellas in dominium in nocte*" Psalm: CXXXVI: 7. 8. 9; qui non sensum internum Verbi novit, credet quod per solem hic sol mundi, et per lunam et stellas luna et stellae intelligantur, at inde nullus sensus spiritualis et coelestis exsurgit, cum tamen Verbum in singulis est coeleste; inde quoque patet, quod sint bona amoris et charitatis, et vera fidei, cum cognitionibus eorum, quae significantur. Similiter quae in Capite Primo Geneseos, ubi de nova creatione hominis coelestis agitur „Dixit Deus, sit *Luminaria* in expanso coelorum, ad distinguendum inter diem et inter noctem, et erunt in signa et in stata tempora, et in dies et in annos; et erunt in *Luminaria* in expanso coelorum, ad lucem dandum super terra, et factum ita: et fecit Deus *duo Luminaria magna, Luminare magnum ad dominandum die*, et *Luminare minus ad dominandum nocte*, et *Stellas;* et posuit illa Deus in expanso coelorum ad lucem dandum super terra, et ad dominandum in die et in nocte, et ad distinguendum inter lucem et inter tenebras" Vers: 13. 14. 15. 16. 17. 18, videatur n: 30 ad 38. Apud Matthaeum „Statim post afflictionem dierum istorum, *Sol obscurabitur*, et *luna non dabit lumen suum*, et *stellae cadent de coelo*, et potentiae coelorum commovebuntur" XXIV: 29; quod per solem et lunam ibi significetur amor et charitas, seu bonum et verum, et per stellas cognitiones, videatur n: 4060; [10] et quia ibi de ultimo die seu ultimo statu Ecclesiae agitur, per quod sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum, significatur quod tunc peribit bonum amoris et charitatis, et per quod stellae cadent de coelo, quod etiam cogni-

tiones boni et veri; quod illa significentur, patet a Propheticis Verbi, ubi similia dicuntur de ultimo Ecclesiae; ut apud Esaiam „Ecce dies Jehovae veniet crudelis, ad ponendum terram in vastitatem, et peccatores perdet ex illa, nam *stellae coelorum* et *sidera eorum* non lucebunt luce sua, *obscurabitur sol in ortu suo*, et *luna non splendere faciet lucem suam*" XIII: 9. 10. Apud Joëlem „Propinquus est dies Jehovae, *sol* et *luna* atrati sunt, et *stellae* contraxerunt splendorem suum" IV: 14. 15. Apud Ezechielem „Obtegam cum exstinxero te, coelos, et *atrabo stellas eorum*, *solem nube obtegam*, et *luna non lucere faciet lumen suum*, omnia *luminaria lucis* in coelo atrabo super te, et dabo tenebras super terra tua" XXXII: 7. Et apud Johannem „Quartus Angelus clanxit et percussa est *tertia pars solis*, et *tertia pars lunae*, et *tertia pars stellarum*, ut *obtenebraretur* tertia pars eorum, et dies non luceret tertia sui parte, noxque similiter" Apoc: VIII: 12. Praeterea quod Stellae sint cogitationes boni et veri, patet ab his locis; apud Danielem „Ex uno cornu hirci caprarum crevit cornu unum de exiguo, et crevit valde versus meridiem, et versus ortum, et versus decus, et crevit usque ad *exercitus coelorum*, et dejecit in terram *de exercitu*, et de *stellis*, et conculcavit ea" VIII: 9. 10: et apud Johannem „Draco magnus cauda sua traxit *tertiam partem stellarum coeli*, et projecit eas in terram" Apoc: XII: 4; quod non stellae hic intelligantur, patet, agitur apud Danielem et apud Johannem de Ecclesiae statu ultimis temporibus. Similiter apud Davidem „Jehovah numerat numerum *stellarum*, omnibus nomina vocat" Psalm: CXLVII: 3. Apud Eundem „Laudate Jehovam *sol* et *luna*, laudate Ipsum omnes *stellae lucis*" Psalm: CXLVIII: 3. Apud Johannem „Signum magnum visum est in coelo, mulier circumdata *solem*, et *luna* sub pedibus ejus, et super capite ejus corona *duodecim* [11] *stellarum*" Apoc: XII: 1. Quia per stellas significantur cognitiones boni et veri, per illas significantur doctrinalia Ecclesiae, nam haec sunt cognitiones; Doctrinale de fide separata a charitate ultimis temporibus, per stellam ita describitur apud Johannem „Tertius Angelus clanxit, et *cecidit e coelo stella magna* ardens sicut lampas, et cecidit super tertiam partem fluviorum, et super fontes aquarum: *nomen stellae dicitur absinthium*, et multi

homines mortui sunt in aquis, quia amarae factae sunt » Apoc: VIII: 10. 11; aquae quae ex stella illa factae sunt amarae, sunt vera, et fluvii ac fontes aquarum sunt inde intelligentia et sapientia ex verbo; quod aquae sint vera, videatur n: 2702. 3058. 3424; quod fluvii sint intelligentia, n: 3051; quodque fontes sapientia ex Verbo, n: 2702. 3424.

4698. Incurvantes se mihi, quod significet adorationem, constat ex significatione incurvare se, quod sit adoratio, de qua supra n: 4689.

4699. Et narravit ad patrem suum, et ad fratres suos, quod significet quod datum scire id, constare potest absque explicatione.

4700. Et increpavit eum pater et dixit ei, quid somnium hoc quod somniasti, quod significet indignationem, constat ex significatione increpare, quod sit indignari, et quidem propter praedicationem veri de [12] Divino Humano Domini, quae significatur per somnium somniare, de qua n: 4682. 4693. 4695; pater et fratres Josephi sunt hic religio Judaica ex antiqua; externum illius religionis erat quoad plurimam partem simile externo Ecclesiae Antiquae; internum autem erat in externis apud illos qui ab Antiqua Ecclesia, non autem apud illos qui a Religioso Judaico, quia Judaei non aliquod internum agnoverunt, nec hodie agnoscunt; sed usque tamen internum inerat: externum hoc cum suo interno est quod hic dicitur pater, et externum absque interno quod fratres; inde sequitur, quod inviderunt ei fratres ejus, et pater ejus custodivit verbum, et per illa significatur aversio illorum qui in externo absque interno sunt, et per haec quod usque veritas maneret in religioso eorum: se habet hoc, sicut in Ecclesia Christiana, qui ibi in externo sunt absque interno, in Sacra Coena edunt panem et bibunt vinum, et nihil aliud cogitant quam quod faciendum quia mandatum et ab Ecclesia receptum, et quidam eorum credunt quod Panis sanctus sit et Vinum sanctum, non autem in Pane et Vino sanctum ex eo, quod panis sit sanctum amoris et charitatis in coelo, et quod vinum sit sanctum charitatis et fidei ibi, n: 3464. 3735; at qui in cultu externo sunt et simul in interno, ii non adorant panem et vinum, sed Dominum Quem repraesentant,

ex Quo sanctum [13] amoris, charitatis et fidei, et hoc non ex doctrina, sed ex amore, charitate et fide appropriatis vitae.

4701. An veniendo veniemus ego, et mater tua et fratres tui ad incurvandum nos tibi terram, quod significet num adoratura Ecclesia, constat ex significatione venire ad incurvandum, quod sit adoratura, de qua n: 4689. 4698; et ex significatione patris qui hic est ego, et matris tum fratrum, quod sit Ecclesia, hic Ecclesia Judaica, ut mox prius.

4702. Et inviderunt ei fratres ejus, quod significet aversionem ejus, constat ex significatione invidere, quod etiam sit aversio, sicut odi et non loqui ei ad pacem, ut supra n: 4681; vox enim invidere in lingua originali etiam significat aemulari et jurgari, et quia aemulatio et jurgatio est effectus odii, per eandem quoque significatur aversio.

4703. Et pater ejus custodivit verbum, quod significet quod maneret veritas in religioso eorum, constat a significatione patris hic, quod sit religio Judaica ex antiqua, de qua supra n: 4700; ex significatione custodire, quod sit intus conservare, ita manere; et ex significatione verbi, quod sit veritas, de qua supra n: 4692; quid porro intelligitur per quod maneret veritas in religioso eorum, videatur supra n: 4700.

4704. Vers: 12 ad 17. *Et iverunt fratres ejus ad pascendum gregem patris illorum in Schechem. Et dixit Israël ad Josephum, nonne fratres tui pascentes in Schechem, vade et mittam te ad illos, et dixit ei, ecce me. Et dixit ei, vade quaeso, vide pacem fratrum tuorum, et pacem gregis, et reduc mihi verbum: et misit eum e valle Chebronis, et venit Schechemum. Et invenit eum vir, et ecce errans in agro, et interrogavit eum vir, dicendo, quid quaeris. Et dixit, fratres meos ego quaerens, indica quaeso mihi ubi illi pascentes. Et dixit vir, profecti abhinc, quia audivi dicentes, eamus Dothanem; et ivit Joseph post fratres suos, et invenit illos in Dothan.* Iverunt fratres ad pascendum gregem, significat docentes ex fide: patris illorum, significat Antiquae et Primitivae Ecclesiae: in Schechem, significat prima rudimenta: et dixit Israël ad Josephum, significat perceptionem ex Divino Spirituali: nonne fratres tui pascentes in Schechem, significat quod doceant: vade et mittam te ad illos, significat quod doceret Divina bona

spiritualia: et dixit, ecce me, significat affirmationem: et dixit ei, vade quaeso, vide pacem fratrum tuorum, significat adventum Domini omnem; et perceptionem quomodo cum docentibus se haberet: et pacem gregis, significat quomodo cum discentibus seu Ecclesia: et reduc mihi verbum, significat cognitionem: et misit eum e valle Chebronis, significat quod ex naturali et sensuali Divino: et venit Schechemum, significat cognitionem communium doctrinalium: et invenit eum vir, et ecce errans in agro, significat quod a vero communi Ecclesiae lapsi: et interrogavit eum vir, dicendo, quid quaeris, significat Praevidentiam: et dixit, fratres meos ego quaerens, indica quaeso mihi, ubi illi pascentes, significat cognitionem quomodo se haberet, et in quo statu essent: et dixit vir, profecti abhinc, quia audivi dicentes, eamus Dothanem, significat quod a communibus contulerint se ad specialia doctrinae: et ivit Joseph post fratres suos, et invenit illos in Dothan, significat quod essent in specialibus falsorum principiorum.

4705. Iverunt fratres ad pascendum gregem, quod significet docentes ex fide, constat a significatione fratrum Josephi, quod sint illi in Ecclesia, qui a fide, de qua supra n: 4665. 4671. 4679. 4690; et a significatione pascere gregem, quod sit docere, de qua n: 343. 3767. 3768. 3772. 3783.

4706. Patris illorum, quod sit Antiquae et Primitivae Ecclesiae, constat a significatione patris hic seu Jacobi, quod sit Antiqua Ecclesia, de qua supra n: 4680 f; quod etiam sit Ecclesia primitiva Christiana quae significatur, videatur n: 4690 f: per Ecclesiam Primitivam intelligitur Christiana in suo primordio: sunt in genere quatuor Ecclesiae inter se distinctae, de quibus agitur in Verbo; est illa quae fuerat ante diluvium, et Homo appellata, haec est quae vocatur Antiquissima Ecclesia; est dein quae fuerat post diluvium, haec est quae dicitur Antiqua Ecclesia; tum est illa quae apud Jacobi posteros, quae non fuit Ecclesia, sed repraesentativum Ecclesiae, hoc etiam vocatur religiosum; et est quae post adventum Domini instaurata est, et vocatur Ecclesia Christiana, haec est quae in suo primordio dicitur Ecclesia Primitiva.

4707. In Schechem, quod significet prima rudimenta, constat ex significatione Schechemi, quod sit verum ex Antiqua Di-

vina stirpe, de qua n: 4399. 4454, et quod sit doctrina, n: 4472. 4473, hic prima rudimenta nempe doctrinae de fide; se enim habet praedicatio nominis praedicate ad rem in sua serie; prima rudimenta sunt etiam communia doctrinalium, communia sunt quae primum recipiuntur, specialia dein sequuntur.

4708. Et dixit Israël ad Josephum, quod significet perceptionem ex Divino spirituali, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum spirituale, de qua n: 4669.

4709. Nonne fratres tui pascentes in Schechem, quod significet quod doceant, constat ex significatione pascere, quod sit docere, de qua mox supra n: 4705; et ex significatione Schechem, quod sint prima rudimenta doctrinae de fide, de qua mox supra n: 4707.

4710. Vade et mittam te ad illos, quod significet quod doceret Divina bona spiritualia, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum spirituale Domini, de qua n: 4669. 4708; cum mitti hoc dicitur, est docere Divina bona spiritualia, nam mitti in sensu interno est exire et procedere, n: 2397, et quoque simul docere, hic itaque Divina bona spiritualia quae procedunt a Divino Spirituali Domini: Divina bona spiritualia sunt illa quae sunt amoris et charitatis, Divina autem vera spiritualia sunt illa quae sunt fidei inde, qui illa docet, haec etiam docet, nam haec sunt ex illis et de illis: quod mitti in sensu interno sit procedere et docere, constare potest a multis locis in Verbo, ut pluries de Domino quod missus a Patre, quo significatur quod procederet ab Ipso, hoc est, a Divino Bono; et quoque quod Dominus mittat paracletum seu spiritum veritatis, quo significatur, quod sanctum verum procedat ab Ipso: et quoque prophetae mittebantur, et per id significatur quod docerent illud quod procedit a Domino; haec confirmare ex Verbo quilibet potest, frequenter enim ibi legitur.

4711. Et dixit, ecce me, quod significet affirmationem, constare potest absque explicatione.

4712. Et dixit ei, vade quaeso, vide pacem fratrum tuorum, quod significet adventum Domini omnem, et perceptio-

nem quomodo cum docentibus se haberet, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua mox supra n: 4708; ex significatione pacis, quod sit salus, de qua n: 4681, [14] ita quomodo se haberet; et ex repraesentatione fratrum, quod hic sint docentes ex fide, de qua supra n: 4705; inde patet quod per illa verba significetur perceptio, quomodo cum docentibus se haberet. Quod etiam significetur adventus Domini omnis, est quia per Josephum repraesentatur Dominus quoad Divinum Spirituale, n: 4669. 4708. 4710, quare cum dicitur quod Josephus vaderet et videret pacem fratrum significatur adventus Ipsius: adventus omnis dicitur cum in cogitationem ex Verbo influit verum.

4713. Et pacem gregis, quod significet quomodo cum discentibus seu Ecclesia, constat ex significatione pacis, quod sit quomodo se haberet, de qua mox supra n: 4712; et ex significatione gregis, quod sint illi qui discunt, pastor enim seu pascens est qui docet et ducit ad bonum charitatis, et grex qui discit et ducitur, de qua n: 343, ita quoque Ecclesia.

4714. Et reduc mihi verbum, quod significet cognitionem, constat ex significatione reducere verbum, quod sit referre quomodo se res haberet, ita cognitio.

4715. Et misit eum e valle Chebronis, quod significet ex Naturali et Sensuali Divino, constat ex significatione mitti, quod sit procedere et docere, de qua supra n: 4710; ex significatione vallis, quod sint illa quae infra sunt, de qua n: 1723. 3417; et ex significatione Chebronis, quod sit Ecclesia Domini quoad bonum, de qua n: 2909, ita per illa verba significatur quod doceret illa quae inferiora Ecclesiae sunt, et hoc ideo quia superiora non caperent; qui enim fidem docet et non charitatem, is nusquam superiora seu interiora Ecclesiae appercipere potest, non enim habet quicquam quod ducit, et quod dictat num hoc fidei sit vel num hoc verum, at si docet charitatem, tunc habet bonum, hoc ei dictamèn est, et eum ducit, nam omne verum est ex bono et agit de bono, seu quod idem, omne fidei est ex charitate et agit de charitate; quod omne doctrinae spectet vitam, unusquisque ex solo lumine naturali scire potest. Quod per illa verba significetur ex Naturali et Sensuali Divino, est sensus superior; quae enim inferiora Ecclesiae sunt, illa dicun-

tur esse ex Naturali et Sensuali Divino Domini, non quod in Domino haec sint inferiora, nam in Domino et in Ipsius Divino Humano omne est Infinitum, est enim Jehovah quoad utramque Essentiam, n: 2156. 2329. 2921. 3023; sed quia ita est apud hominem; qui enim sensuales homines sunt, sensualiter capiunt illa quae in Domino sunt et quae ex Domino, et qui naturales naturaliter; ex qualitate illorum qui recipiunt, ita dicitur; qui autem coelestes homines sunt, et inde vere rationales, illi interiora percipiunt, de illis dicitur quod doceantur ex Rationali Divino Domini; hic est sensus superior, ut dictum, qui per illa verba significatur. Quod vallis sint inferiora Ecclesiae, constare potest ab aliis locis in Verbo; ut apud Esaiam „*Propheticum vallis visionis;* quid tibi hic, quod ascendisti omnis in tecta: dies tumultus, et conculcationis, et perplexitatis Domino Jehovih Zebaoth, in *Valle visionis*,“ XXII: 1. 5; vallis visionis pro phantasiis de spiritualibus ex sensualibus, ita ex inferioribus. Apud Eundem „*Selectio vallium* tuarum impletae sunt curru, et equites ponendo posuerunt ad portam,“ XXII: 7; electio vallium pro bonis et veris in naturali seu externo homine. Apud Eundem „Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovae, complanate in solitudine semitam Deo nostro, *omnis vallis* extolletur,“ XL: 3. 4; vallis pro humilibus. Apud Jeremiam, „Quomodo dices non polluta sum, post baalim non ivi, vide *viam tuam in valle*, agnosce quid feceris,“ II: 23; vallis pro scientificis et sensualibus, quae sunt inferiora per quae vera perverterunt. Apud Eundem „Ego contra te, *habitatrix vallis*, petra planitiei, dictum Jehovae, dicentes, quis descendet contra nos,“ [15] XXI: 13; habitatrix vallis et petra planitiei, pro fide in qua non charitas: apud Eundem „Veniet vastator super omnem urbem, et urbs non evadet, sed *peribit vallis*, et perdetur planities,“ XLVIII: 8, similiter. Apud Eundem „Non gloriaberis *vallibus*, defluxit *vallis tua*, filia perversa,“ XLIX: 4; vallis pro externis in cultu, quae etiam sunt infima. Apud Ezechielem „Dabo Gogo locum sepulchro in Israële, *vallem transeuntium:* sepelient ibi Gogum, et omnem multitudinem ejus; unde vocabunt *vallem multitudinis Gogi*,“ XXXIX: 11. 15; Gogus pro illis qui in cultu externo absque interno sunt, n: 1151, inde dicitur sepulchrum ejus vallis transeuntium et

vallis multitudinis ejus. Apud Davidem „Etiam cum ambulavero in *valle umbrae*, non timebo mihi malum," Psalm: XXIII: 4, [16] vallis umbrae pro inferioribus, quae respective in umbra sunt. Valles quia erant inter montes et colles et sub illis, ideo per valles significantur inferiora seu exteriora Ecclesiae, quia per colles et montes superiora seu interiora ejus, per colles illa quae sunt charitatis, et per montes illa quae sunt amoris in Dominum, n: 795. 1430. 2722. 4210, et quia per Terram Canaanem significatur Regnum Domini ac Ipsius Ecclesia, idcirco dicitur illa „*Terra montium et vallium*, ad pluviam coeli imbibens aquas," Deut: XI: 11. Quod Josephus hic dicatur missus e valle Chebronis, inde est, quia ad illos qui docebant de fide, n: 4705, qui enim in fide sunt et non in charitate, illi in inferioribus sunt, nam apud illos fides modo est in memoria et inde in ore, non autem in corde et inde in opere.

4716. Et venit Schechemum, quod significet cognitionem communium doctrinalium, constat ex significatione Schechemi, quod sint prima rudimenta, seu quod idem, communia doctrinalium, de qua [n:] 4707.

4717. Et invenit eum vir, et ecce errans in agro, quod significet quod a vero communi Ecclesiae lapsi, constat a significatione errare in agro, quod sit a vero communi Ecclesiae labi, ager enim est Ecclesia quoad bonum, n: 2971. 3196. 3766, et vir agri est bonum vitae ex doctrinalibus, n: 3310; vir dicitur, quia per virum significatur verum quod est Ecclesiae, n: 3134. A vero communi Ecclesiae labi dicuntur, qui agnoscunt Dominum sed non Humanum Ipsius Divinum; ut et qui agnoscunt fidem pro essentiali, non autem charitatem; utrumque est verum commune Ecclesiae, a quo cum recedit homo Ecclesiae, a vero communi labitur, qui ab hoc, is postmodum a veris in specie, de quibus in sequentibus; sicut qui a principio falso inchoat, et ab eo deducit consequentia, inde haec fiunt falsa, quia in consequentibus regnat principium, et quoque per haec principium falsum corroboratur.

4718. Et interrogavit eum vir dicendo, quid quaeris, quod significet praevidentiam, constare potest ex serie, nam series involvit praevidentiam.

4719. Et dixit fratres meos ego quaerens, indica quaeso

mihi ubi illi pascentes, quod significet cognitionem quomodo se haberet, et in quo statu essent; proxime secundum verba, quomodo se haberet cum docentibus ex fide, et cognosceret statum illorum; nam per fratres significantur docentes ex fide, n: 4712; per quaerere seu videre pacem eorum, quomodo cum illis se haberet, n: 4712. 4713; per ubi significatur status, omne enim loci in sensu interno est status, n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321; et per pascentes significantur docentes, n: 343. 3767. 3768. 3772. 3783.

4720. Et dixit vir, profecti abhinc quia audivi dicentes, eamus Dothanem, quod significet quod a communibus contulerint se ad specialia doctrinae, constat a significatione proficisci, quod sit se conferre; ex significatione a Schechemo, quod hic est abhinc, quod sit a communibus doctrinae, n: 4707. 4716; et ex significatione Dothanis, quod sint specialia doctrinae; quod Dothan sint specialia doctrinae, non ita confirmari potest ex aliis locis in Verbo, quia solum memoratur in II Libro Reg: Cap: VI: Vers: 13, ubi refertur, quod Rex Syriae miserit currus et equites et exercitum magnum ad Dothan, ad capiendum Elischam, et quod illi caecitatibus percussi fuerint, et ab Elischa perducti Samariam: quia omnia Historica Verbi sunt repraesentativa coelestium et spiritualium Regni Domini, ita etiam haec, et per Regem Syriae repraesentantur illi, qui in cognitionibus veri, n: 1232. 1234. 3249. 3664. 3680. 4112, ibi in opposito sensu qui in cognitionibus non veri; per Elischam, Verbum Domini, n: 2762; per Dothanem, doctrinalia ex Verbo; per currus et equites, et exercitum magnum quem Rex Syriae misit, significantur doctrinae falsa; per montem plenum equis et curribus ignis circum Elischam visis puero ejus, doctrinae bona et vera ex Verbo, n: 2762; et per caecitates, quibus percussi qui a Rege Syriae illuc missi sunt, significantur ipsae falsitates, n: 2383; et quod perducti ab Elischa Samariam, ubi aperti eorum oculi, instructio per Verbum; talia involvit Historicum ibi, et per Dothanem ubi Elischa, significantur doctrinalia boni et veri ex Verbo; hic similiter, specialia enim doctrinae non aliud sunt; sed hic specialia principiorum falsorum, quia agitur de Ecclesia quae a fide inchoat, quam ita a charitate statim ab initio separat; doctrinalia quae dein formantur, sa-

piunt omnia a principio communi, ita a fide absque charitate, inde falsitates, quae sunt specialia falsorum principiorum. Omnis Ecclesia in suo initio non nisi quam communia doctrinae novit, est enim tunc in sua simplicitate et quasi in sua pueritia, temporis successu particularia adjicit, quae partim sunt confirmantia communium, partim additamenta quae tamen communi non repugnant, et quoque explicantia ut apertae contradictiones trahantur in partes, et ne impingant contra illa quae communis sensus dictat; sunt tamen haec omnia specialia falsorum principiorum; nam omnia cujusvis doctrinae se mutuo sicut in quadam societate spectant, et conjunguntur sicut consanguinitate et affinitate, quae commune principium ut patrem agnoscunt; inde patet quod omnia sapiant ex falso, cum principium commune est falsum.

4721. Et ivit Joseph ad fratres suos et invenit eos in Dothan, quod significet quod essent in specialibus falsorum principiorum, constat a repraesentatione Josephi, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 4669; ex repraesentatione fratrum ejus, quod sint Ecclesia quae deflectit a charitate ad fidem, et tandem ad fidem separatam, de qua n: 4665. 4671. 4679. 4680. 4690; et a significatione Dothanis, quod sint specialia falsorum principiorum, de qua mox supra n: 4720; inde patet, quod per illa verba significetur, quod invenerit eos in specialibus principiorum falsorum. Ut sciatur, quid per specialia falsorum principiorum intelligitur, sint illustrationi aliqua doctrinalia Ecclesiae solam fidem pro principio agnoscentis, nempe quod justificetur homo per solam fidem; quod ipsi tunc omnia peccata abstergantur; quod per solam fidem etiam in ultima vitae suae hora salvetur; quod salvatio sit solum admissio in coelum ex gratia; quod infantes etiam per fidem salventur; quod gentes, quia illam non habent, non salventur, praeter plura alia; haec et similia sunt specialia principii de sola fide: si autem Ecclesia agnosceret vitam fidei pro principio, agnosceret charitatem erga proximum et amorem in Dominum, et inde opera charitatis et amoris, et tunc omnia illa specialia caderent; ac pro justificatione agnosceret regenerationem, de qua Dominus apud Johannem „Nisi quis regeneratur denuo, non potest videre Regnum Dei," III: 3; et quod Regeneratio fiat

per vitam fidei, non autem per fidem separatam: nec agnosceret, quod omnia peccata ipsi tunc abstergantur, sed quod ex Misericordia Domini, ab illis detineatur, et in bono et inde vero teneatur; ac ita quod omne bonum sit a Domino, et omne malum a seipso: nec agnosceret quod salvetur per fidem in ultima vitae suae hora, sed per vitam fidei, quae illum manet; nec agnosceret quod salvatio sit solum admissio in coelum ex gratia, quia coelum nemini negatur a Domino, sed si vita ejus non talis sit ut cum angelis simul possit esse, quod inde ex se aufugiat, n: 4674: nec agnosceret quod infantes per fidem salventur, sed quod in altera vita instruantur in bonis charitatis et veris fidei a Domino, et sic in coelum recipiantur, n: 2289 ad 2308; nec agnosceret quod gentes, quia fidem non habent, non salventur, sed quod vita eorum illos aeque maneat, et qui in mutua charitate vixerunt, quod instruantur in bonis fidei, et aeque in coelum recipiantur; qui in bono vitae sunt, etiam hoc volunt et credunt, videatur n: 2589 ad 2604; ita quoque in pluribus aliis. Ecclesia quae solam fidem pro principio agnoscit, nusquam scire potest quid Charitas, ne quidem quid Proximus, ita non quid Coelum; ac miratura quod usquam aliquis dicat, quod felicitas vitae post mortem et gaudium in coelo, sit Divinum quod influit in benevelle et benefacere aliis, et quod felix inde et beatum excedat omnem perceptionem; et quod receptio illius influxus nusquam dari possit apud aliquem, qui non vitam fidei vixerat, hoc est, qui non in bono charitatis fuerat. Quod vita fidei salvet, etiam aperte Dominus docet apud Matthaeum Cap: XXV: Vers: 31 ad fin: etiam pluries alibi, et inde etiam fides Symbolica, quae Athanasii vocatur, ubi ad finem „Quisque rationem reddet operum suorum, qui bene fecerat intrabit in vitam aeternam, qui autem male fecerat in ignem aeternum.“

4722. Vers: 18. 19. 20. 21. 22. *Et viderunt eum e longinquo, et antequam appropinquavit ad illos, et machinati sunt ei ad mori faciendum eum. Et dixerunt vir ad fratrem suum, ecce dominus somniorum iste venit. Et nunc ite, et occidamus eum, et mittamus eum in unam fovearum, et dicamus, fera mala comedit eum, et videbimus quid erunt somnia ejus. Et audivit Ruben, et eripuit eum e manu illorum, et dixit, non percutiamus eum, anima. Et dixit ad illos Ruben, ne effun-*

datis sanguinem, mittite eum ad foveam illam quae in deserto, et manum ne mittatis in eum; propterea ut eriperet eum e manu illorum, ad reducendum eum ad patrem ejus. Viderunt eum e longinquo, significat perceptionem Divini Humani Domini remote: et antequam appropinquavit ad illos, et machinati sunt ei ad mori faciendum eum, significat quod exstinguere vellent Divinum spirituale quod ex Divino Humano Domini: et dixerunt vir ad fratrem suum, significat cogitationes eorum mutuas: ecce dominus somniorum iste venit, significat quod vana illa: et nunc ite et occidamus eum, significat exstinctionem essentialis doctrinae de Divino Humano Domini: et mittamus eum in unam fovearum, significat inter falsa: et dicamus, fera mala comedit eum, significat mendacium ex vita cupiditatum: et videbimus quid erunt somnia ejus, significat quod praedicationes de Ipso sic falsae et viderentur: et audivit Ruben, significat confessionem fidei Ecclesiae in communi: et eripuit eum e manu illorum, significat liberationem: et dixit, non percutiamus eum, anima, significat quod non exstinguendum quia vita religionis: et dixit ad illos Ruben, significat adhortationem: ne effundatis sanguinem, significat ne violent sanctum: mittite eum ad foveam illam quae in deserto, significat quod absconderent interea inter sua falsa: et manum ne mittatis in eum, significat ne violarent: propterea ut eriperet eum e manu illorum ad reducendum eum ad patrem ejus, significat ut vindicaret Ecclesiae.

4723. Viderunt eum e longinquo, quod significet perceptionem Divini Humani Domini remote, constat a significatione videre, quod sit perceptio, de qua n: 2150. 3764; ex significatione e longinquo, quod sit remote; et ex repraesentatione Josephi, qui est ille quem viderunt e longinquo, quod sit Dominus quoad Divinum verum, de qua n: 4669; quod sit Divinum Humanum Domini, quod per Josephum hic intelligitur, est quia id est supremum Divini Veri; sunt duo essentialia quae constituunt Ecclesiam, et inde duo principalia Doctrinae, unum quod Humanum Domini sit Divinum, alterum quod amor in Dominum et charitas erga proximum faciant Ecclesiam non autem fides ab illis separata; haec quia sunt primaria Divini Veri, ideo etiam per Josephum illa repraesentantur; qui Divinum Ve-

rum in genere, etiam quae sunt Divini Veri in specie repraesentat; at quid in specie repraesentat, ex serie patet.

4724. Et antequam appropinquavit ad illos, et machinati sunt ei ad mori faciendum eum, quod significet quod exstinguere vellent Divinum spirituale quod ex Divino Humano Domini, constat ex significatione machinari, quod sit ex pravo animo velle, nam quod ex pravò animo volunt, hoc machinantur; ex significatione mori facere, quod sit exstinguere; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum Spirituale seu Divinum Verum, de qua supra aliquoties; quia Divinum Verum procedit ex Divino Humano Domini, ideo dicitur Divinum Spirituale quod ex Divino Humano Ipsius. Cum hoc ita se habet: omne Divinum Verum quod in universo coelo, non aliunde procedit quam a Divino Humano Domini; quod ab Ipso Divino hoc nusquam apud aliquem Angelum immediate influere potest, est enim Infinitum, sed mediate per Divinum Humanum Domini, quod etiam intelligitur per haec verba Domini „Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius Qui in sinu Patris, Ille exposuit," Joh: I: 18; inde etiam Dominus quoad Divinum Humanum vocatur Mediator. Hoc etiam ab aeterno fuit, Divinum enim Esse absque influxu per coelum, et inde factum Divinum Existens, non potuit communicari cum aliquo Angelo, minus cum aliquo spiritu, et adhuc minus cum aliquo homine; quod Dominus quoad Ipsum Divinum sit Divinum Esse, et quoad Divinum Humanum sit Divinum Existens, videatur n: 4687: Ipsum Humanum Domini nec potuisset recipere aliquem influxum a Divino Esse, nisi in Ipso Humanum Divinum factum sit, nam Divinum erit quod recipiet Divinum Esse: Ex his paucis constare potest, quod Divinum Verum non procedat immediate ab Ipso Divino, sed a Divino Humano Domini. Illud etiam exstinguunt ii apud se, qui pro sola fide militant, et non vivunt vitam fidei, ii enim credunt Humanum Domini esse pure humanum, non absimile humano alius hominis, inde etiam plures ex illis Divinum Domini negant, utcunque Ipsum ore profitentur; at qui vivunt vitam fidei, Dominum genibus flexis et humili corde ut Deum Salvatorem adorant, nihil tunc cogitando ex doctrina de distinctione inter naturam Divinam et Naturam Humanam: similiter faciunt in Sancta Coena;

inde patet, quod apud eos Divinum Humanum Domini sit in cordibus.

4725. Et dixerunt vir ad fratrem suum, quod significet cogitationes eorum mutuas, constat ex significatione dicere, quod sit percipere et cogitare, de qua n: 3395; et ex significatione viri ad fratrem, quod sit mutuo: formula solennis antiquis fuit dicere, vir ad fratrem, cum mutuum significaretur, ex causa quia vir significabat verum, n: 3134. 3459, et frater bonum, n: 4121, inter quae ipsissimum mutuum intercedit, conjunctio enim veri cum bono ac boni cum vero fit mutuo et vicissim, n: 2731.

4726. Ecce Dominus somniorum iste venit, quod significet quod vana illa, constat ex significatione somniorum, quod sint praedicationes, de qua n: 4682, hic praedicationes Divini Veri, quia de Josepho dicitur; sed quia Divinum Verum ab illis qui in sola fide sunt, quoad essentialia sua rejicitur, sicut ostensum de Divino Humano Domini, et de charitate, ideo per somnia hic significantur vana; apparent enim talibus falsa ut vera, ac vera ut falsa, et si non ut falsa, usque ut vana: dominus somniorum est praedicator eorum. Quod Divina Vera appareant talibus ut vana, a pluribus constare potest, sicut pro exemplo; Divinum Verum est, quod Verbum sit sanctum, et quoad unamquamvis jotam divinitus inspiratum, et quod sanctitas ejus et Divina inspiratio sit quia unumquodvis ibi est repraesentativum et significativum coelestium et spiritualium Regni Domini; cum autem aperitur Verbum quoad sensum internum, et docetur quid singula repraesentant et significant, tunc tales qui in sola fide sunt rejiciunt inter vana, dicendo quod non alicujus usus sint, tametsi ipsa coelestia et spiritualia sunt quae amoene afficerent Internum hominem, plus quam mundana Externum: similiter in multis aliis.

4727. Et nunc ite et occidamus eum, quod significet exstinctionem Essentialis doctrinae de Divino Humano Domini, constat a significatione occidere, quod sit exstinguere; et a repraesentatione Josephi, quem occidere volebant, quod sit Divinum Verum Domini, et in specie doctrinale de Divino Humano Ipsius, n: 4723; quod hoc Essentiale doctrinae sit, videatur etiam ibi. Quod Ecclesia agnoscens solam fidem id Essen-

tiale Verum exstinxerit, notum est, quis enim eorum Humanum Domini credit Divinum, anne aversantur solam propositionem; cum tamen in Antiquis Ecclesiis creditum, quod Dominus qui venturus in mundum Divinus Homo esset, et quoque Ille, cum visus ab iis, vocabatur Jehovah, ut patet a pluribus locis in Verbo; sed pro tempore adducatur solum hoc apud Esaiam „Vox clamantis in deserto, parate viam *Jehovae*, et complanate in solitudine semitam *Deo nostro*," XL: 3; quod haec de Domino dicta sint, et quod Ipsi a Johanne Baptista parata via et complanata semita, constat manifeste apud Evangelistas, Matth: III: 3. Marc: I: 3. Luc: III: 4. Joh: I: 23: et praeterea ex ipsis Domini verbis, quod unum esset cum Patre, ac Pater in Illo, et Ille in Patre; tum quod Ipsi data sit omnis potestas in coelis et in terris; et quoque quod Ipsi judicium; qui modo parum novit de potestate in coelo et in terra, ac de judicio, scire potest quod nihil sint, nisi Ipse Divinus esset etiam quoad Humanum. Qui in sola fide sunt, illi nec scire possunt quid hominem facit novum seu illum sanctificat, minus quid Humanum Domini Divinum; nihil enim norunt de amore et charitate; amor enim in Dominum et charitas erga proximum faciunt hominem novum et illum sanctificant; at amor ipse Divinus Dominum Divinum fecit; amor enim est ipsum esse hominis, et inde est ejus vivere, ille format hominem secundum sui imaginem, hoc quoque se habet sicut anima hominis, quae est interior ejus essentia, haec quasi creat seu effigiat corpus ad sui imaginem, et quidem ita, ut per illud agat et sentiat prorsus sicut vult et cogitat, et sic ut corpus sit sicut effectus, et anima sicut causa in qua finis, proinde quod anima sit omne in corpore sicut causa finis est omne in effectu; Cui anima fuit Ipse Jehovah, ut fuit Domino, a Jehovah enim conceptus fuit, Illi Humanum, cum glorificatum, non potuit aliud esse. Ex his patet, quantum aberrant, qui Humanum Domini, postquam glorificatum, humano hominis simile faciunt, cum tamen Divinum est, et ex Divino Humano Ipsius omnis sapientia, omnis intelligentia, et quoque omnis lux, in coelo procedat; quicquid ab Ipso procedit, sanctum est; sanctum quod non a Divino, non sanctum est.

4728. Et mittamus eum in unam fovearum, quod significet inter falsa, constat a significatione fovearum, quod sint fal-

sa; quod foveae sint falsa, est quia homines, qui in principiis falsi fuerunt, post mortem sub inferiori terra aliquantum temporis teneantur, usque dum falsa ab illis amota fuerint et quasi ad latera rejecta; loca ibi vocantur foveae; qui illuc veniunt, sunt qui erunt in vastatione, de qua n: 1106 ad 1113. 2699. 2711. 2714; inde est quod per foveas in sensu abstracto significentur falsa: Inferior terra est proxime sub pedibus ac regio circumcirca ad exiguam distantiam, ibi sunt plerique post mortem antequam elevantur in coelum, de hac terra etiam passim memoratur in Verbo; sub illa sunt loca vastationis, quae foveae vocantur; infra illa loca et circumcirca ad multam extensionem sunt Inferna: inde aliquantum patet, quid Infernum, quid Inferior terra, et quid Fovea, ubi memorantur in Verbo; ut apud Esaiam „Ad *Infernum* demissus es, *ad latera foveae;* projectus es e sepulchro tuo sicut surculus abominabilis; vestimentum occisorum, confossi gladio, *qui descendunt ad lapides foveae*," XIV: 15. 19, ibi de Rege Babelis, per quem repraesentatur prophanatio veri, rex enim est verum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4581, et Babel prophanatio, n: 1182. 1326; infernum est ubi sunt damnati, damnatio illorum comparatur surculo abominabili, ac vestimento occisorum et confossorum gladio descendentium ad lapides foveae, vestimentum occisorum est verum prophanatum, confossi gladio sunt apud quos verum exstinctum est, fovea est falsum quod vastandum, lapides sunt termini, inde etiam vocantur latera, nam circumcirca foveas sunt inferna; quod vestimentum sit verum, n: 2576, vestimentum occisorum est verum prophanatum, sanguis enim quo tinctum est prophanum, n: 1003; confossi gladio sunt apud quos verum exstinctum est, n: 4503; ex his etiam patet, quod absque sensu interno nullatenus sciri possit, quid haec sunt. Apud Ezechielem „Cum fecero descendere te *cum descendentibus Foveam* ad populum saeculi, et habitare fecero te *in terra inferiorum;* in *desolationibus* a saeculo *cum descendentibus foveam* ut non habites; tunc dabo decus in terra viventium," XXVI: 20; descendentes foveam pro illis qui mittuntur in vastationem; non habitare cum illis qui descendunt foveam, pro liberari a falsis. Apud Eundem „Ut non efferant se ob altitudinem suam omnes arbores aquarum, nec mittant ramum suum

ad-inter implexa, nec stent super illis ob altitudinem suam omnes bibentes aquas; omnes tradentur morti *ad terram inferiorem* in medio filiorum hominis, *ad descendentes foveam.* A sono ruinae ejus contremiscere faciam gentes, *cum descendere fecero illum in infernum cum descendentibus foveam;* et consolabuntur se *in terra inferiore* omnes arbores Edenis, selectio et praecipuum Libani, omnes bibentes aquas," XXXI: 14. 16; ibi de Aegypto, per quam significatur scientia quae ex se in mysteria fidei intrat, hoc est, illi qui ita faciunt, n: 1164. 1165. 1186; ex supra dictis liquet, quid per infernum, per foveam, et per terram inferiorem, quae ibi apud Prophetam memorantur, significatur, nec aliunde quam ex sensu interno patet, quid per arbores aquarum, per arbores Edenis, per ramum missum ad-inter implexa, per electionem et praecipuum Libani, et per bibentes aquas. Apud Eundem „Fili hominis, plange super multitudine Aegypti, et *descendere fac illam ipsam* et filias gentium magnificarum *ad terram inferiorum cum descendentibus foveam.* Ibi Aschur, cui data sunt sepulchra *in lateribus foveae,* omnes confossi gladio" XXXII: 18. 23; haec quid sint, ab illis quae supra explicata sunt, constare potest. Apud Davidem „Jehovah, ascendere fecisti *ex inferno* animam meam, vivificasti me *ex descendentibus foveam*" Psalm: XXX: 4. Apud Eundem „Reputatus sum *cum descendentibus* foveam; reputatus sum sicut vir non robur; posuisti me *in fovea inferiorum,* in tenebris, in profunditatibus," Psalm: LXXXVIII: 5. 7. Apud Jonam, „Ad *excisiones montium* descenderam, terrae vectes super me in aeternum, nihilominus *ascendere fecisti e fovea vitam*" II: 7; ibi de tentationibus Domini, et liberatione ab illis; excisiones montium sunt ubi damnatissimi, nimbi enim caliginosi, qui circum illos apparent, sunt montes. Quod fovea sit vastatio falsi, et in sensu abstracto falsum, porro constat apud Esaiam, „Colligentur collectione vinctus ad foveam, et claudentur [17] in claustro, post tamen multitudinem dierum visitabuntur," XXIV: 22. Apud Eundem, „Ubi ira angustatoris, festinabit educens ad aperiendum, et non morietur *ad foveam,* nec deficiet panis," LI: 14. Apud Ezechielem „Ecce ego adducens super te alienos, violentos gentium, qui evaginabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae, et prophana-

bunt splendorem tuum, *in foveam demittent te*, et morieris mortibus confossorum in corde marium," XXVIII: 7. 8; ibi de principe Tyri, per quem significantur qui in principiis falsi sunt. Apud Sachariam, „Exulta valde filia Zionis, clange filia Hierosolymae, ecce Rex tuus venit tibi justus, miser, et equitans super asino, et super pullo filio asinarum: per sanguinem foederis *emittam vinctos tuos e fovea in qua nulla aqua*," IX: [9.] 11; fovea in qua nulla aqua pro falso in quo nihil verum; ut quoque in sequentibus dicitur, quod miserint Josephum in foveam, et fovea vacua nulla in illa aqua, Vers: 24. Apud Davidem, „Ad Te Jehovah clamo, petra mea, ne sileas a me, ne forte sileas a me, *et similis videar descendentibus in foveam*," Psalm: XXVIII: 1. Apud Eundem, „Jehovah *fecit ascendere e fovea* VASTATIONIS, e coeno luti, et constituit super petra pedes meos," Psalm: XL: 3. Apud Eundem, „Ne obruat me fluctus aquarum, nec absorbeat me profunditas, [16] *nec claudat super me fovea os suum*," Psalm: LXIX: 16. Apud Eundem, „Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos *ex foveis eorum*," Psalm: CVII: 20; ex foveis pro ex falsis. Apud Eundem, „Festina, responde mihi Jehovah, consumtus est spiritus meus, ne abscondas facies tuas a me, ut *similis fiam descendentibus in foveam*," Ps: CXLIII: 7. Quia fovea significat falsum, et coeci illos qui in falsis sunt, n: 2383, ideo Dominus dicit, „Sinite eos, duces coeci sunt coecorum, coecus enim coecum si duxerit, *ambo in foveam cadent*," Matth: XV: 13. 14. Luc: VI: 39. Simile quod per Josephum, etiam repraesentatum est per Jeremiam Prophetam, de qua re ipse ita, „Sumserunt Jeremiam, et projecerunt illum *in foveam*, quae in atrio custodiae, et dimiserunt Jeremiam per funes *in foveam ubi nulla aqua*" XXXVIII: 6, hoc est, rejecerunt Divina Vera inter falsa in quibus nihil veri.

4729. Et dicamus, fera mala comedit eum, quod significet mendacium ex vita cupiditatum, constat ex significatione ferae, quod sit affectio et cupiditas, de qua n: 45. 46; fera enim in genuino sensu est vivum, n: 774. 841. 908, inde per feram malam hic significatur vita cupiditatum; quod sit mendacium, patet: hoc refert se ad antecedentia, nempe quod Divinum illud verum rejecerint inter falsa fuerit mendacium ex vita cupi-

ditatum: sunt enim tres origines falsi, una ex doctrina Ecclesiae, altera ex fallacia sensuum, tertia ex vita cupiditatum; quod ex doctrina Ecclesiae hoc solum intellectualem partem hominis captat, nam persuadetur ab infantia quod ita sit, et confirmantia dein corroborant illud; quod autem ex fallacia sensuum, hoc non ita intellectualem partem afficit, est enim illis, qui in falso sunt ex fallacia sensuum, parum intuitionis ex intellectu, ex inferioribus enim et sensualibus cogitant; at falsum ex vita cupiditatum, scaturit ex ipsa voluntate, seu quod idem, ex corde, nam quod vult ex corde homo, hoc cupit, id falsum pessimum est, quia inhaeret, et non eradicatur nisi per novam vitam a Domino: sunt, ut notum est, binae facultates interiores hominis, nempe intellectus et voluntas, quod intellectus haurit et imbuit, hoc non ideo transit in voluntatem, at quod voluntas, hoc transit in intellectum, nam quod vult homo hoc cogitat, quapropter cum vult malum ex cupiditate, tunc cogitat id et confirmat, confirmantia mali per cogitationem sunt quae vocantur falsa ex vita cupiditatum; haec falsa apparent illi sicut vera, et cum confirmaverat apud se illa falsa, tunc apparent ei vera sicut falsa, nam tunc praecluserat influxum luci per coelum a Domino; at vero si non confirmaverat apud se illa falsa, tunc obstant vera, quae prius ejus intellectus imbuerat, et non permittunt ut confirmentur.

4730. Et [19] videbimus quid erunt somnia ejus, quod significet quod praedicationes de Ipso sic falsae et viderentur, constat ex significatione somniorum, quod sint praedicationes, de qua n: 4682, quae quia in oculis eorum ut falsa apparuerunt, n: 4726. 4729, hic per somnia significantur praedicationes de Divino Vero imprimis quod Humanum Domini Divinum sit, quae falsae secundum eorum opinionem; quod etiam ut falsa illis viderentur, significatur per quod dixerint «videbimus quid erunt;» quod praedicationes de Divino Humano Domini apparuerint et appareant illis qui in sola fide sunt, ut falsa, constare potest ex illis quae mox supra n: 4729 [20] ad fin: dicta sunt, nam quae confirmantur ex vita cupiditatum, non aliter apparent. Quod confirmentur falsa ex vita cupiditatum, est quoque inde, quia non sciunt quid coelum, et quid infernum, tum quid amor erga proximum, ac quid amor sui et mundi, si illa scirent, imo si modo

scire vellent, prorsus aliter cogitarent; quis hodie aliud novit quam quod amor erga proximum sit dare pauperibus quae habet, et opitulari cuicunque ex suis opibus, et ei benefacere quocunque modo, absque distinctione sive bonus sive malus sit; et quia sic privaretur suis facultatibus, ac ipse pauper et miser fieret, ideo rejicit doctrinale de charitate, et amplectitur doctrinale de fide; et dein confirmat se contra charitatem pluribus, nempe cogitando quod natus sit in peccatis, et inde quod nihil boni ex se queat facere, et si faciat charitatis seu pietatis operá, quod non possit quin meritum ponat in illis; et cum ita cogitat ab una parte et ex vita cupiditatum ex altera, tunc se confert ad partes eorum qui solam fidem salvare dicunt; in qua cum est, tunc adhuc magis se confirmat, usque ut credat quod opera charitatis non necessaria sint ad salutem; quibus exclusis in hoc novum incidit, quod quia homo talis est, a Domino provisum sit medium salutis, quod vocatur fides; et tandem in id, quod salvetur, si ex confidentia seu fiducia dicat, etiam in ultima mortis hora, quod Deus misereatur ejus per intuitionem in Filium quod pro illo passus sit, nihil expendendo quae Dominus apud Johannem Cap: I: Vers: 12. 13, dixerat, et mille locis alibi: inde nunc est, quod sola fides pro essentiali in Ecclesiis agnita fuerit; at quod non ubivis simili modo, est quia Antistites per solam fidem nihil lucrari possunt, sed per praedicationem operum. Sed si iidem novissent quid charitas erga proximum esset, nusquam in id falsum doctrinae lapsi fuissent; fundamentale ejus est, rite et juste agere in quacunque re quae alicujus debiti seu muneris est; sicut pro exemplo, qui Judex est, si secundum leges punit maleficum, et hoc ex Zelo, tunc est in charitate erga proximum, nam vult emendationem ejus, ita ejus bonum, et quoque vult societati et patriae bene, ne ei ab illo amplius male fiat, ita amare potest illum si emendatur, sicut pater filium quem castigat, et sic amat societates et patriam, quae ei in communi est proximus: similiter se habet in omnibus reliquis: sed de his plenius, ex Divina Domini Misericordia, alibi agetur.

4731. Et audivit Ruben, quod significet confessionem fidei Ecclesiae in communi, constat ex repraesentatione Rubenis, quod sit fides intellectu seu doctrina quae primum est regenerationis, in complexu verum doctrinae per quod ad bonum vitae

perveniri potest, de qua n: 3861. 3866, hic ideo confessio fidei Ecclesiae in communi. Quod Ruben hic interponit se, est quia Ecclesia quae inchoat a fide, desineret esse Ecclesia, nisi Divinum hoc verum in illa maneret, nempe quod humanum Domini Divinum sit, hoc enim est supremum seu intimum Verum Ecclesiae; quapropter Ruben voluit eripere Josephum, per quem id Verum hic repraesentatur, e manu fratrum ad reducendum eum ad patrem ejus, per quae significatur, quod illud Verum vellet vindicare Ecclesiae; et ulterius cum rediit Ruben ad foveam, et vidit quod nullus Joseph ibi, quod disciderit vestes suas, et dixerit ad fratres, natus non amplius, et ego quo ego venio, Vers: 29. 30, quibus significatur quod nulla in Dominum fides amplius, ac ita nulla Ecclesia. Supremum seu intimum hoc Verum, quod Humanum Domini Divinum sit, ab illis in Ecclesia qui in sola fide sunt, negatur; sed usque quia ex Verbo sciunt quod Domino Divinum sit, et non capiunt quomodo Humanum possit esse Divinum, idcirco utrumque Domino tribuunt, distinguendo inter naturam Ipsius Divinam et Humanam: at qui in vita fidei seu charitate sunt, Dominum ut suum Deum et Salvatorem adorant, et cum in adoratione sunt, cogitant de Divino Domini, non separando illud ab Humano, ita omne in Domino Divinum corde agnoscunt; sed cum ex doctrina cogitant, tunc quia nec illi comprehendere possunt quomodo Humanum possit esse Divinum, loquuntur ex doctrinali.

4732. Et eripuit eum e manu eorum, quod significet liberationem, constat absque explicatione.

4733. Et dixit, non percutiamus eum, anima, quod significet quod non exstinguendum quia vita religionis, constat ex significatione percutere, quod sit exstinguere; et ex significatione animae, quod sit vita, de qua n: 1000. 1005. 1436. 1742, hic vita religionis. Quod agnitio et adoratio Divini Humani Domini sit vita religionis, patet ab illis quae mox supra n: 4731, dicta sunt; et quoque ex eo, quod homines tales sint, ut colere velint de quo aliquam perceptionis et cogitationis, imo sensuales de quo aliquem sensum, habere possunt, nec colere volunt nisi Divinum in illo sit; hoc commune est humano Generi; inde Gentiles colunt idola, in quibus Divinum credunt, alii vero homines post mortem quos vel deos vel sanctos credunt;

nihil enim excitari potest apud hominem, nisi sit quod movet ejus sensum; qui dicunt se agnoscere Supremum Ens, cujus nullam perceptionis ideam habent, illi plerique nullum Deum agnoscunt, sed loco ejus naturam, et naturam quia illam capiunt; permulti eruditi inter Christianos tales sunt, etiam ex causa, quia Humanum Domini non credunt Divinum: ne itaque homines, qui tantum se removerunt a Divino, et in tantum corporei facti sunt, lignum et lapides colerent, et ne aliquem hominem post mortem et sic sub illo aliquem diabolum, et non Ipsum Deum quia eum non aliquo modo percipere possent, et sic periret omne Ecclesiae, et cum Ecclesia Genus humanum, voluit Ipsum Divinum assumere Humanum, et hoc Divinum facere. Caveant itaque sibi eruditi, ne de Humano Domini cogitent, et non simul id Divinum credant, si aliter, se scandalizant, et tandem nihil credunt.

4734. Et dixit ad illos Ruben, quod significet adhortationem, in sensu proximo confessionem fidei Ecclesiae in communi, quae est Ruben, n: 4731, adhortantem seu dictantem, quod non violarent, ut sequitur.

4735. Ne effundatis sanguinem, quod significet ne violent sanctum, constat ex significatione sanguinis, quod sit sanctum, de qua sequitur; inde effundere sanguinem est violare illud. Omne Sanctum in coelo procedit ex Divino Humano Domini, et inde omne sanctum in Ecclesia, quapropter ne violarent illud, instituta est a Domino Sancta Coena, et ibi expressis verbis dicitur, quod Panis ibi sit Caro Ipsius, et Vinum ibi sit Sanguis Ipsius, ita quod sit Divinum Humanum Ipsius ex Quo tunc Sanctum: apud Antiquos Caro et sanguis significabat Humanum proprium, quia Humanum consistit ex Carne et Sanguine; inde Dominus dixit ad Simonem „Beatus es, quia *Caro* et *Sanguis* non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in coelis" Matth: XVI: 17; [21] Caro itaque et Sanguis significata per Panem et Vinum in Sancta Coena est Humanum proprium Domini; ipsum proprium Domini, quod propria potentia sibi acquisivit, est Divinum; Proprium Ipsius ex conceptione fuit quod ex Jehovah Patre Ipsius habuit, et fuit Ipse Jehovah, inde Proprium quod sibi acquisivit in Humano fuit Divinum; proprium hoc Divinum in Humano est quod vocatur Caro et Sanguis, Caro est Divi-

num Bonum Ipsius, n: 3813, sanguis Divini Boni Divinum Verum. Humanum Domini, postquam glorificatum seu Divinum factum est, non concipi potest sicut humanum, sed sicut Divinus Amor in forma humana; et hoc eo magis quam Angeli, qui cum apparent, sicut mihi visi, apparent tanquam Amoris et Charitatis formae sub specie humana, et hoc a Domino; ex Divino enim Amore Dominus Humanum suum Divinum fecit, sicut per coelestem amorem homo fit angelus post mortem, ut appareat sicut amoris et charitatis forma sub specie humana, ut dictum: Inde patet quod per Divinum Humanum Domini in coelesti sensu significetur ipse Divinus amor, qui est amor erga universum genus humanum, quod illud salvare, beatum et felix velit facere in aeternum, et ei appropriare Divinum suum, quantum capere possunt; hic amor, et reciprocus hominis in Dominum, et quoque amor erga proximum, sunt qui significantur et repraesentantur in Sancta Coena, amor Divinus coelestis per Carnem seu Panem ibi, et amor Divinus spiritualis per Sanguinem seu Vinum ibi: ex his nunc constare potest, quid per manducationem Carnis Domini, et per potum Sanguinis Ipsius, intelligitur apud Johannem „ Ego sum *Panis vivens* qui e coelo descendit; si quis comederit *ex hoc Pane*, vivet in aeternum. *Panis* vero, quem Ego dabo, *Caro mea* est: Amen, amen, dico vobis, *nisi Comederitis Carnem Filii hominis*, et *biberitis Ipsius Sanguinem*, non habebitis vitam in vobis: qui *comedit meam Carnem*, et *bibit meum sanguinem*, habet vitam aeternam; et Ego resuscitabo illum extremo die: nam *Caro mea* est vere cibus, et *Sanguis meus* est vere potus: qui *comedit meam Carnem*, et *bibit meum Sanguinem*, in Me manet, et Ego in illo. Hic est *Panis*, qui e coelo descendit" VI: 50 ad 58; quia per Carnem et Sanguinem significatur Divinum Coeleste et Divinum Spirituale quod ex Divino Humano Domini, ut dictum, seu quod idem, Divinum Bonum et Divinum Verum amoris Ipsius, per comedere et bibere significatur appropriare sibi illa, appropriatio fit per vitam amoris et charitatis, quae etiam est vita fidei; quod comedere sit appropriare sibi bonum, et bibere appropriare sibi verum, videatur n: 2187. 3069. 3168. 3513. 3596. 3734. [22] 3832. 4017. 4018. Quia Sanguis in coelesti sensu significat Divinum Spirituale seu Divinum Ve-

rum procedens a Divino Humano Domini, ideo significat Sanctum, nam Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, est ipsum Sanctum; Sanctum non aliud est, nec aliunde. Quod Sanguis sit Sanctum illud, constare potest a pluribus locis in Verbo, quorum haec licet afferre; apud Ezechielem, „Fili hominis, sic dixit Dominus Jehovih, dic avi omni coeli, omni ferae agri, congregamini et venite, congregate vos a circuitu super sacrificium meum, quod Ego sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israëlis, ut *comedatis carnem* et *bibatis sanguinem*, *carnem fortium comedetis*, et *sanguinem principum terrae bibetis*, arietes, agnos, et hircos, saginatos Baschanis omnes, et comedetis adipem ad satietatem, et *bibetis sanguinem* usque ad ebrietatem, de sacrificio meo quod sacrificabo vobis, satiabimini super mensa mea, equo, et curru, forti, et omni viro belli: sic dabo gloriam meam inter gentes," XXXIX: 17. 18. 19. 20. 21; agitur ibi de convocatione omnium ad Regnum Domini, et in specie de instauratione Ecclesiae apud gentes; et per comedere carnem et bibere sanguinem, significatur appropriare sibi Divinum bonum et Divinum verum, ita Sanctum quod procedit a Divino Humano Domini; quis non videre potest, quod non caro per carnem et sanguis per sanguinem ibi intelligatur, ut quod carnem fortium comederent, sanguinem principum terrae biberent, et quod satiarentur equo, curru, forti, et omni viro belli: similiter apud Johannem, „Vidi unum Angelum stantem in sole, qui clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio coelo, venite, congregamini ad coenam Magni Dei, ut comedatis *Carnes* regum, et *carnes* chiliarchorum, et *carnes* fortium, et *carnes* equorum et sedentium super illis, et *carnes* omnium liberorum et servorum, parvorum et magnorum," [Apoc:] XIX: 17. 18; quis usquam haec intelliget, nisi sciat quid caro in sensu interno significat, et nisi quid reges, chiliarchi, fortes, equi, sedentes super illis, liberi et servi. Porro apud Sachariam, „Loquetur pacem gentibus; dominari Ipsius a mari usque ad mare, et a flumine usque ad fines terrae; etiam Tu, per *sanguinem foederis tui* emittam vinctos tuos e fovea," IX: 10. 11; ibi de Domino; sanguis foederis est Divinum Verum procedens a Divino Humano Ipsius, et est ipsum sanctum, quod, postquam glorificatus est,

exivit ab ipso; hoc Sanctum est, quod etiam Sanctus spiritus vocatur, ut patet apud Johannem, „Jesus dixit, si quis sitiverit, venito ad Me et *bibito;* quisquis credit in Me, sicut dixit Scriptura, flumina e ventre illius fluent aquae viventis; hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in Ipsum; nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat," VII: 37. 38. 39; quod sanctum procedens a Domino sit spiritus, videatur Joh: VI: 63. Porro quod Sanguis sit Sanctum procedens a Divino Humano Domini, apud Davidem, „A dolo et violentia redige animam eorum, et *pretiosus erit sanguis eorum* in oculis ipsius," Psalm: LXXII: 14; pretiosus sanguis pro sancto quod accepturi. Apud Johannem, „Hi sunt qui veniunt ex afflictione magna, et lavarunt stolas suas, et dealbarunt stolas suas *in sanguine Agni*," Apoc: VII: 14: et apud Eundem, „Illi vicerunt draconem *per sanguinem Agni*, et per verbum testimonii sui; et non amaverunt animam suam usque ad mortem," Apoc: XII: 11; [23] Ecclesia hodie non aliter novit, quam quod Sanguis Agni hic significet passionem Domini, quia credit quod salventur unice per quod Dominus passus sit, et quod propter id missus sit in mundum, sed sit hoc pro simplicibus qui arcana interiora capere nequeunt; passio Domini fuit ultimum tentationis Ipsius, per quod plene glorificavit Humanum suum, Luc: XXIV: 26. Joh: XII: 23. 27. 28. Cap: XIII: 31. 32. Cap: XVII: 1. 4. 5; sanguis autem Agni ibi est idem ac Divinum Verum, seu sanctum procedens a Divino Humano Ipsius; ita idem cum sanguine foederis, de quo mox supra: et de quo etiam apud Mosen „Moses sumsit librum foederis, et legit in auribus populi, qui dixerunt, omne quod loquutus est Jehovah, faciemus et audiemus: tunc sumsit Moses *Sanguinem*, et sparsit super populum, et dixit, ecce *Sanguis foederis*, quod pepigit Jehovah vobiscum super omnibus verbis his" Exod: XXIV: 7. 8; liber foederis erat Divinum Verum quod illis tunc, quod confirmabatur per sanguinem, testificantem quod illud ex Divino Humano Ipsius. In Ritualibus Ecclesiae Judaicae per Sanguinem nec aliud significabatur, quam Sanctum procedens a Divino Humano Domini; quapropter „cum sanctificabantur, hoc fiebat per sanguinem; ut cum *sanctificabatur* Aharon et filii ejus, tunc *Sanguis* spargebatur super cor-

nua altaris, reliquum ad fundamentum altaris, etiam super apicem Auris dextrae, pollicem manus et pedis dextri, super vestes illius" Exod: XXIX: 12. 16. 20. Levit: VIII: [15. 19. 23. 30.] Cumque „intraret Aharon intra velum ad Propitiatorium, quod etiam tunc *Sanguis* digito spargeretur ad Propitiatorium septies versus orientem" Levit: XVI: 12. 13. 14. 15; pariter in reliquis sanctificationibus ut et expiationibus, et mundationibus, de quibus Exod: XII: 7. 13. 22. Cap: XXX: 10. Levit: I: 5. 11. 15. Cap: III: 2. 8. 13. Cap: IV: 6. 7. 17. 18. 25. 30. 34. Cap: V: 9. Cap: VI: 20. 21. Cap: XIV: 14 ad 19. 25 ad 30. Cap: XVI: 12. 13. 14. 15. 18. 19. Deut: XII: 27. Quia per Sanguinem in genuino sensu significatur Sanctum, ita in opposito sensu per sanguinem et sanguines significantur illa quae violentiam ei inferunt, et hoc inde, quia per effundere sanguinem innocentem significatur violare sanctum; ideo quoque scelesta vitae et prophana cultus dicebantur sanguis; quod Sanguis ac sanguines sint talia, constat ab his locis; apud Esaiam „Cum laverit Dominus excrementum filiarum Zionis, et *Sanguines Hierosolymae* abluerit e medio ejus, per spiritum judicii, et per spiritum expurgationis" IV: 4. Apud Eundem „Aquae Dimonis plenae sunt *Sanguine*" XV: 9. Apud Eundem „Manus vestrae pollutae sunt *Sanguine*, et digiti vestri iniquitate; pedes eorum ad malum currunt, et festinant *ad effundendum sanguinem innocentem;* cogitationes eorum cogitationes iniquitatis" LIX: [3.] 7. Apud Jeremiam „Etiam in alis tuis *inventi sunt Sanguis* animarum pauperum innocentium" II: 34. Apud Eundem „Ob peccata prophetarum, iniquitates sacerdotum, *effundentium* in medio Hierosolymae *sanguinem justorum;* errarunt caeci in plateis, *polluti sunt sanguine*, ea quae non possunt, tangunt vestimentis" Thren: IV: 13. 14. Apud Ezechielem „Praeterivi praeter te, et vidi te conculcatam *in sanguinibus tuis*, et dixi tibi, *in sanguinibus tuis* vive, et dixi tibi, *in sanguinibus tuis* vive. Lavi te aquis, et ablui *sanguines tuos* a super te; et unxi te oleo" XVI: 6. 9. Apud Eundem „Tu fili hominis, num disceptabis cum *urbe sanguinum;* notifica illi omnes abominationes ejus, *per Sanguinem tuum quem effudisti*, rea facta es, et per idola quae fecisti, polluta es. Ecce principes Israëlis, quisque juxta brachium su-

um fuerunt in te, et *effuderunt sanguinem;* viri calumniae fuerunt in te *ad effundendum sanguinem*, et ad montes comederunt in te" XXII: 2. 3. 4. 6. 9. Apud Mosen „Si quis sacrificaverit alibi, quam super altari ad tentorium, *erit sanguis*, et sicut *effudisset sanguinem*" Levit: XVII: 1 ad 9. Falsificatum et prophanatum Verum significatur per haec quae sequuntur de Sanguine, apud Joëlem „Dabo prodigia in coelis et in terra, *Sanguinem* et ignem, et columnas fumi; sol vertetur in caliginem, et *luna in sanguinem*, antequam venit dies magnus et terribilis," III: 3. 4. Apud Johannem, „Sol factus est niger sicut saccus pilosus, et *luna tota facta est sicut sanguis*," Apoc: VI: 12. Apud Eundem, „Secundus Angelus clanxit, et quasi mons magnus igne ardens projectus est in mare, *factaque est tertia pars maris sanguis*," Apoc: VIII: 8: apud Eundem, „Secundus Angelus effudit phialam suam in mare, et *factum est sanguis sicut mortui*, unde omnis anima vivens mortua est in mari. Tertius Angelus effudit phialam suam in fluvios, et in fontes aquarum, et *factus est sanguis*," Apoc: XVI: 3. 4. Similiter quod „flumina, collectiones et stagna aquarum, versa sint in *Sanguinem* in Aegypto," Exod: VII: 15 ad 22, per Aegyptum enim significatur Scientia, quae ex se intrat in arcana coelestia, et inde pervertit, negat et prophanat Vera Divina, n: 1164. 1165. 1186; omnia miracula in Aegypto, quia Divina, involverunt talia; quod flumina, quae versa sunt in sanguinem, sint vera quae intelligentiae et sapientiae, n: 108. 109. 3051; quod aquae similiter, n: 680. 2702. 3058; quod fontes, n: 2702. 3096. [24] 3424; quod maria sint vera scientifica in complexu, n: 28; quod Luna, de qua etiam dicitur quod in sanguinem vertenda, sit Divinum Verum, n: 1529. 1530. 1531. 2495. 4060; inde patet quod per Lunam, mare, fontes, aquas, et flumina, quod versa in sanguinem, significetur Verum falsificatum et prophanatum.

4736. Mittite eum ad foveam quae in deserto, quod significet quod absconderent interea inter sua falsa, hoc est, quod considerarent ut falsum, sed usque retinerent, quia interest Ecclesiae, constat a significatione foveae, quod sint falsa, de qua supra n: 4728; et a significatione deserti, quod sit ubi non verum; desertum enim latae significationis est, est ubi inhabita-

tum ita non excultum, quod cum praedicatur de Ecclesia, est ubi non bonum et inde non verum, n: 2708. 3900; ita per foveam in deserto hic intelliguntur falsa, in quibus non verum quia non bonum. Dicitur in quibus non verum quia non bonum, cum enim fides creditur salvare absque operibus tunc quidem dari potest verum, sed usque non est verum apud illum, quia non spectat bonum, nec est a bono; id verum non vitale est, quia in se habet principium falsi; proinde apud quem tale verum est, apud illum est id verum non aliter ac falsum ex principio quod inibi dominatur; principium est instar animae, ex qua vita reliquis. Dantur vicissim falsa, quae recipiuntur ut vera, cum in illis est bonum, imprimis si bonum innocentiae, ut apud gentiles, et quoque apud plures intra Ecclesiam.

4737. Et manum ne mittatis in eum, quod significet ne violarent, constare potest absque explicatione.

4738. Propterea ut eriperet eum e manu illorum ad reducendum eum ad patrem ejus, quod significet ut vindicaret Ecclesiae, constat ex significatione eripere e manu illorum, quod sit liberare, ut supra n: 4732; et a significatione reducere ad patrem ejus, quod sit vindicare Ecclesiae, per Jacobum enim qui hic est Pater, repraesentatur religio Judaica ex Antiqua Ecclesia, ut supra n: 4700. 4701. Quod vindicaret Ecclesiae, est Divinum Verum de Divino Humano Domini, nam per Josephum id verum in specie significatur, ut prius dictum. Quod ulterius hoc Verum attinet, sciendum quod Antiqua Ecclesia id agnoverit, et quoque Primitiva Ecclesia Christiana; sed postquam Papale solium succrevit usque ad dominatum super omnes animas humanas, et evexit se sicut de Rege Babelis dicitur apud Esaiam „Tu dixisti in corde tuo, in coelos ascendam, super stellas coeli exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, ascendam super excelsa nubis, et similis fiam Altissimo," XIV: 13. 14, tunc Divinum derogabatur Humano Domini, seu tunc distinguebatur inter Ipsius Divinum et Humanum; quomodo hoc decretum sit in quodam Concilio, etiam mihi revelatum est: Apparuerunt mihi quidam antrorsum ad sinistrum ad planum plantae pedis ad aliquam a me distantiam, qui inter se loquebantur, sed non audivi de qua re; dicebatur mihi, quod essent aliqui ex illis qui una fuerunt in Concilio,

quando decretum de bina Natura Domini, Divina et Humana; mox etiam cum illis loqui dabatur; dicebant, quod illi qui in Concilio maximum influxum habuerunt, et reliquis dignitate et auctoritate praevaluerunt, convenerint, et tunc in Camera obscura, et concluserint quod Domino tribueretur et Divinum et Humanum, principaliter ex causa, quod alioquin Papale solium non subsisteret; si enim agnovissent Dominum pro uno cum Patre, sicut Ipse dicit, non potuisset aliquis Vicarius ejus agnosci in terra; schismata enim eo tempore existebant, per quae potuisset Papalis potestas labi ac dissipari, nisi ita distinxissent; et quod ad illud corroborandum conquisiverint confirmantia ex Verbo, et persuaserint reliquis: addiderunt, quod sic dominari potuerint in coelo et in terra, quia ex Verbo habuerunt, quod Domino data esset omnis potestas in coelis et in terris, quae alicui Vicario non tribui potuisset, si Humanum etiam Divinum agnosceretur, sciebant enim quod nemo se aequalem Deo liceret facere, et quod Divinum illam potestatem ex se haberet, non autem Humanum, nisi illa ei data fuisset, sicut etiam postea Petro: dicebant, quod schismatici tunc perspicaci ingenio essent, quos sedare ita potuerunt; et quod sic etiam Papalis potestas confirmata sit. Exinde constat, quod solum dominationis causa hoc inventum sit; et quod propterea non scire voluerint, quod Potestas data Humano Domini in coelis et in terris, manifestet quod illud quoque Divinum esset: et quod Petrus, cui a Domino dati claves coelorum, non sit Petrus qui intelligitur, sed fides charitatis, quae quia est a solo Domino, est Potestas Solius Domini, videatur Praefatio ad Cap: XXII: Genes:

4739. Vers: 23 ad 30. *Et factum, sicut venit Joseph ad fratres suos, et exuebant Josephum tunica sua, tunica variorum colorum, quae super eum. Et sumserunt eum, et miserunt eum in foveam, et fovea vacua, nulla in ea aqua. Et sederunt ad comedendum panem, et sustulerunt oculos suos, et viderunt, et ecce comitatus Jischmaëlitarum venit e Gilead, et cameli illorum ferentes aromata, et resinam, et stacten, euntes ad deferendum ad Aegyptum. Et dixit Jehudah ad fratres suos, quid lucri quod occidamus fratrem nostrum, et obtegamus sanguinem ejus. Ite et vendamus eum Jischmaëlitis, et manus nostra ne sit in eum, quia frater noster, caro nostra is;*

et auscultaverunt fratres illius. Et transiverunt viri Midianitae negotiatores, et extraxerunt, et ascendere fecerunt Josephum e fovea, et vendiderunt Josephum Jischmaëlitis, in viginti argenti; et adduxerunt Josephum Aegyptum. Et rediit Ruben ad foveam, et ecce nullus Joseph in fovea, et discidit vestes suas. Et rediit ad fratres suos, et dixit, natus non amplius, et ego quo ego venio. Factum sicut venit Joseph ad fratres suos, significat cum de Ipso praedicatum: et exuebant Josephum tunica sua, significat apparentias veri quod discuterent et annihilarent: tunica variorum colorum, quae super eum, significat apparentiarum quale quoad vera ex bono: et sumserunt eum, et miserunt eum in foveam, significat inter falsa: et fovea vacua, nulla in illa aqua, significat quod tunc nihil verum: et sederunt ad comedendum panem, significat appropriationem mali ex falso: et sustulerunt oculos suos et viderunt, significat ulteriorem cogitationem: et ecce comitatus Jischmaëlitarum venit e Gilead, significat illos qui in bono simplici, in quali gentes: et cameli illorum ferentes aromata, resinam, et stacten, significat vera interiora naturalia: euntes ad deferendum ad Aegyptum, significat instructionem ex scientificis: et dixit Jehudah ad fratres suos, significat pravos in Ecclesia qui contra bonum quodcunque: quid lucri quod occidamus fratrem nostrum, et obtegamus sanguinem ejus, significat quod inde nihil proficuum, et nihil altitudinis, si hoc prorsus exstingueretur: ite, et vendamus eum Jischmaëlitis, significat quod agnoscant Ipsum qui in simplici bono: et manus nostra ne sit in eum, significat quod sint sine culpa: quia frater noster, caro nostra is, significat quia acceptum quod ex illis: et auscultaverunt fratres illius, significat condescendentiam: et transiverunt viri Midianitae negotiatores, significat illos qui in vero illius boni: et extraxerunt et ascendere fecerunt Josephum e fovea, significat auxilium ab illis ut non inter falsa: et vendiderunt Josephum Jischmaëlitis, significat receptionem ab illis qui in bono simplici, et abalienationem ab illis qui in fide separata: in viginti argenti, significat aestimationem: et adduxerunt Josephum Aegyptum, significat consultationem a scientificis: et rediit Ruben ad foveam, significat fidem Ecclesiae in communi: et ecce nullus Joseph in fovea, significat quod nulla fides am-

plius: et discidit vestes suas, significat luctum: et rediit ad fratres suos, significat docentes: et dixit, natus non amplius, significat quod fides in Ipsum nulla: et ego quo ego venio, significat ubi nunc Ecclesia.

4740. Factum, sicut venit Joseph ad fratres suos, quod significet cum de Ipso praedicatum, constat a repraesentatione Josephi, quod sit Verum Divinum imprimis de Divino Humano Domini; hoc cum dicitur venire ad illos, est quod praedicetur illis; fratres enim illius repraesentant Ecclesiam quae in fide separata, quibus id praedicatum.

4741. Et exuebant Josephum tunica sua, quod significet apparentias veri quod discuterent et annihilarent, constat ex significatione exuere, cum praedicatur de Divino Vero, quod hic est Joseph, quod sit discutere, et quoque annihilare; et a significatione tunicae quia variorum colorum, quod sint apparentiae veri, de qua n: 4677. Discutere et annihilare apparentias veri, fit postquam ipsum verum rejectum est; ipsum enim verum ex se in mentibus elucet, et utcunque exstinguitur apparet, imprimis apud illos qui in bono sunt: hoc etiam pervident illi qui verum apud se annihilarunt, quapropter etiam illas apparentias discutere et annihilare conantur: sit exemplum illustrationi; quis non videt, quod bene velle et benefacere sit ipsissima vita Christiana; et si ei dicitur, quod hoc sit charitas, non potest non affirmare; imo dicturi illi qui affirmant, quod hoc sciant quid sit, quia hoc est vitae; sed cogitare quod hoc vel illud sit verum, etiam ex confidentia, sicut volunt qui in fide separata, dicent quod non sciant quid sit, nam non aliam perceptionem de eo habere possunt, quam sicut de fumo qui evanescit: quia talis apparet sola fides et inde confidentia, apud quoscunque qui de illa serio cogitant, cumprimis apud bonos; idcirco allaborant etiam apparentias illas discutere et annihilare, circumcidendo sic quicquid propius tangit, ac quicquid in circuitu est; hoc significatur per exuere Josephum tunica quae super illum. Credunt etiam iidem, quod sapientes sint prae reliquis, qui dogma semel receptum, qualecunque sit, variis confirmare possunt, et illud per varia ratiocinia vero simile sistere; sed hoc nihil minus quam sapientis est, hoc potest quicunque aliquo ingenio pollet, ac solertius mali quam probi; hoc enim facere,

non est rationalis hominis; rationalis enim homo videre potest sicut ex superiori, num verum sit quod confirmatur, vel num falsum; et quia hoc videt, confirmantia falsi nihili facit, ac illa apud se non aliter spectat quam ludicra et vana, utcunque alter credit ea ex ipsius sapientiae palaestra desumpta esse: verbo, nihil minus quam sapientis est, imo nihil minus quam rationale, posse falsa confirmare, nam sapientis est et rationale, videre prius quod verum sit, et dein hoc confirmare; quippe verum videre, est a luce coeli quae a Domino, at falsum videre ut verum, est a lumine fatuo quod ab inferno.

4742. Tunica variorum colorum, quae super eum, quod significet apparentiarum quale quoad vera ex bono, constat ex significatione tunicae variorum colorum, quod sint apparentiae veri, ex quibus spirituale naturalis cognoscitur et distinguitur, de qua n: 4677, hic ideo apparentiarum quale, quapropter etiam bis dicitur tunica, nempe «exuebant Josephum tunica sua, tunica variorum colorum.» Quod apparentiarum quale se habeat secundum vera ex bono, constare potest ex apparentiis veri, cum ad visum sistuntur in luce coeli, hoc est, in altera vita, ubi non alia lux est, quam quae venit per Coelum a Domino, et quae existit ex Divino Ipsius Vero, hoc enim coram oculis angelorum apparet ut lux, n: 2776. 3190. 3195. 3222. 3339. 3340. 3636. 3643. 3993. 4302. 4413. 4415; variatur haec lux apud unumquemvis secundum receptionem; omnis cogitatio angelorum fit per variegationem illius lucis, sicut etiam cogitatio hominis, tametsi homo hoc nescit, quia apud hominem cadit lux illa in imagines seu ideas materiales, quae in naturali seu externo ejus homine sunt ex luce mundi, inde apud eum in tantum obscuratur illa lux, ut vix sciat, quod lux et visus ejus intellectualis sit inde; at in altera vita, cum visus oculi non amplius est in luce mundi, sed in luce coeli, tunc se manifestat quod cogitatio ejus sit inde. Haec lux cum e coelo transit in mundum spirituum, sistitur ibi sub specie variorum colorum, qui colores pulchritudine, varietate et amoenitate immensum excedunt colores qui sunt ex luce mundi, videantur quae prius de coloribus ab experientia n: 1053. 1624. 3993. 4530. 4677, allata sunt: quia colores in altera vita inde existunt, sunt in origine sua non aliud quam apparentiae veri ex bono; verum enim

ex se non lucet, quia ei soli nihil flammeum inest, sed ex bono, hoc enim est instar flammae ex qua lux, quale itaque est bonum tale inde apparet verum, et quale est verum taliter a bono lucet. Inde patet, quid per tunicam variorum colorum in sensu interno significatur, quod nempe apparentiarum quale quoad vera ex bono; per Josephum enim, cui tunica, repraesentatur Divinum Verum, ut prius ostensum.

4743. Et sumserunt eum, et miserunt eum in foveam, quod significet inter falsa, constat ex illis, quae supra n: 4728. 4736, dicta sunt, ubi similia.

4744. Et fovea vacua, nulla in illa aqua, quod significet quod tunc nihil verum, constat ex significatione foveae, quod sint falsa, de qua n: 4728; ex significatione vacuae, quod sit ubi nihil verum quia nihil bonum, de qua sequitur; et ex significatione aquae, quod sit verum, de qua n: 680. 739. 2702. 3058. 3424. Quod vacuum sit ubi nihil verum quia nihil bonum, constat ex Verbo etiam alibi, ut apud Jeremiam „Magnates miserunt minorennes propter *aquas*, venerunt ad *foveas*, et non invenerunt *aquas*; reversi sunt *vasis vacuis*, pudore et ignominia affecti sunt, et obtexerunt caput suum," XIV: 3; vasa vacua pro veris in quibus non verum ex bono. Apud Eundem, „Comedit me, conturbavit me Nebuchadnezar rex Babelis, constituit me *vas vacuum*, deglutivit me," LI: 34; [25] vas vacuum pro ubi nullum verum; Babel pro illis qui vastant, hoc est, deprivant alios veris, n: 1327 f. Apud Eundem „Vidi terram, et ecce *vacua* et *inanis*; et ad coelos, et nulla lux eorum" IV: 23. Apud Esaiam „Possidebunt eam platea, et anataria, et noctua, et corvus, habitabunt in ea, et extendent super eam *lineam vacuitatis*, et *perpendiculum inanitatis*," XXXIV: 11. Apud Eundem „Frangetur *urbs vacuitatis*, claudetur omnis domus, ut nemo intret, clamor super vino in plateis, exulabit gaudium terrae, reliquum in urbe vastitas," XXIV: [10.] 11. 12. 13; hic vacuum exprimitur alia voce in lingua originali, quae tamen simile involvit; quod vacuum sit ubi non verum quia non bonum, a singulis ibi in sensu interno patet, nempe a significatione urbis, domus clamoris, vini, platearum. Apud Ezechielem „Dixit Dominus Jehovih, vae urbi sanguinum, etiam Ego magnum faciam focum, collocando *ollam* su-

per prunas *vacuam*, ut incalescat et fervescat aes ejus, et liquescat in ea immundities ejus, consumatur spuma ejus," XXIV: 9. 11; hic patet quid vacuum, olla vacua est in qua immundities et Spuma, hoc est, malum et falsum: Similiter apud Matthaeum „Quando immundus spiritus exierit ex homine, perambulat loca arentia quaerens requiem, sed non invenit; tunc dicit, revertar in meam domum, unde exivi, cumque venit et reperit *eam vacuam* et scopis purgatam, et paratam sibi, tunc abit et adjungit sibi septem alios spiritus pejores illo, et ingressi habitant ibi," XII: 43. 44. 45; immundus spiritus pro immunditie vitae apud hominem, et quoque pro immundis spiritibus qui apud eum, nam spiritus immundi habitant in immunditie vitae hominis; loca arentia seu ubi non aquae, pro ubi non vera, domus vacua pro interioribus hominis iterum repletis immunditiis, hoc est, falsis ex malo. Apud Lucam, „Deus esurientes implevit bonis, et *divites emisit vacuos*," I: 53; divites pro illis qui plura sciunt, divitiae enim in spirituali sensu sunt scientifica, doctrinalia, cognitiones boni et veri; illi vocantur divites vacui, qui sciunt illa, et non faciunt, nam vera illis non sunt vera quia absque bono, n: 4736.

4745. Et sederunt ad comedendum panem, quod significet appropriationem mali ex falso, constat a significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 f. 3596. 3832; et ex significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735; et quoque quod sit in genere omnis cibus, n: 2165; hic autem panis significat contrarium, nempe malum; notum enim est, quod qui indigne comedunt panem in sacra coena, non approprient sibi bonum, sed malum, inde patet, quod per comedere panem in contrario sensu significetur appropriatio mali. Apud Antiquos in usu fuit, cum aliquid memorabile decreverunt, quod confirmatum a reliquis, quod tunc inter se comederint; per quod significabatur quod approbaverint, et sic quod sibi appropriaverint illud, sicut apud Ezechielem „Ecce principes Israëlis, quisque juxta brachium suum, fuerunt in te, et effuderunt sanguinem: viri calumniae fuerunt in te ad effundendum sanguinem, et *ad montes comederunt* in te," XXII: 6. 9. Praeterea sciendum, quod binae origines mali sint in genere,

una ex vita, et altera ex doctrina; quod ex doctrina falsi, vocatur malum ex falso; hoc malum hic intelligitur.

4746. Et sustulerunt oculos suos et viderunt, quod significet ulteriorem cogitationem, constat ex significatione tollere oculos et videre, quod sit intentio et cogitatio, seu intensa cogitatio, de qua n: 2789. 2829. 3198. 3202. 4339, hic quod ulterior cogitatio, patet a serie.

4747. Et ecce comitatus Jischmaëlitarum venit e Gilead, quod significet illos qui in bono simplici in quali gentes, constat ex repraesentatione Jischmaëlitarum, quod sint illi qui in simplici bono quoad vitam, et inde in naturali vero quoad doctrinam, de qua n: 3263; et ex significatione Gilead, quod sit bonum exterius, per quod primum initiatur homo cum regeneratur, de qua n: 4117. 4124; inde patet, quod per comitatum Jischmaëlitarum e Gilead, significetur bonum quale apud gentes, hoc est, qui in tali simplici bono sunt. Quomodo haec se habent, constare potest ab illis quae hactenus dicta sunt, et ab illis quae sequuntur: in antecessum haec solum memoranda sunt; qui intra Ecclesiam sunt, et se confirmarunt contra Divina vera, imprimis contra haec, quod Humanum Domini sit Divinum, et quod charitatis opera nihil [non] faciant ad salutem, si se contra illa confirmaverunt non solum doctrina sed etiam vita, illi in talem statum quoad interiora se redegerunt, ut postea nequaquam adduci possint ad recipienda illa, nam quae semel confirmata sunt doctrina et simul vita, illa manent in aeternum; qui non interiorem hominis statum norunt, putare possunt, quod quilibet, utcunque se confirmaverat contra illa, usque postea facile recipere possit, modo convincatur; sed quod hoc impossibile sit, a talibus in altera vita per plurem experientiam scire datum est; quod enim confirmatur doctrina, hoc imbuit intellectuale, et quod confirmatur vita, hoc imbuit voluntarium, quod irradicatum est utrique vitae hominis, nempe vitae ejus intellectus et vitae ejus voluntatis, hoc eradicari non potest, ipsa anima hominis quae vivit post mortem, ab illis formata est, et est talis ut nusquam recedat ab illis: haec causa etiam est, quod sors illorum qui intra Ecclesiam sunt, apud quos ita fit, pejor sit sorte illorum qui extra Ecclesiam sunt; qui enim extra Ecclesiam sunt, qui Gentes vocantur, illi non confirmarunt se

contra illa, quia non noverunt illa, quapropter illi eorum qui in mutua charitate vixerunt, Vera Divina facile recipiunt, si non in mundo, usque in altera vita, videantur quae de gentium et populorum statu et sorte in altera vita ab experientia n: 2589 ad 2604, allata sunt. Inde est, cum aliqua nova Ecclesia instauratur a Domino, quod non instauretur apud illos qui intra Ecclesiam sunt, sed apud illos qui extra, hoc est, apud gentes: de his agitur pluries in Verbo: haec praemissa sunt, ut sciatur quid involvit, quod Josephus a fratribus suis conjectus sit in foveam, et quod inde extractus a Midianitis, ac venditus Jischmaëlitis, per fratres enim Josephi repraesentantur illi intra Ecclesiam, qui se confirmarunt contra Divinum Verum, imprimis contra illa bina, quod Humanum Domini sit Divinum, et quod charitatis opera [non] nihil faciant ad salutem, et hoc non solum doctrina sed etiam vita; per Jischmaëlitas autem repraesentantur qui in simplici bono sunt, et per Midianitas qui in vero illius boni; de his memoratur quod extraxerint Josephum e fovea, de illis quod emerint illum: quid autem significatur per quod deduxerint illum in Aegyptum, et ibi vendiderint Potiphari cubiculario Pharaonis, in sequentibus dicetur.

4748. Et cameli eorum ferentes aromata, et resinam, et stacten, quod significet vera interiora naturalia, constat ex significatione Camelorum, quod sint in genere illa quae sunt naturalis hominis inservientia spirituali, et in specie scientifica communia in naturali homine, de qua n: 3048. 3071. 3114. 3143. 3145. 4156; et ex significatione aromatum, resinae et stactes, quod sint vera interiora naturalia conjuncta ibi bono, de quibus sequitur. Apud Antiquos in cultu eorum sacro adhibita sunt suaveolentia et fragrantia, inde thura eorum et suffimenta, etiam similia immiscebantur oleis quibus ungebantur; sed hodie nescitur, unde hoc; causa est, quia prorsus nescitur, quod illa quae fuerunt in cultu apud Antiquos, traxerint originem ex spiritualibus et coelestibus, quae sunt in coelis, et quod illis corresponderint; removerat se homo in tantum ab illis, et immerserat naturalibus, mundanis et corporeis, ut in obscuro sit, et multi in negativo quod aliquid spirituale et coeleste sit. Quod thura et suffimenta in sacris apud Antiquos adhibita sint, inde est, quia odor correspondet perceptioni; odor fragrans ut

aromatum varii generis, perceptioni gratae et acceptae, qualis est veri ex bono seu fidei ex charitate; imo talis est correspondentia, ut ipsae perceptiones in altera vita, quoties Domino beneplacet, vertantur in odores, de his videantur quae prius ab experientia, n: 925. 1514. 1517. 1518. 1519. 3577. 4624 ad 4634. Quid in specie hic significant aromata, resina et stacte, constare potest ab aliis locis ubi nominantur, in genere significant interiora vera in naturali sed quae ex bono ibi, nam vera per se id non faciunt, sed est bonum per vera, inde varietates se habent secundum quale veri conjuncti bono, proinde secundum quale boni, nam bonum suum quale habet a veris. Quia per Gileadem significatur bonum exterius quale est sensualium, ac quod volupe vocatur, n: 4117. 4124, et per Aegyptum in bono sensu scientifica, quae sunt vera naturalis hominis externa, illi bono correspondentia, seu cum illo concordantia, n: 1462, ideo per quod Jischmaëlitae ex Gileade super camelis deferrent aromatica illa ad Aegyptum, significatur quod sua vera interiora ex suis scientificis, ad scientifica quae per Aegyptum significantur, de quibus sequitur. Vera interiora sunt conclusiones ex veris exterioribus seu scientificis, scientifica enim naturalis hominis sunt media inservientia concludendi et sic intuendi interiora, similiter sicut quis alterius animum intuetur in vultu ejus, et in vibratione lucis ejus oculorum, inque vita soni loquentis, ac gestuum agentis. Quia vera talia sunt, per quae naturale hominis perficitur, et quoque emendatur, idcirco aromatibus hujusmodi adscribitur sanatio, sicut resinae, apud Jeremiam „Num *Resina balsamica non est in Gilead*, num Medicus non ibi, quare non ascendit sanitas populi mei," VIII: 22. Apud Eundem „Ascende *Gilead*, et sume *resinam* virgo *filia Aegypti*, in vanum multiplicasti medicamenta, sanatio non tibi," XLVI: 11. Apud Eundem „Subito cecidit Babel, et confracta est, ejulate super eam, sumite *resinam* pro dolore, forte sanabitur," LI: 8. Quod similia significent spiritualia, patet manifeste apud Johannem „Mercatores terrae flebunt, et plangent super Babele, quod merces eorum nemo emat amplius; merces *auri* et *argenti*, et *lapidis pretiosi*, et *margaritae*, et *byssi*, et *purpurae*, et *serici*, et *coccini*, et omne *lignum thyinum*, et omne vas *elephantinum*, et omne vas ex *ligno pretio-*

sissimo, et *aere*, et *ferro*, et *marmore*, et *cinnamomum*, et *suffimenta*, et *unguenta*, et *thus*, et *vinum*, et *oleum*, et *similam*, et *triticum*, et *jumenta*, et *oves*, et *equos*, et *rhedas*, et corpora, et animas hominum," Apoc: XVIII: 11. 12. 13; haec nequaquam ita specifice recensita fuissent, nisi singula significavissent talia quae in Regno Domini et in Ecclesia Ipsius, alioquin fuissent voces nullius rei; quod per Babelem significentur illi, qui omnem cultum Domini deflexerunt ad cultum sui, notum est, et sic qui in prophano interno sunt cum in sancto externo, quapropter per merces eorum significantur illa quae propter cultum sui ipsi studio et arte invenerunt, ac doctrinalia et cognitiones boni et veri ex Verbo, quas ad sui favorem perverterunt, ita per singula quae ibi memorantur in specie talia, et per cinnamomum, suffimenta, unguenta et thus, vera quae ex bono, at apud illos vera perversa et falsa ex malo. Similiter quae de mercibus Tyri memorantur apud Ezechielem „Jehudah et terra Israëlis, fuerunt negotiatores tui in triticis minnith, et pannag, in melle et oleo, et *Resina*, dederunt negotiationem tuam," XXVII: 17; hic quoque per resinam significatur verum ex bono; qui non credit sensum internum Verbi, ei erunt omnia illa nudae voces, ita vasa in quibus nihil intus, cum tamen in illis sunt Divina, coelestia, et spiritualia.

4749. Euntes ad deferendum ad Aegyptum, quod significet instructionem in scientificis, constat a significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1462, et quia per aromata, resinam et stacten, significantur vera interiora ex illorum scientificis qui in bono simplici sunt, in quali gentes, idcirco per ire ad deferendum illuc, significatur instrui. Haec ita se habent, scientifica, quae significantur per Aegyptum, sunt scientifica quae conducunt vitae spirituali, et quae correspondent veris spiritualibus; olim enim Ecclesia Antiqua etiam ibi fuerat, sed postquam illa ibi versa est in magiam, dein scientifica quae pervertunt spiritualia per Aegyptum significata sunt; inde est, quod scientifica in bono sensu, et in opposito, in verbo significentur per Aegyptum, videantur n: 1164. 1165. 1462, hic in bono sensu: scientifica ex quibus vera interiora, quae significantur per quod Jischmaëlitae super camelis ferrent aromata, resinam et stacten, sunt talia quae non sunt Ecclesiae, qua-

lia apud gentes; haec vera ex his scientificis non aliter emendantur et sanantur quam per scientifica genuinae Ecclesiae, ita per instructionem in his: haec sunt quae hic significantur.

4750. Et dixit Jehudah ad fratres suos, quod significet pravos in Ecclesia qui contra bonum quodcunque, constat a repraesentatione Jehudae, quod in bono sensu sit bonum amoris coelestis, de qua n: 3654. 3881, in opposito autem sensu, contra bonum quodcunque, de qua sequitur; et a significatione fratrum ejus, quod sint illi in Ecclesia qui in fide separata sunt. Quod per Jehudam hic repraesententur illi qui contra bonum quodcunque, est quia in bono sensu per Jehudam in Verbo repraesentantur illi qui in bono amoris coelestis sunt; amor coelestis est amor in Dominum, et inde amor erga proximum, qui in illo amore sunt, conjunctissimi Domino sunt, ac ideo in intimo coelo, ac ibi in statu innocentiae, ex quo apparent reliquis sicut infantes, et prorsus sicut amores in forma; ad illos non alii approximare possunt, quapropter cum ad alios mittuntur, tunc aliis angelis circumstipantur, per quos temperatur sphaera amoris eorum, haec alioquin ageret illos, ad quos mittuntur, in deliquium, nam sphaera amoris eorum pertransit usque ad medullaria. Quia hic amor seu hoc bonum amoris, quod vocatur coeleste, per Jehudam in bono sensu repraesentatur, ideo in opposito sensu per illum repraesentatur tale quod est contra bonum coeleste, ita contra bonum quodcunque: pleraque in Verbo habent binum sensum, nempe sensum bonum et ei oppositum; ex sensu eorum bono cognoscitur qualis est sensus eorum oppositus, sunt enim quae in opposito, e diametro contra illud quod in bono. Bona amoris sunt in genere bina, nempe bonum amoris coelestis, et bonum amoris spiritualis, contra bonum amoris coelestis in opposito est malum amoris sui, et contra bonum amoris spiritualis in opposito est malum amoris mundi; qui in malo amoris sui sunt, illi sunt contra bonum quodcunque, qui autem in malo amoris mundi, non ita; in Verbo per Jehudam in opposito sensu repraesentantur illi qui in amore sui sunt, et per Israëlem in opposito sensu qui in amore mundi; causa est, quia per Jehudam repraesentatum est Regnum coeleste Domini, et per Israëlem Regnum spirituale Ipsius. Inferna etiam distincta sunt secundum binos illos amores, qui in amore

sui sunt, quia contra bonum quodcunque, in profundissimis et inde in gravissimis infernis sunt; at qui in amore mundi, quia non ita sunt contra bonum quodcunque, in infernis non ita profundis sunt, et inde in minus gravibus. Malum amoris sui, non est, sicut vulgo apparet, elatio externa quae superbia vocatur, sed est odium contra proximum, et inde flagrans cupido vindictae, ac jucundum crudelitatis; haec sunt interiora amoris sui, exteriora ejus sunt contemtus aliorum prae se, et aversatio illorum qui in bono spirituali sunt, et hoc quandoque cum manifesta elatione seu superbia, et quandoque absque illa: qui enim tali odio habet proximum, is interius se solum amat, et solum modo alios quos spectat ut unum cum se, ita illos in se, et se in illis, propter solum finem sui. Tales sunt qui per Jehudam in opposito sensu repraesentantur; etiam Judaica Gens in tali amore fuerat usque a primis temporibus, omnes enim in universo terrarum orbe sicut vilissimos servos, ac sicut nihili respective ad se spectaverat, etiam odio habuerat, et quod magis, quando non amor sui et amor mundi conjunxerat eos mutuo, etiam socios et fratres simili odio persequuti sunt; hoc adhuc manet apud gentem illam, sed quia in alienis terris sunt precario, animum illum recondunt.

4751. Quid lucri quod occidamus fratrem nostrum, et obtegamus sanguinem ejus, quod significet quod inde nihil proficuum et inde nihil altitudinis, si hoc prorsus exstingueretur, constat ex significatione quid lucri, quod sit quod inde nihil proficuum, et quoque quod nihil altitudinis, de qua sequitur; ex significatione occidere, quod sit exstinguere, hic Divinum Verum, in specie de Divino Humano Domini, quod per fratrem nempe Josephum intelligitur; et ex significatione obtegere sanguinem, quod sit prorsus abscondere sanctum Verum, quod sanguis sit sanctum Verum, videatur supra n: 4735. Quomodo haec se habent, ex sequentibus patet. Quod lucrum hic non modo significet proficuum sed etiam altitudinem, seu quid lucri quod inde nihil proficuum et nihil altitudinis, est quia ex cupiditate et avaritia hoc dictum; cupiditas enim quaestus et avaritia, in se habet, quod non solum universum mundum possidere velit, sed etiam lucri causa quemcunque praedari, imo occidere, et quoque pro parvo occideret si non obstarent leges, et prae-

terea in Auro et argento, quae homo talis possidet, spectat se in potentia maximum, utcunque aliter in externa forma apparet; inde patet quod in avaritia non solum sit amor mundi sed etiam amor sui, et quidem amor sui spurcissimus; nam apud sordide avaros elatio animi seu superbia extrinsecus non ita conspicitur, illa enim quandoque non curat opes ostentationis causa, nec est id genus amoris sui quod conjunctum solet esse cum voluptatibus, nam parum curant corpus suum, et ejus victum ac amictum, sed est amor prorsus terrestris, nihil aliud pro fine habens quam pecunias, in quibus se non actu sed potentia credit super omnes; inde constare potest, quod in avaritia sit amor sui omnium infimus ac vilissimus; quapropter in altera vita apparent sibi inter sues, n: 939; suntque illi prae reliquis contra bonum quodcunque: in tanta inde caligine sunt, ut nequaquam videre possint quid bonum et quid verum; quod sit aliquid internum hominis, quod vivit post mortem, prorsus non capiunt, corde suo irrident illos qui hoc dicunt. Gens Judaica talis fuerat ab initio, quapropter non potuit ei aliquod internum manifeste aperiri, [26] ut patet a Verbo Veteris Testamenti; et quia radicitus in pessimo illo genere amoris sui sunt, ideo quoque nisi per avaritiam tam longe removerentur ab internis, ac inde tenerentur in spissa caligine, conspurcarent interiora vera et bona, et sic prae caeteris illa prophanarent, nam prophanare non possunt quamdiu non agnoscunt, n: 1008. 1010. 1059. 2051. 3398. 3402. 3489. 3898. 4289. 4601. Inde est, quod Dominus de illis dicat apud Johannem „Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio" VIII: 44: et de Juda Ischarioth, qui repraesentabat Ecclesiam Judaicam, apud Eundem „Nonne Ego vos duodecim elegi, at e vobis unus est diabolus" VI: 70; per illum etiam, quod vendiderit Dominum, simile repraesentatum est, quod hic per Jehudam, qui dixit, ite et vendamus Josephum.

4752. Ite et vendamus eum Jischmaëlitis, quod significet quod agnoscant Ipsum qui in simplici bono, constat a significatione vendere, quod sit abalienare a se, ita recipi ab aliis, de qua n: 4098, quod cum praedicatur de Vero, ut hic, est ab his agnosci; et ex repraesentatione Jischmaëlitarum, quod sint qui in simplici bono, de qua supra n: 4747; quod illi qui in sim-

plici bono sunt, agnoscant Divinum Verum, imprimis de Divino Humano Domini, prius ostensum est.

4753. Et manus nostra non sit in eum, quod significet ut sint sine culpa, constat ex significatione ne sit manus in aliquem, quod sit ne violent, ut supra n: 4737, et quia ne violent est ut non sint in culpa, hoc quoque per illa verba significatur.

4754. Quia frater noster, caro nostra is, quod significet quia acceptum quod ex illis, constat ex significatione fratris, quod sit consanguineum ex bono, de qua n: 3815; et ex significatione carnis, quod sit proprium in utroque sensu, de qua n: 3813; ita quod acceptum, quia ab illis qui ab Ecclesia, et quod acceptum his quia ab illis qui in simplici bono: Jischmaëlitae enim repraesentant illos qui in simplici bono sunt, et fratres Josephi repraesentant Ecclesiam quae in fide separata a charitate; qui in simplici bono sunt, agnoscunt quod Humanum Domini Divinum sit, tum quoque quod charitatis opera facienda sint ut salvetur homo; hoc sciunt illi qui a fide separata, quapropter non acriter instant coram omnibus, et vix aliquid coràm illis qui in simplici bono sunt, ex causa praecipue quia contra communem sensum non ausint, et quia sic derogarent sibi dignitatem et lucrum, dicerent enim qui in simplici bono sunt de illis si talia negarent, quod fatui essent, sciunt enim quid amor et quid amoris opera, at quid fides ab illis separata non sciunt; argumentationes pro fide contra opera, et de distinctione inter Humanum et Divinum Domini, vocarent sophismata quae non capiunt; quapropter ut accepti sint, et quia acceptum quod ab illis, libenter concedunt, nam si illa vera exstinguerentur, illis nihil proficuum et nihil altitudinis esset, n: 4751.

4755. Et auscultaverunt fratres illius, quod significet condescendentiam, constat absque explicatione.

4756. Et transiverunt viri Midianitae negotiatores, quod significet illos qui in vero illius boni, constat ex repraesentatione Midianitarum, quod sint qui in vero simplicis boni, de qua n: 3242; et ex significatione negotiatorum, quod sint qui habent cognitiones boni et veri, hae enim sunt divitiae, opes et merces in sensu spirituali, inde negotiari est cognitiones illas sibi comparare et communicare, n: 2967. 4453; hic non cogni-

tiones boni sed veri significantur, nam Midianitae sunt qui in vero simplicis boni, ut supra dictum, inde etiam vocantur viri, viri enim dicuntur qui in vero, n: 3134. 3309 pr: Ex serie historica hic liquet, quod Josephus venditus sit Jischmaëlitis, at quod extractus e fovea a Midianitis, et quoque a Midianitis venditus in Aegypto Potiphari; in Versu enim ultimo hujus Capitis dicitur, „Et Midianitae vendiderunt eum ad Aegyptum Potiphari cubiculario Pharaonis"; autumari potest, quia Josephus venditus est Jischmaëlitis, quod ab his, non autem a Midianitis venditus esset in Aegypto; sed usque ita factum est, causa repraesentationis rerum quae in sensu interno, nam Josephus, hoc est, Divinum Verum, non vendi potest ab illis qui in bono sunt, sed ab illis qui in Vero illius boni; causa videbitur in explicatione Versus ultimi hujus Capitis.

4757. Et extraxerunt et ascendere fecerunt Josephum e fovea quod significet auxilium ab illis ut non inter falsa, constat a significatione extrahere et ascendere facere, quod sit liberare, proinde auxilium ferre, de qua sequitur; et ex significatione foveae, quod sint falsa, de qua n: 4728, ita ne sit [27] inter falsa. Quod extrahere et ascendere facere hic sit auxilium ferre, est quia Verum est quod fert auxilium bono; vero enim adscribitur potentia quia bonum potentiam exercet per verum, n: 3091. 3563; [28] et praeterea verum est per quod cognoscitur falsum, ita per quod auxilium fertur ne sit inter falsa; inde est, quod Midianitae fuerint qui extraxerunt et ascendere fecerunt Josephum e fovea, et quod Jischmaëlitae qui emerunt.

4758. Et vendiderunt Josephum Jischmaëlitis, quod significet receptionem ab illis qui in bono simplici, et abalienationem ab illis qui in fide separata, constat a significatione vendere, quod sit abalienare respective ad illos qui in fide separata sunt, qui hic sunt fratres Josephi, nam hi vendiderunt, et quod sit recipi respective ad illos qui in bono simplici, qui hic sunt Jischmaëlitae, nam hi emerunt; quod Jischmaëlitae sint qui in bono simplici, supra n: 3263. 4747, ostensum est. De his videantur quae prius n: 4756.

4759. In viginti argenti, quod significet aestimationem, constat ex significatione viginti, quod sint bonum et verum in interiore homine reconditum a Domino, quae reliquiae vocan-

tur, de qua n: 2280, ita sanctum bonum aut verum, hic sanctum verum, quia viginti argenti dicitur, argentum enim est verum, n: 1551. 2954; idem numerus quoque significat non sanctum, quia pleraque in verbo etiam oppositum sensum habent, hic non sanctum respective ad illos qui abalienarunt Divinum verum, seu vendiderunt Josephum, n: 4758, at sanctum respective ad illos qui receperunt, seu emerunt; ita non sanctum respective ad fratres Josephi, hoc est, ad illos in Ecclesia qui in fide separata sunt, at sanctum respective ad Jischmaëlitas, hoc est, ad illos qui in simplici bono; haec sunt quae per aestimationem intelliguntur. Quod Viginti etiam significent non sanctum, est quia Viginti sunt reliquiae, ut supra dictum; qui non habent reliquias boni et veri in interiore suo homine, sed loco eorum malum et falsum, illis sanctum non est sanctum, sed est secundum genus mali et falsi vel Spurcum vel prophanum. Quod Viginti etiam sint non sanctum, constat apud Sachariam, „Vidi, et ecce volumen volans; et dixit ad me, quid tu vides, cui dixi video volumen volans, longitudo ejus *viginti* ulnae, latitudo ejus decem ulnae: et dixit ad me, haec *maledictio* exiens super facies totius terrae," V: 1. 2. 3. Apud Haggaeum, „Cum veniret ad torcular ad hauriendum quinquaginta e torculari fuit *viginti;* percussi vos uredine, et rubigine omne opus manuum vestrarum," II: 16. Apud Ezechielem, „Cibus tuus quem comedes pondere, *viginti sicli* in diem, de tempore usque in tempore comedes illum; et quidem placentam hordeorum comedes eam; quod ad illam, cum stercore fimi hominis facies in oculis illorum: sic enim, dixit Jehovah, comedent filii Israëlis panem suum immundum inter gentes," IV: 10. 12. 13; in illis locis viginti pro non sancto, immundo et prophano. Quod morerentur omnes in deserto qui supra *viginti annos*, Num: XIV: 29. [29] Cap: XXXII: 11, repraesentabat etiam sanctum respective ad illos qui infra illos annos, et non sanctum respective ad illos qui supra. Quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 4264. 4495. 4670. Quod Reliquiae sint bonum et verum in interiore homine reconditum a Domino, n: 468. 530. 560. 561. 576. 660. 798. 1050. 1738. 1906. 2284.

4760. Et adduxerunt Josephum Aegyptum, quod significet consultationem a scientificis, constat a significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462; ad quae cum adfertur Divinum Verum, est consultare illa, nam per Josephum, ut supra ostensum, repraesentatur Divinum Verum. Quomodo se habet cum consultatione de Divino Vero ex scientificis, paucis dicendum; consultare scientifica de Divino Vero, est videre ex illis num ita sit; sed hoc fit aliter apud illos qui in affirmativo sunt quod verum sit verum, illi cum consultant scientifica, confirmant per illa Verum, et sic corroborant fidem; aliter apud illos qui in negativo sunt, illi cum consultant scientifica, se conjiciunt magis in falsa, nam negativum apud hos regnat sed affirmativum apud illos: et praeterea se habet hoc secundum facultatem intellectualem cujusvis hominis, qui non intuitionem superiorem, hoc est, interiorem habent si consultant scientifica, non vident confirmationem veri in illis, quapropter auferuntur per scientifica in negativum; at qui intuitionem superiorem, hoc est, interiorem habent, hi vident confirmationes, si non aliter, usque per correspondentias. Sit pro exemplo, quod vivat homo post mortem, qui in negativo sunt quod hoc verum sit, cum consultant scientifica, se confirmant per innumerabilia contra illud, ut per quod bruta animalia pariter vivant, pariter sentiant, pariter agant, et in multis solertius homine, et quod cogitatio, quae homini prae brutis, sit tale quod ei comparatur per quod serius adolescat, et quod homo tale genus animalis sit; et praeterea ex mille aliis; ex his patet, quod qui in negativo sunt, si consultant scientifica, se conjiciant magis in falsa, et tandem ut nihil quicquam credant quod vitae aeternae est: at qui in affirmativo sunt quod verum sit quod homo vivat post mortem, cum consultant scientifica se confirmant per illa, et hoc quoque per innumerabilia; vident enim quod singula quae in natura, sint infra hominem, et quod animalia bruta ex instinctu agant, et quod homo ex ratione, quodque illa non possint aliter quam spectare deorsum, at quod homo sursum, et per cogitationem comprehendere illa quae spiritualis mundi sunt, et quoque affici illis, imo per amorem conjungi Ipsi Deo, et sic vitam ex Divino sibi appropriare; utque illuc duci et elevari possit, quod ideo serius adolescat; et prae-

terea in reliquis, quae naturae sunt, videt confirmationes; et tandem in universa natura videt repraesentativum Regni coelestis. Commune est, et hoc notum, quod Eruditi minus quam simplices id credant, et in genere, quod minus quam simplices videant Divina Vera, causa est, quia consultant scientifica, quorum copiam prae aliis possident, ex negativo, et per id destruunt apud se intuitionem a superiori seu interiori, qua destructa non amplius a luce coeli aliquid vident, sed a luce mundi, nam scientifica sunt in luce mundi, quae si non illuminantur a luce coeli, tenebras inducunt, utcunque aliter ipsis apparet: inde erat quod simplices in Dominum crediderint, non autem Scribae et Pharisaei, qui in illa gente fuerunt eruditi; ut patet ab his apud Johannem, „Multi ex turba audiverunt verbum, dixerunt hic est vere Propheta, alii dixerunt hic est Christus (Messias): responderunt Pharisaei illis, num quis ex Principibus credidit in Ipsum, aut ex Pharisaeis," VII: 40. 47. 48: et apud Lucam, „Dixit Jesus, confiteor Tibi Pater Domine coeli et terrae, quod occultasti talia a sapientibus et intelligentibus, revelasti autem ea infantibus," X: 21; infantes pro simplicibus: tum apud Matthaeum, „Propterea per parabolas loquor illis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, nec intelligunt," XIII: 13.

4761. Et rediit Ruben ad foveam, quod significet fidem Ecclesiae in communi, constat a repraesentatione Rubenis, quod sit confessio fidei Ecclesiae in communi, de qua n: 4731. 4734; et ex significatione foveae, quod sint falsa, de qua n: 4728; inde per quod rediit Ruben ad foveam, significatur quod fides Ecclesiae in communi veniret ad spectandum falsa quae fidei separatae.

4762. Et ecce nullus Joseph in fovea, quod significet quod nulla fides amplius, constat a repraesentatione Josephi, quod sit Divinum Verum, quod cum appareret inter falsa, quae per foveam n: 4728, significantur, tunc est nulla fides amplius.

4763. Et discidit vestes suas, quod significet luctum, constat a significatione discindere vestes, quod sit luctus, nempe propter verum deperditum, seu quod nulla fides: in Verbo, imprimis Historico, saepius legitur, quod vestes disciderint, sed nescitur hodie, unde hoc, et quoque nescitur quod id reprae-

sentativum esset doloris propter verum quod amissum; hoc inde repraesentativum factum est, quia vestes significabant Vera, ut ostensum videatur n: 4545: in sequentibus hujus Capitis etiam dicitur, quod „cum Jacob agnovit tunicam filii sui, *disciderit vestes suas,*" Vers: 34, per quod significatur luctus pro deperdito vero: similiter alibi in Verbo; ut cum Rabschake missus a Sancheribo Rege Aschuris, loquutus contumelias contra Hierosolymam, tunc „Eliakimus qui super domum Regis, et Schibna Scriba, et Joachus commentator, *discissi vestes* nuntiarunt illa Regi Hiskiae; ex quo audito etiam Rex *discidit vestes suas*, et obtexit se sacco" Esai: XXXVI: 22. Cap: XXXVII: 1. II Reg: XVIII: 37. Cap: XIX: 1; contumeliae quas loquutus, erant contra Deum, Regem et Hierosolymam, ita contra Divinum Verum, ut melius a sensu interno ibi patet, inde ex luctu discindebantur vestes. Cum Jehudius legisset volumen libri coram Rege quod scripsit Jeremias, dicitur quod „projecerit id in focum, et *non ruperint vestes suas* Rex et servi illius audientes omnia verba illa" Jerem: XXXVI: 23. 24; quod non ruperint vestes erat quod non luxerint propter Divinum Verum non acceptum. Cum exploratores loquuti male de terra Canaane, quod tunc „Joschua filius Nunis et Kalebus filius Jephuneh, *disciderint vestes*, et loquuti sint contra illos" Num: XIV: 6, simile involvit, terra enim Canaan significat Regnum Domini, contra quod loqui, est falsum contra Divinum Verum. Cum „Arca Dei capta a Philistaeis, et ambo filii Eli mortui sunt, quod vir ex acie currens Schiluntem, *vestibus scissis* et pulvere super capite" I Sam: IV: 11. 12, significabat luctum super Divinum Verum et Divinum Bonum amissum, arca enim quia repraesentabat Regnum Domini, ac in supremo sensu Ipsum Dominum, ac inde Ecclesiae sanctum, vestes scissae significabant luctum super Divinum Verum amissum, et pulvis super capite super Divinum Bonum. De Schemuele et Schaule legitur „Cum convertit se Schemuel ad abeundum, Schaul apprehendit *alam tunicae ejus quae abscissa est;* quare dixit ad eum Schemuel, abscidit Jehovah regnum Israëlis a super te hodie, et dedit illud socio tuo; non revertar tecum, quia repudiasti verbum Jehovae, et repudiavit te Jehovah, ut non sis Rex super Israëlem" I Sam: XV: 26. 27. 28; quod Schaul ruperit alam tuni-

cae Schemuelis, repraesentabat id quod Schemuel dixit, nempe quod Regnum abscinderetur ab eo, et quod non esset Rex Israëlis amplius, Regnum enim in sensu interno significat Divinum Verum, n: 1672. 2547. 4691, et quoque Rex et Regium, n: 1672. 1728. 2015. 2069. [30] 3009. 3670. 4575. 4581; Regnum et Rex Israëlis in specie, quia per Israëlem repraesentabatur Regium Domini: Similiter quod de Jeroboamo et Achia Propheta memoratur, „Cum Jeroboamus exiret ex Hierosolyma, et inveniret illum Achiah propheta in via, cum ille tectus veste nova, et ambo soli in agro, *apprehendit Achiah Vestem novam*, quae super illo, et *discidit eam in duodecim frusta*, et dixit Jeroboamo, sume tibi decem frusta, nam sic dixit Jehovah Deus Israëlis, ecce Ego discindens [regnum] e manu Schelomonis, et dabo tibi decem tribus" I Reg: XI: 29. 30. 31. Pariter quod ruperint vestes, cum Schaul in praelio occisus est, de quo in II Libro Schemuelis „Cum Schaul in praelio occisus est, die tertio vir venit e castris, *cujus Vestes discissae:* et cum audivit David de morte Schaulis, *apprehendit David vestes suas et rupit eas*, et omnes servi qui cum illo" I: 2. 10. 11. 12, per hoc etiam repraesentabatur luctus ob Divinum Verum amissum, ac projectum ab illis qui in fide separata, per regium enim significabatur Divinum Verum, ut supra dictum, et per Philistaeos, a quibus occisus Schaul, repraesentabantur qui in fide separata, n: 1197. 1198. 3412. 3413; quod etiam patet a lamentatione Davidis super illum in eodem Capite Vers: 18 ad 27. Cum Abschalom percusserat fratrem suum Ammonem, et fama venit ad Davidem, quod percusserit Abschalom omnes filios Regis, „*rupit vestes suas*, et jacuit in terra, et omnes servi ejus *stantes rupti vestes*" II Sam: XIII: 28. 30. 31; etiam hoc factum est causa repraesentationis, quod vera ex Divino deperdita, filii Regis in sensu interno illa significant. Cum fugit David pro Abschalomo, „obviam ei fuit Chuschai Arkita, *ruptus tunicam suam*," II Sam: XV: 32, similiter, nam per Regem, imprimis per Davidem, in Verbo repraesentatur Divinum Verum. Consimiliter, „Cum Elias loquutus ad Achabum regem Israëlis verba Jehovae, quod exstirparetur propter malum quod fecerat, tunc Achabus *rupit vestes suas*, posuit saccum super carnem suam," I Reg: XXI: 27. 28. 29. Quod ruptio aut dis-

cissio vestium repraesentaverit luctum de Amisso Vero, porro constat ab his, „Chilkiah sacerdos invenit Librum legis in domo Jehovae, cum legit eum Schaphan coram Rege Joschia, et cum audivit Rex verba Libri legis, *rupit vestes suas,*" II Reg: XXII: 11, manifeste propter Verbum, hoc est, Verum Divinum tamdiu amissum, ac in cordibus et vita obliteratum. Cum Dominus confessus quod esset Christus filius Dei, quod „sacerdos magnus *disruperit vestes suas*, dicens omnino blasphemavit," Matth: XXVI: 63. 64. 65. Marc: XIV: 63. 64, significabat quod summus sacerdos non aliter crediderit, quam quod Dominus contra Verbum, ac sic contra Verum Divinum loquutus sit. Cum „ascendit Elias in turbine, et Elischa videns, *apprehendit vestes suas et disrupit eas in duo frusta:* et sustulit *tunicam* Eliae, quae deciderat desuper illo, et percussit aquas, et divisae sunt huc illuc, et transivit Elischah" II Reg: II: 11. 12. 13. 14; quod Elischah tunc disruperit vestes suas in duo frusta, erat propter luctum quod Verbum, hoc est, Divinum Verum amissum fuerit, per Eliam enim repraesentatur Dominus quoad Verbum, hoc est, Divinum Verum, n: 2762; quod tunica ab Elia deciderit, et ab Elischah suscepta, repraesentabat quod Elischah continuaret repraesentationem; quod Tunica sit Divinum Verum, videatur n: 4677; quare etiam vestis quae discindebatur in tali luctu, erat tunica, ut patet a locis quibusdam citatis. Quia Vestis significabat Verum Ecclesiae, et in supremo sensu Divinum Verum, ideo contumeliosum erat scissis vestibus ire, nisi in tali luctu, ut patet ab eo quod factum servis Davidis a rege filiorum Ammonis Chanun, quod „absciderit illis dimidium barbae, et *vestes eorum in medio usque ad nates;* quare nec admissi ad Davidem," II Sam: X: 4. 5.

4764. Et rediit ad fratres suos, quod significet docentes, constat a repraesentatione fratrum Josephi, quod sint qui a fide separata, et quia pastores erant, quod etiam sint docentes ex fide, ut supra n: 4705.

4765. Et dixit, natus non amplius, quod significet quod fides in Ipsum nulla, constat a significatione nati, quod sit verum fidei, per filium enim significatur verum, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704, ita per natum, qui hic Josephus, qui quod repraesentet Divinum Verum, osten-

sum est; et quia omne verum est fidei, nam quod in Antiquis Ecclesiis dictum est verum seu veritas, in Nova dicitur fides, n: 4690, inde per natus non amplius, significatur quod fides in Ipsum nulla.

4766. Et ego quo ego venio, quod significet ubi nunc Ecclesia, constat a repraesentatione Rubenis, quod sit fides Ecclesiae in communi, de qua n: 4731. 4734. 4761; et quia Ruben de se dicit „et ego quo ego venio," significatur ubi nunc fides Ecclesiae, seu quod idem, ubi nunc Ecclesia. Quod non Ecclesia sit, ubi non coelestis Josephus, hoc est, Dominus quoad Divinum Verum, in specie Divinum Verum quod Humanum Domini Divinum sit, et quod Charitas sit essentiale Ecclesiae, proinde charitatis opera, constare potest ab illis quae in hoc Capite de utroque ostensa sunt: Si non hoc Divinum Verum recipitur quod Humanum Domini Divinum sit, necessario inde sequitur, quod Trinum sit quod adorandum, non autem unum, et quoque quod dimidium Domini, nempe Ipsius Divinum non autem Humanum, quis enim adorat non Divinum; numquid est Ecclesia ubi Trinum adoratur unum separatim ab altero, seu quod idem, ubi Tres aequaliter coluntur; nam tametsi tres dicuntur unum, usque cogitatio distinguit et facit tres, et solum sermo oris dicit unum; expendat hoc quisque apud se, cum dicit se agnoscere et credere unum Deum, annon cogitet de tribus; et cum dicit quod Pater sit Deus, Filius sit Deus, et Spiritus Sanctus sit Deus, et illi quoque distincti in personas et distincti quoad munia, an cogitare possit quod sit unus Deus, nisi ita ut Tres inter se distincti unum faciant per concordantiam, et quoque per condescendentiam quatenus unus procedit ab altero; cum itaque Tres dii adorantur, ubi tunc Ecclesia: at si Solus Dominus, in Quo Trinum perfectum est, et in Quo est Pater et Pater in Ipso, sicut Ipse dicit „Si utique Mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quod Pater in Me et Ego in Patre," Joh: X: 38. „Qui vidit Me vidit Patrem, nonne credis Philippe quod Ego in Patre et Pater in Me, credite Mihi quod Ego in Patre et Pater in Me," Joh: XIV: 10. 11. „Qui videt Me videt Ipsum qui misit Me," Joh: XII: 45. „Omnia Mea Tua sunt, et Tua Mea," Joh: XVII: 10, [3x] tunc est Ecclesia Christiana, et est cum manet in hoc quod Dominus

dixit „Primarium omnium praeceptorum est, audi Israël, *Dominus Deus noster Dominus unus est;* ideo amabis *Dominum Deum tuum* ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis; hoc primarium praeceptum: alterum simile hoc, amabis proximum tuum sicut teipsum; *majus his aliud praeceptum non est,*" Marc: XII: 29. 30. 31; quod Dominus Deus noster sit Dominus, videatur Matth: IV: 7. 10. Cap: XXII: 41. 42. Luc: I: 16. 17. Joh: XX: 28, et quod Jehovah in Veteri Testamento dicatur Dominus in Novo, n: 2921. Si etiam id Divinum Verum non recipitur et doctrina et vita, quod amor erga proximum, hoc est, Charitas sit essentiale Ecclesiae et inde charitatis opera, necessario sequitur, quod cogitare verum sit Ecclesiae, non autem cogitare bonum, et sic quod cogitatio hominis Ecclesiae possit in contradictione et oppositione simul esse, nempe cogitare malum et simul cogitare verum, ita per cogitare malum esse cum diabolo, et per cogitare verum esse cum Domino, cum tamen verum et malum nusquam concordant „Nullus potest servire duobus dominis, aut unum odio habebit, et alterum amabit," Luc: XVI: 13; hoc cum statuit et quoque vita confirmat fides separata utcunque de fidei fructibus loquitur, ubi tunc Ecclesia.

4767. Vers: 31. 32. 33. 34. 35. *Et sumserunt tunicam Josephi, et mactarunt hircum caprarum, et intinxerunt tunicam in sanguine. Et miserunt tunicam variorum colorum, et adduxerunt ad patrem illorum, et dixerunt, hanc invenimus, agnosce quaeso an tunica filii tui haec, si non. Et agnovit illam, et dixit, tunica filii mei, fera mala comedit eum, discerpendo discerptus est Joseph. Et discidit Jacob vestes suas, et posuit saccum in lumbis suis, et luxit super filio suo diebus multis. Et surrexerunt omnes filii ejus, et omnes filiae ejus, ad consolandum eum, et renuit ad consolandum se, et dixit, quia descendam ad filium meum lugens sepulchrum, et flevit eum pater ejus.* Sumserunt tunicam Josephi, significat apparentias: et mactarunt hircum caprarum, significat vera externa ex jucundis: et intinxerunt tunicam in sanguine, significat quod foedaverint falsis ex [32] malis: et miserunt tunicam variorum colorum, significat ita apparentias foedatas: et adduxerunt ad patrem illorum, significat collationem cum bonis et veris Eccle-

siae Antiquae et Primitivae: et dixerunt, hanc invenimus, significat quod illis ita appareat: agnosce quaeso, an tunica filii tui haec, si non, significat num similitudo: et agnovit illam, significat quod quidem esset: et dixit, tunica filii mei, significat quod verum Ecclesiae: fera mala comedit eum, significat quod cupiditates mali exstinxerint: discerpendo discerptus est Joseph, significat quod a falsis talis ut prorsus non sit: et discidit Jacob vestes suas, significat luctum pro deperdito vero: et posuit saccum in lumbis suis, significat luctum pro deperdito bono: et luxit super filio suo diebus multis, significat statum: et surrexerunt omnes filii ejus, significat illos qui in falsis: et omnes filiae ejus, significat illos qui in malis: ad consolandum eum, significat ut interpretarentur ex sensu literae Verbi: et renuit ad consolandum se, significat quod non posset: quia descendam ad filium meum lugens sepulchrum, significat quod Ecclesia Antiqua perierit: et flevit eum pater ejus, significat luctum interiorem.

4768. Sumserunt tunicam Josephi, quod significet apparentias, constat a significatione tunicae, hic tunicae variorum colorum, quod sint apparentiae veri, de qua n: 4677. 4741. 4742. Agitur in nunc sequentibus de exculpatione facinoris quod fecerunt, in sensu interno de confirmatione falsi contra Divina Vera, de quibus mox supra n: 4766, et hoc per apparentias, quae sistuntur per ratiocinia ex sensu literae Verbi, confirmationes falsi per interpretationes ex sensu literae Verbi, sunt omnes apparentiae, per quas simplices solent seduci, ac falsum sisti ut verum, et verum ut falsum; de his in nunc sequentibus in sensu interno agitur.

4769. Et mactarunt hircum caprarum, quod significet vera externa ex jucundis, constat ex significatione hirci caprarum in Verbo, quod sint vera naturalia, hoc est, vera Externi hominis ex quibus jucunda vitae, tum quoque quod sint vera externa ex jucundis, de qua sequitur; vera externi hominis ex quibus jucunda vitae, sunt vera Divina qualia sunt sensus literalis Verbi, ex quibus doctrinalia genuinae Ecclesiae, haec proprie significantur per hircum, jucunda quae inde sunt significantur per capras; ita per hircum caprarum in genuino sensu, illi qui in talibus veris et inde jucundis sunt; in sensu autem oppo-

sito per hircum caprarum significantur illi qui sunt in veris externis, hoc est, in apparentiis veri ex sensu literae quae jucundis vitae eorum conveniunt, sicut quae jucundis corporis quae in genere voluptates vocantur, et quae jucundis animi quae in genere sunt honores et lucra; tales per hircum caprarum in sensu opposito significantur; verbo, per hircum caprarum in hoc sensu significantur qui in fide separata a charitate sunt, nam hi non alia vera ex Verbo desumunt, quam quae cum jucundis vitae eorum concordant, hoc est, quae favent amoribus sui et mundi; caetera vera illuc per interpretationes deducunt, et inde falsitates sistunt sicut apparentias veri. Quod Hircus caprarum significet illos qui in fide separata sunt, constare potest apud Danielem „Ecce *Hircus caprarum* venit ab occidente super facies omnis terrae, et non attingens terram, et *huic Hirco* cornu aspectus inter oculos illius; ex uno de quatuor cornibus exivit cornu unum de exiguo, et crevit valde versus meridiem et versus ortum, et versus decus; quin [33] crevit usque ad exercitum coelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit ea: et projecit veritatem in terram," VIII: 5. 10. 11. 12; agitur ibi de statu Ecclesiae in genere, non solum de statu Ecclesiae Judaicae, sed etiam de statu Ecclesiae sequentis quae est Ecclesia Christiana, nam Verbum Domini est universale; Hircus caprarum respective ad Ecclesiam Judaicam significat illos qui vera interna nihili fecerunt, sed externa acceptabant quatenus favebant amoribus eorum, qui erant ut maximi et opulentissimi essent, inde Christum seu Messiam, quem exspectabant, non aliter agnoscebant, quam sicut Regem qui eveheret illos supra omnes gentes et populos in universo terrarum orbe, et hos subjiceret illis sicut vilissimos servos, inde deduxerunt amorem in illum; quid amor erga proximum, prorsus non sciebant, modo quod esset conjunctio per honoris supradicti participationem, et per lucrum; Hircus autem caprarum respective ad Ecclesiam Christianam, significat illos qui in veris externis ex jucundis sunt, hoc est, qui in fide separata, nam hi quoque nihil interna curant, sique illa docent, est solum ut inde aucupent famam, ut ad honores evehantur et ad lucra perveniant, haec sunt jucunda quae in corde eorum quando vera sunt in ore; et praeterea illa quae genuinae fidei sunt per sini-

stras interpretationes trahunt ad favorem suorum amorum; inde patet, quid in sensu interno per illa verba apud Danielem significatur, nempe per hircum caprarum illi qui in fide separata; quod hircus venerit ab occidente, est quod a malo, quod occidens sit malum, videatur n: 3708; quod venerit super facies omnis terrae, non attingens terram, est quod super totam Ecclesiam, per terram in Verbo non aliud intelligitur quam terra ubi Ecclesia, ita Ecclesia n: 566. 662. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4435. 4447; cornua quae ei sunt potentiae ex falso, n: 2832; cornu aspectus inter oculos, est potentia ex ratiocinatione de veris fidei, quod constare potest ab illis quae de oculo, n: 4403 ad 4421. n: 4523 ad 4534, ostensa sunt; unum cornu quod crevit versus meridiem, ortum, et decus, est potentia ex fide separata usque versus illa quae sunt status lucis coeli, status boni et veri, quod meridies sit status lucis, videatur n: 3708, quod ortus seu oriens sit status boni, n: 1250. 3249. 3708, quod decus sit status veri, ex Verbo passim constat; quod crevit usque ad exercitum coelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit illa, est quod cognitiones boni et veri, quod exercitus coelorum et stellae sint cognitiones boni et veri, n: 4697; inde scitur quid sit, quod projecerit veritatem in terram, quod nempe ipsam fidem quae in se est charitas, nam fides spectat charitatem quia procedit a charitate, quod in Antiqua Ecclesia vocatum est veritas, hoc in nova vocatur fides, n: 4690. Similiter Hircus apud Ezechielem „Ecce Ego judicans inter pecudem et pecudem, inter arietes et *inter hircos:* num parum vobis, pascuum bonum depascitis, et reliquum pascuorum vestrorum conculcatis pedibus vestris; sedimentum aquarum bibitis, reliquas pedibus vestris turbatis; cornibus vestris feritis omnes infirmas, donec disperseritis eas foras," XXXIV: 17. 18. 21; ibi etiam per hircos significantur illi qui in fide separata, hoc est, qui praeponunt doctrinam vitae, et tandem vitam non curant, cum tamen vita facit hominem non doctrina separata, et vita manet post mortem, non autem doctrina nisi quantum illa ex vita trahit; de illis dicitur, quod pascuum bonum depascant, et reliquum pascuorum conculcent pedibus, ac quod sedimentum aquarum bibant, et reliquas pedibus turbent,

tum quod cornibus feriant infirmas, donec disperserint illas. Ex his nunc patet, quinam sunt qui per Hircos et quinam per Oves intelliguntur, de quibus Dominus apud Matthaeum „ Congregabuntur coram Ipso omnes gentes, et separabit eas ab invicem, sicut pastor separat *Oves ab Hircis;* et statuet *Oves* a dextris, *Hircos vero a sinistris,*" etc: XXV: 32. 33; quod oves sint illi qui in charitate sunt et inde in veris fidei, et quod hirci qui in nulla charitate tametsi in veris fidei, [34] hoc est, qui in fide separata, a singulis ibi liquet, describuntur ibi illi. Quinam sunt et quales qui in fide separata, et per hircos intelliguntur, constare potest ab his binis locis; apud Matthaeum „ *Omnis Arbor quae non facit fructum bonum, exscindetur,* et in ignem conjicietur; *quare ex fructibus eorum cognoscetis eos:* non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum coelorum, *sed faciens voluntatem Patris mei* qui in coelis est: multi dicent Mihi in die illa, Domine, Domine, nonne *per Nomen tuum prophetavimus*, et *per Nomen tuum daemonia ejecimus*, et *in Nomine tuo virtutes multas fecimus;* sed tunc confitebor illis, non novi vos, *discedite a Me Operarii iniquitatis,*" VII: 19. 20. 21. 22. 23: et apud Lucam „ Tunc incipietis foris stare, et pulsare januam, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; sed respondens dicet vobis, *non novi vos unde sitis:* tunc incipietis dicere, *edimus coram Te*, et *bibimus*, et *in plateis nostris docuisti;* sed dicet, dico vobis, *non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes operarii iniquitatis,*" XIII: 25. 26. 27; hi sunt qui in fide separata, et hirci vocantur. Quid autem Hirci in bono sensu significant, sicut qui in sacrificiis adhibebantur, ac apud Prophetas passim nominantur, alibi, ex Divina Domini Misericordia, dicetur.

4770. Et intinxerunt tunicam in sanguine, quod significet quod foedaverint falsis ex malis, constat ex significatione intingere sanguine, quod sit foedare falsis, sanguis enim in opposito sensu est verum falsificatum, n: 4735; quia sanguis hirci erat, per quem significantur vera externa ex jucundis, qualia sunt illorum qui in fide separata, liquet quod sint falsa ex malis, quod quoque patet ex sequentibus, ubi Jacob dicit „ Fera mala comedit eum, discerpendo discerptus est Joseph" per illa enim significatur, quod cupiditates mali exstinxerint, et sic quod a falsis

talis ut prorsus non sit. Quod tres origines falsi sint, ex doctrina Ecclesiae, ex fallaciis sensuum, et ex vita cupiditatum, et quod falsum ex hac sit pessimum, videatur n: 4729.

4771. Et miserunt tunicam variorum colorum, quod significet apparentias foedatas, constat a significatione tunicae variorum colorum, quod sint apparentiae, de qua n: 4677. 4741. 4742. 4768; quod foedatae, intelligitur per quod tunica intincta sanguine, n: 4770.

4772. Et adduxerunt ad patrem illorum, quod significet collationem cum bonis et veris Ecclesiae Antiquae et Primitivae, constat a repraesentatione Jacobi, qui hic est pater, quod sit Ecclesia Antiqua, de qua n: 4680. 4700; et quoque Ecclesia Primitiva, hoc est, Ecclesia Christiana in suo initio, de qua sequitur; adducere tunicam talem ad illam, in sensu interno est instituere collationem falsificatorum bonorum et verorum cum bonis et veris genuinae Ecclesiae. Quod per Jacobum repraesentetur hic non modo Ecclesia Antiqua, sed etiam Primitiva, hoc est, Christiana in suo initio, est quia prorsus eaedem sunt quoad interna, sed modo discrepent quoad externa; Externa Ecclesiae Antiquae fuerunt omnia repraesentativa Domini ac coelestium et spiritualium Regni Ipsius, hoc est, amoris et charitatis et inde fidei, proinde talium quae sunt Ecclesiae Christianae; inde est, cum evolvuntur et quasi exfasciantur externa, quae fuerunt Antiquae Ecclesiae, et quoque Judaicae, quod pateat Ecclesia Christiana; hoc significatum etiam est, per quod velum in Templo disruptum sit, Matth: XXVII: 51. Marc: XV: 38. Luc: XXIII: 45; inde est, quod per Jacobum patrem repraesentetur non modo Ecclesia Antiqua, sed etiam Primitiva Christiana.

4773. Et dixerunt, hanc invenimus, quod significet quod illis ita appareat, constat a serie rerum in sensu interno, non enim dixerunt quod esset tunica Josephi, sed quod invenerint, referendo ad patrem, ut agnosceret an tunica filii ejus esset; inde sequitur, quod per illa verba significetur, quod illis ita appareat.

4774. Agnosce quaeso an tunica filii tui haec, si non, quod significet num similitudo, constat ex significatione agnoscere an sit, quod sit num simile: se referunt haec ad illa quae praece-

dunt et ab illis sequuntur, quod nempe collatio institueretur falsificatorum bonorum et verorum cum bonis et veris genuinis Ecclesiae, quae significantur per quod adduxerunt tunicam sanguine intinctam ad patrem illorum, n: 4772; inde hic per agnosce quaeso an tunica filii tui haec, significatur quod conferret num simile, seu num similitudo.

4775. Et agnovit illam, quod significet quod quidem esset, et dixit tunica filii mei, quod significet quod verum Ecclesiae, constat a significatione tunicae, quod sit verum Ecclesiae, de qua n: 4677, sed quia foedatum, quidem agnitum est quod esset, sed non simile vero Ecclesiae Antiquae et Primitivae, inde dicitur quod quidem esset.

4776. Fera mala comedit eum, quod significet quod cupiditates mali exstinxerint, constat ex significatione ferae malae, quod sit mendacium ex vita cupiditatum, de qua n: 4729, proinde cupiditates; et ex significatione comedere, quod sit exstinguere, quia praedicatur de vero Ecclesiae. Ipsissimum Verum Ecclesiae est, quod amor in Dominum, et amor erga proximum sint primaria, Marc: XII: 29. 30. 31; hoc verum exstinguunt cupiditates; qui enim in vita cupiditatum sunt, non possunt esse in vita amoris et charitatis, sunt enim prorsus opposita; vita cupiditatum est se solum amare, et non proximum nisi ex se seu propter se, inde exstinguunt apud se charitatem, et qui exstinguunt charitatem, etiam exstinguunt amorem in Dominum, nam non datur medium amandi Dominum, quam charitas, Dominus enim in charitate est; affectio charitatis est ipsa affectio coelestis, quae a Solo Domino; inde constare potest, quod cupiditates mali exstinguant ipsissimum verum Ecclesiae; quo exstincto excogitatur medium quod salvificum dicitur, nempe fides, quae cum separatur a charitate, tunc ipsa vera foedantur, nam tunc non amplius scitur quid charitas, ne quidem quid proximus, consequenter nec quid internum hominis, et ne quidem quid coelum, nam internum hominis et coelum in homine, est charitas, hoc est, benevelle alteri, societati, patriae, Ecclesiae, Regno Domini, et sic Ipsi Domino; inde concludi potest, qualia vera Ecclesiae erunt, cum illa, quae essentialia sunt, nesciuntur, et cum contraria illis, nempe cupiditates regnant; cum vita cupiditatum de illis loquitur, annon

foedantur in tantum, ut non amplius cognosci possint. Quod nemo possit salvari, nisi in bono charitatis vixerit, et sic imbuerit ejus affectiones, quae sunt benevelle aliis et ex benevelle illis benefacere; tum quod nemo usquam recipere possit vera fidei, nempe imbuere et appropriare illa sibi, quam qui in charitatis vita est, patuit mihi manifeste ab illis qui in coelo cum quibus datum est loqui; ibi omnes sunt formae charitatis, pulchritudine et bonitate secundum charitatis quale; jucundum, faustum, et felix eorum ex eo est, quod ex benevelle possint aliis benefacere; homo, qui non in charitate vixerat, nusquam scire potest, quod in benevelle et ex benevelle benefacere sit coelum et ejus gaudium, quia ejus coelum est benevelle sibi et ex hoc benevelle aliis benefacere, cum tamen hoc est infernum; nam coelum distinguitur ab inferno in eo, quod, ut dictum, coelum sit ex benevelle benefacere, et infernum est ex malevelle malefacere, qui in amore erga proximum sunt, illi ex benevelle benefaciunt, at qui in amore sui sunt, illi ex malevelle malefaciunt, causa est, quia neminem amant quam semet, et alios non nisi quantum se vident in illis et illos in se; etiam hos odio habent, quod se manifestat ut primum recedunt et non ejus sunt; hoc se habet, sicut latrones, qui cum in consociatione sunt, se invicem amant, sed usque corde cupiunt occidere si praeda inde. Ex his constare potest, quid coelum, quod nempe sit amor erga proximum, et quid infernum quod nempe sit amor sui: qui in amore erga proximum sunt, illi recipere possunt omnia vera fidei, et illa imbuere et sibi appropriare, nam in amore erga proximum inest omne fidei, quia inest coelum, et inest Dominus; qui autem in amore sui sunt, illi nusquam possunt recipere vera fidei, quia illi amori inest infernum, nec possunt aliter recipere vera fidei quam sui honoris et lucri causa, ita nusquam illa imbuere et sibi appropriare, sed quae imbuunt et sibi appropriant, sunt negativa veri, corde enim ne quidem credunt quod infernum ac coelum sint, nec quod vita post mortem, inde nec aliquid quod de inferno et coelo, deque vita post mortem dicitur, ita nihil prorsus quod de fide et charitate ex Verbo et doctrina; apparent sibi credere cum in cultu sunt, sed hoc est inde quia implantatum est ab infantia eum statum tunc induere, ut primum autem extra cultum sunt etiam extra illum statum

sunt, et cum tunc cogitant in se, prorsus nihil credunt, et quoque secundum vitam amorum suorum excogitant faventia, quae vera dicunt, et quoque confirmant ex sensu literali Verbi, cum tamen falsa sunt; tales sunt omnes qui in fide separata sunt vita et doctrina. Praeterea sciendum, quod omnia insint amoribus, amores enim sunt qui faciunt vitam, proinde non nisi quam in amores influit vita Domini; quales itaque amores sunt, tales sunt vitae, quia tales receptiones vitae; amor erga proximum recipit vitam coeli, et amor sui recipit vitam inferni; ita amori erga proximum inest omne coeli, et amori sui omne inferni: quod omnia insint amoribus, illustrari potest a pluribus in natura; animalia, tam quae super terra gradiuntur, quam quae in aëre volant, et in aquis natant, feruntur omnia secundum amores suos, et in amores illorum influunt quaecunque ad vitam illis conducunt, quae nempe ad victum, ad habitationem, adque procreationem; inde unumquodvis genus novit suam escam, novit suas mansiones, et novit quae conjugialis eorum sunt, sicut consociari, construere nidos, ponere ova, educare pullos; etiam apes aedificare cellulas, exsugere mella ex floribus, implere illis favos, et prospicere sibi pro hyeme, imo agere aliquam formam regiminis sub imperante; praeter mirifica alia; haec omnia fiunt per influxum in amores eorum, sunt modo formae affectionum eorum quae variant vitae effectus; illa omnia amoribus illorum insunt; quid non inesset amori coelesti, si homo in illo esset, annon omne sapientiae et intelligentiae, quod in coelo est: inde etiam est, quod, qui in charitate vixerunt, et non alii, recipiantur in coelum, et quod ex charitate in potentia sint recipere et imbuere omnia vera, hoc est, omnia fidei: contrarium autem illis evenit qui in fide separata sunt, hoc est, in aliquibus veris et non in charitate, amores eorum recipiunt talia quae illis conveniunt, amores nempe sui et mundi quae contraria veris sunt, qualia sunt in infernis.

4777. Discerpendo discerptus est Joseph, quod significet quod a falsis talis ut prorsus non sit, constat ex significatione discerpi, quod sit a falsis dissipari, seu quod idem, a falsis talis ut prorsus non sit; sunt falsa ex malis seu ex cupiditatibus, quae hic intelliguntur, n: 4770: de his videantur quae mox supra n: 4776, dicta sunt.

4778. Et discidit vestes suas, quod significet luctum pro deperdito vero, constat a significatione discindere vestes, quod fuerit repraesentativum luctus pro deperdito vero, de qua supra n: 4763.

4779. Et posuit saccum in lumbis suis, quod significet luctum pro deperdito bono, constat ex significatione ponere saccum super lumbis, quod fuerit repraesentativum pro deperdito bono; lumbi enim significant amorem conjugialem, et inde omnem amorem coelestem et spiritualem, n: 3021. 3294. 4277. 4280. 4575, et hoc ex correspondentia, nam sicut omnia organa, membra, et viscera corporis humani correspondent Maximo Homini, ut ad fines Capitum ostensum, ita lumbi illis in Maximo Homine seu Coelo, qui in genuino amore conjugiali fuerunt; et quia amor conjugialis est fundamentalis omnium amorum, ideo per lumbos in genere significatur omnis amor coelestis et spiritualis; inde rituale hoc, quod ponerent saccum super lumbis, cum lugerent super bonum deperditum; omne enim bonum est amoris. Quod posuerint saccum super lumbis cum testificarentur illum luctum, constare potest ab Historicis et Propheticis Verbi, ut apud Amos „Convertam festa vestra *in luctum*, et omnia cantica vestra in lamentum, *ita ascendere faciam super omnes lumbos saccum*, et super omne caput calvitiem, et ponam eam sicut *luctum* unigeniti, et postrema ejus sicut diem amarum," VIII: 10; [35] ascendere facere super omnes lumbos saccum pro luctu super deperditis bonis, omnes lumbi pro omnibus bonis amoris. Apud Jonam „Crediderunt viri Ninives in Deum, et ideo proclamarunt jejunium, et *induerunt saccos a maximo usque ad minimum:* cumque pervenisset verbum ad Regem Ninives, surrexit de throno suo, et deposuit chlamydem suam desuper se, et *obduxit saccum*, et sedit super cinere; et proclamavit, ut *operirentur saccis homo et bestia,*" III: 5. 6. 8; manifeste quod fuerit signum repraesentativum luctus super malo, propter quod Ninive periret, ita super deperdito bono. Apud Ezechielem „Clamorem edent super te voce sua, et clamabunt amare, et ascendere facient pulverem super capita sua, in cinere volvent se, et inducent sibi super te calvitiem, et *accingent saccos*," XXVII: 30. 31, [36] de Tyro, singula illa repraesentativa luctus pro falsis et malis, ita pro deperditis

veris et bonis fuerunt; clamorem edere et clamare amare pro lamento super falso aut deperdito vero, n: 2240; ascendere facere pulverem super caput pro damnatum esse propter malum, n: 278; in cinere volvere se pro damnatum esse propter falsum; inducere sibi calvitiem pro luctu propter non verum naturali homini, n: 3301 f; accingere saccos pro luctu propter non bonum ei: similiter apud Jeremiam „Filia populi mei, *cinge te sacco*, et volve te in cinere, *luctum* unigeniti fac tibi, *planctum* amaritudinum, quia subito veniet vastator super nos," VI: 26; et alibi apud Eundem „Sedebunt in terra, conticescent seniores filiae Zionis, ascendere facient pulverem super caput suum, *cingent se saccis*, descendere facient in terram caput suum virgines Hierosolymae," Thren: II: 10, hic similia repraesentativa secundum genera boni et veri quae deperdita, ut supra. Apud Esaiam „Propheticum de *Moabo;* ascendet Bajith, et Dibon in excelsa ad fletum, super Nebo et super Medba *Moabus* ejulabit; in omnibus capitibus ejus calvities, omnis barba rasa, *in plateis ejus accinxerunt saccum* super tectis ejus, et in plateis ejus, totus ejulabit, descendens in fletum," XV: 2. 3, [37] Moabus pro illis qui adulterant bona, n: 2468, luctus super adulteratione illa, quae per Moabum significatur, describitur per talia quae malo illius generis correspondent; quapropter similiter paene apud Jeremiam, „Omne Caput calvities, et omnis barba rasa, super omnibus manibus incisiones, *et super lumbis saccus*, super omnibus tectis *Moabi*, et in plateis ejus totus *luctus*," XLVIII: 37. Cum audivit Rex Hiskias blasphemias quas Rabschake contra Hierosolymam loquutus, „discidit vestes suas, *et obtexit se sacco*," Es: XXXVII: 1. II Reg: XIX: 1; quia loquutus contra Jehovam, Regem, et Hierosolymam, inde luctus, quod contra verum significatur per quod disciderit vestes, n: 4763, quod contra bonum per quod obduxerit se sacco; in Verbo enim ubi agitur de vero etiam agitur de bono, ob conjugium coeleste quod est boni et veri ac veri et boni, in singulis, sicut etiam apud Davidem „Convertisti *luctum meum* in choream, *aperuisti saccum meum*, et accinxisti me gaudio," Psalm: XXX: 12, ibi chorea praedicatur de veris, et gaudium de bonis, ut quoque alibi in Verbo, ita aperire saccum pro tollere luctum super deperdito bono. In Libro

II Samuelis „Dixit David ad Joabum, et ad omnem populum qui cum illo, scindite vestes vestras, et *circumcingite saccos*, et plangite ante Abnerum," III: 31; quia facinus commissum contra verum et bonum, ideo mandatum a Davide, ut scinderent vestes et circumcingerent saccos. Similiter quia Achabus contra aequum et justum, in sensu spirituali contra verum et bonum, egerat, cum audivit verba Eliae quod exscinderetur, „rupit vestes suas, *et posuit saccum super carnem suam*, et jejunavit, et *cubuit in sacco*, et incessit lente," I Reg: XXI: 27. Quod saccus praedicetur de deperdito bono, constare etiam potest apud Johannem „Cum aperuit sigillum sextum, ecce terrae motus magnus factus est, *et sol factus est niger sicut saccus*, et luna tota facta est sicut sanguis," Apoc: VI: 12, terrae motus pro mutatione status Ecclesiae quoad bonum et verum, n: 3355, sol pro bono amoris, n: 1529. 1530. 2441. 2495. 4060. 4300. 4696, quapropter de illo deperdito praedicatur saccus; luna pro vero fidei, n: 1529. 1530. 2120. 2495. 4060, de quo praedicatur sanguis, quia sanguis est verum falsificatum et prophanatum, n: 4735. Quia indui sacco et volvere se in cinere, repraesentabat luctum super malis et falsis, etiam repraesentabat humiliationem, et quoque poenitentiam, humiliationis enim primarium est agnoscere quod ex se non nisi quam malum et falsum sit, pariter poenitentiae, quae non fit nisi per humiliationem, et haec per confessionem cordis quod ex se talis sit; quod saccum induere, humiliationis fuerit, videatur I Reg: XXI: 27. 28. 29; quod poenitentiae, Matth: XI: 21. Luc: X: 13; sed quod nihil aliud fuerit quam repraesentativum, ita solummodo externum quod corporis, non autem internum quod cordis, patet apud Esaiam „Num ut incurvet sicut juncus caput suum, et *in sacco et cinere cubet*, num hoc vocabis jejunium, et diem beneplaciti Jehovae; nonne hoc jejunium quod eligo, aperire vincula malitiae, frangere famelico panem," etc. LVIII: 5. 6. 7.

4780. Et luxit super filio suo diebus multis, quod significet statum, nempe luctus pro deperdito bono et vero, constat a repraesentatione Josephi, qui hic est filius, quod sit Divinum Verum, in specie illa de quibus supra n: 4776; et ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493.

893. 2788. 3785; hic status luctus magni, quia dicitur diebus multis.

4781. Et surrexerunt omnes filii ejus, quod significet illos qui in falsis, constat a significatione filiorum, quod sint vera, et in opposito sensu falsa, seu illi qui in veris aut falsis sunt, de qua n: 489. 491. 533. 1147. [38] 2623. 2803. 2813. 3373. 3704; hic qui in falsis, quia per filios Jacobi seu fratres Josephi repraesentantur illi qui in fide separata, ita qui Divinum Verum exstinxerunt, et inde in falsis sunt, ut supra ostensum.

4782. Et omnes filiae ejus, quod significet illos qui in malis, constat a significatione filiarum, quod sint bona, et in opposito sensu mala, seu illi qui in bonis aut malis sunt, de qua n: 489. 490. 491. 568. 2362. 3024. 3963.

4783. Ad consolandum eum, quod significet ut interpretarentur ex sensu literae Verbi, constat ex significatione consolari, quod sit sedare irrequiem animi spe de aliqua re, de qua n: 3610, hic irrequiem seu luctum super deperdito bono et vero, qui luctus quia non sedari potest quam per interpretationes ex Verbo, hic quia agitur de filiis et filiabus Jacobi, per quos significantur illi qui in falsis et malis sunt, n: 4781. [39] 4782, per consolari significantur interpretationes quae fiunt ex sensu literae; sensus enim literae Verbi communia habet, quae sunt sicut vasa, quae impleri possunt veris, et quoque impleri falsis, et sic explicari ad favorem; et quia communia sunt, etiam obscura sunt respective, quibus lux non aliunde est quam ex sensu interno, nam sensus internus est in luce coeli quia est Verbum Angelis, at sensus literae est in luce mundi quia est Verbum hominibus antequam in lucem coeli a Domino perveniunt, a qua tunc illustratio; inde patet, quod sensus literae inserviat simplicibus ad initiationem in sensum internum. Quod Verbum ex sensu literae explicari possit ad favorem per interpretationes, patet manifeste ex eo, quod doctrinalia quaecunque, etiam haeretica, inde confirmentur; sicut pro exemplo dogma de fide separata ex his Domini Verbis, „Adeo dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, *ut omnis qui credit in Ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam,*" Joh: III: 16; ex quibus, et quoque ex aliis locis concludunt, quod sola fides absque operibus sit per quam vita aeterna; et cum sibi id persuaserant,

H

tunc non amplius attendunt ad illa quae Dominus toties loquutus est de amore in Ipsum, deque charitate et operibus, n: 1017. 2373. 3934; ita nec ad illa quae apud Johannem, „Quotquot receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent *credentibus in Nomen Ipsius*, qui *non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, sed ex Deo nati sunt," I: 12. 13; si illis dicitur, quod nemo credere possit in Dominum, nisi qui in charitate est, illico confugiunt ad interpretationes, sicut ad has, quod lex abrogata sit, quod nati sint in peccatis et sic quod bonum ex se facere nequeant, et qui faciunt non aliter possint quam sibi inde meritum vindicare, et quoque haec confirmant ex sensu literae Verbi, sicut ex illis quae in parabola de Pharisaeo et Publicano, Luc: XVIII: 10 ad 14, et ex aliis; cum tamen illa se prorsus aliter habent. Qui in fide separata sunt, etiam nec aliter possunt credere, quam quod unusquisque admitti queat in coelum ex gratia, utcunque vixerat, ita quod non vita sed fides hominem post mortem maneat; etiam hoc confirmant ex sensu literae Verbi, cum tamen ex ipso spirituali sensu Verbi constat, quod Dominus Misericordiam habeat erga unumquemvis, ita si coelum foret ex Misericordia seu gratia utcunque vita fuit unusquisque salvaretur; quod ita credant, qui in fide separata, est quia prorsus non sciunt quid coelum, et hoc quia non sciunt quid charitas; si scirent quantum pacis, gaudii et felicitatis in charitate sit, scirent quid coelum, sed hoc illis prorsus absconditum est. Qui in fide separata sunt, nec aliter credere possunt, quam quod resurrecturi sint cum corpore, et non nisi quam die Judicii, quod etiam confirmant ex pluribus locis Verbi secundum sensum literae explicatis, nihil tunc cogitantes de illis quae Dominus dixerat de Divite et Lazaro, Luc: XVI: 22 ad 31, et quae ad latronem, „Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso," Luc: XXIII: 43, et quae pluries alibi; quod id credant qui in fide separata, est quia si illis diceretur quod corpus non resurrecturum, resurrectionem prorsus negarent, quid enim internus homo non sciunt nec capiunt, nemo enim scire potest quid internus homo et ejus vita post mortem, nisi qui in charitate est, nam haec est interni hominis. Qui in fide separata sunt, non aliter credere possunt, quam quod charitatis opera sint solum dare pauperibus ac opitulari miseris,

quod etiam ex Verbi sensu literae confirmant, cum tamen charitatis opera sunt, facere justum et aequum, quisque in suo officio, ex amore justi et aequi, ac boni et veri. Qui in fide separata sunt, non aliud vident in Verbo, quam quae confirmant sua dogmata, non enim intuitionem interiorem habent, qui enim non in affectione charitatis sunt, non sunt nisi in visu externo, seu in intuitione inferiori, ex hac spectare superiora nequaquam aliquis potest, superiora apparent ei ut tenebrae; inde est, quod falsa videant ut vera, ac vera ut falsa, et sic pascuum bonum perdant et aquas puras sacri fontis seu Verbi per interpretationes ex sensu literae conspurcent, secundum haec apud Ezechielem, „Num parum vobis; pascuum bonum depascitis, et reliquum pascuorum vestrorum conculcatis pedibus vestris; sedimentum aquarum bibitis, reliquas pedibus vestris turbatis; cornibus vestris feritis omnes infirmas, donec disperseritis illas foras," XXXIV: 17. 18. 21.

4784. Et renuit ad consolandum se, quod significet quod non posset, constat ex illis quae nunc dicta sunt.

4785. Quia descendam ad filium meum lugens sepulchrum; quod significet quod Ecclesia Antiqua periret, constat ex repraesentatione Jacobi, qui hoc de se dicit, quod sit Ecclesia Antiqua, de qua supra n: 4680. 4700. 4772; ex repraesentatione Josephi, qui hic est filius meus, quod sit Divinum spirituale, seu Divinum Verum, de qua supra; et ex significatione descendere lugens sepulchrum, quod sit mori, et cum praedicatur de Ecclesia, et quoque de Divino Vero, quod sit perire.

4786. Et flevit eum pater ejus, quod significet luctum interiorem, constat ex significatione flere, quod sit ultimum doloris et tristitiae, ita luctus interior: inter externa per quae repraesentabantur interna, in Ecclesiis antiquis etiam fuit planctus et fletus super mortuos, quibus significabatur luctus interior, tametsi non interior fuit; sicut legitur de Aegyptiis qui cum Josepho profecti sunt ad sepeliendum Jacobum de quo ita „Cum venerunt ad aream Atad, quae in transitu Jordanis, *planxerunt ibi planctum magnum* et *gravem valde*, et *fecit patri suo luctum septem dies:* et vidit habitator terrae Cananaeus luctum in area Atad, et dixerunt, luctus hic est gravis Aegyptiis" Genes: L: 10. 11: et de Davide super Abnerum „Sepeliverunt

Abnerum in Chebrone, et sustulit Rex vocem suam ac *flevit apud sepulchrum* Abneri, et *fleverunt* omnis populus" II Sam: III: 32.

4787. Vers: 36. *Et Midianitae vendiderunt eum ad Aegyptum Potiphari cubiculario Pharaonis, principi satellitum.* Midianitae vendiderunt eum ad Aegyptum, significat illos qui in aliquo vero simplicis boni, quod consulerent scientifica: Potiphari cubiculario Pharaonis, significat interiora scientificorum: principi satellitum, significat illa quae primaria sunt interpretationi.

4788. Midianitae vendiderunt eum ad Aegyptum, quod significet illos qui in aliquo vero simplicis boni quod consulerent scientifica, constat ex repraesentatione Midianitarum, quod sint qui in vero simplicis boni, de qua n: 3242. 4756; ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 2588. 4749; ex significatione vendere, quod sit abalienare, de qua n: 4752. 4758; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum Verum; hoc cum dicitur venditum seu abalienatum ab illis qui in vero simplicis boni ad scientifica, quae sunt Aegyptus, est quod consuluerint illa; qui enim in vero simplicis boni sunt, a fallaciis sensuum se plurimum abduci patiuntur, ita per scientifica, quae ex illis sunt. Supra in Vers: 28 dictum est, quod Josephus extractus sit e fovea a Midianitis, sed quod venditus sit ad Jischmaëlitas, inde videretur quod non ab aliis vendi potuisset in Aegypto, quam a Jischmaëlitis; at quod non [a] Jischmaëlitis sed a Midianitis, est quia per Jischmaëlitas repraesentantur qui in simplici bono, n: 4747, et per Midianitas qui in vero illius boni; Josephus seu Divinum Verum non potuit vendi ab illis qui in bono sunt, sed ab illis qui in vero; qui enim in bono sunt, norunt ex bono quid Divinum verum, non ita qui in vero: homines Ecclesiae distincti sunt in duo genera, nempe in illos qui in bono et in illos qui in vero, illi qui in bono sunt vocantur coelestes, qui autem in vero spirituales, inter illos et hos intercedit multa differentia; qui in bono sunt, in affectione faciendi bonum sunt propter bonum, et hoc absque remuneratione illis; remuneratio est quod liceat facere bonum, nam inde gaudium percipiunt; qui autem in vero sunt, non in affectione faciendi bonum sunt propter bonum sed pro-

pter quod ita mandatum, ac utplurimum cogitant de remuneratione, gaudium illis inde est, et quoque ex gloriatione; inde patet, quod qui bonum faciunt ex bono, ex interna affectione faciant, at qui bonum faciunt ex vero quod ab externa quadam affectione; inde differentia patet, quod nempe illi sint interni homines, hi autem externi; qui itaque interni homines sunt, Divinum Verum, quod per Josephum repraesentatur, non vendere, hoc est, abalienare possunt, quia ex bono appercipiunt verum, inde nec fallaciae sensus, proinde nec scientifica illos abducunt; at qui externi homines sunt, illi vendere seu abalienare possunt, quia non ex bono appercipiunt verum, sed id modo ex doctrina et ex magistris sciunt, illi si consulunt scientifica facile a fallaciis se abduci patiuntur, nam nullum dictamen intus habent: inde nunc est, quod Josephus non a Jischmaëlitis sed a Midianitis venditus sit.

4789. Potiphari cubiculario Pharaonis, quod significet interiora scientificorum, constat ex significatione cubicularii, quod sint interiora, de qua sequitur; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sint scientifica; per Aegyptum enim significantur scientiae in genere, ut n: 1164. 1165. 1186. 1462, ostensum est; similiter per Pharaonem, quod enim in Verbo per terram seu gentem, hoc etiam per Regem ejus, significatur, nam is est caput gentis. Quod sint interiora scientificorum, quae significantur per cubicularium Pharaonis, est quia cubicularii erant ex interioribus Regis, erant enim interiores aulici et eminentiores praefecti, ut quoque patet ex significatione vocis illius in Lingua originali.

4790. Principi satellitum, quod significet illa quae primaria sunt interpretationi, constat ex significatione principis, quod sit primarium, de qua n: 1482. 2089; quod princeps satellitum hic sint primaria interpretationi, est quia agitur de Divino Vero, quod ab illis qui in vero simplicis boni venditum sit per quod consuluerint scientifica, inde aberratio et abalienatio a Divino Vero, et inde interpretationes ex sensu literae Verbi, n: 4783; per satellites etiam significantur illa quae ministrant.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, hic de Correspondentia Gustus et Linguae, et quoque Faciei cum illo.

4791. *Lingua introitum praebet ad pulmones, et quoque ad ventriculum, ita repraesentat sicut atrium ad spiritualia et ad coelestia, ad spiritualia quia ministrat pulmonibus et inde loquelae, ad coelestia quia ministrat ventriculo qui alimenta praebet sanguini et cordi; quod pulmones correspondeant spiritualibus et cor coelestibus, videatur n:* 3635. 3883 *ad* 3896; *quapropter Lingua in genere correspondet affectioni veri, seu illis in Maximo Homine qui in affectione veri sunt, et postmodum in affectione boni ex vero: qui itaque amant Verbum Domini, et inde desiderant cognitiones veri et boni, illi ad provinciam illam pertinent; sed cum differentia, quod sint qui ad ipsam linguam, qui ad laryngem et tracheam, qui ad guttura, etiam qui ad gingivas, tum qui ad labra; nam ne quidem minimum apud hominem datur, cum quo non est correspondentia. Quod illi qui in affectione veri sunt, ad provinciam illam in lato sensu intellectam pertineant, pluries datum est experiri, et hoc per manifestum influxum nunc in linguam, et nunc in labra, cum quibus etiam loqui datum est; et observatum, quod etiam quidam interioribus linguae et labrorum correspondeant, et quidam exterioribus; qui exteriora vera cum affectione solum recipiunt, non autem interiora, at haec tamen non rejiciunt, illorum operationem sensi non in linguae interiora sed in exteriora.*

4792. *Quia Cibus et nutritio correspondet cibo et nutritioni spirituali, inde Gustus correspondet perceptioni et affectioni ejus: cibus spiritualis est scientia, intelligentia et sapientia; ex his enim vivunt, et ex his quoque nutriuntur spiritus et angeli, et desiderant et appetunt illa, sicut homines, qui famelici, cibum; inde appetitus correspondet illi desiderio. Et quod mirum, ex illo cibo etiam adolescunt; infantes enim, qui decedunt, in altera vita non aliter quam infantes apparent, et sunt quoque infantes quoad intellectum, sed sicut intelligentia ac sapientia crescunt, ita apparent non ut infantes, sed sicut*

provecti aetate, et tandem sicut adulti; loquutus sum cum quibusdam qui infantes mortui sunt, qui sicut juvenes mihi visi, quia tunc intelligentes. Inde patet, quid cibus et nutritio spiritualis.

4793. *Quia gustus correspondet perceptioni et affectioni sciendi, intelligendi et sapiendi, et in illa affectione est vita hominis, idcirco non permittitur alicui spiritui et angelo influere in gustum hominis, nam hoc foret in vitam quae ei propria est. Sunt usque spiritus vagabundi ex infernali turba prae aliis perniciosi, qui quia in vita corporis imbuerunt intrare in affectiones hominis nocendi causa, etiam in altera vita cupiditatem illam retinent, et omni modo student intrare in gustum apud hominem, in quem cum intrarunt, possident interiora ejus, nempe vitam ejus cogitationum et affectionum, nam, ut dictum, correspondent, et quae correspondent unum agunt; ab illis perplures hodie possidentur; sunt enim hodie obsessiones interiores, non autem, ut olim, exteriores; obsessiones interiores a talibus fiunt; et quales sunt, constare potest si attendatur ad cogitationes et affectiones, praecipue ad intentiones interiores quas manifestare timent,* [40] *quae in tantum apud quosdam insaniunt, ut nisi coërcerentur vinculis externis, quae sunt honor, lucrum, fama, timor vitae, et legis, ruerent plus quam obsessi in neces et rapinas; quinam et quales illi spiritus sunt, qui obsident interiora hominum talium, videatur n:* 1983. *Ut scirem quomodo hoc se haberet, permissum fuit illis, ut conarentur intrare in gustum apud me, quod etiam summo studio connitebantur, et tunc dictum mihi, si usque in gustum penetrarent, quod etiam interiora possiderent, ex causa quia gustus ab interioribus illis per correspondentiam dependet; sed hoc permissum fuit solum ob finem, ut scirem quomodo cum correspondentia gustus se haberet; actutum enim inde abacti sunt. Perniciosi illi spiritus id imprimis tentant, ut solvant omnia vincula interna, quae sunt affectiones boni et veri, justi et aequi, timor legis Divinae, pudor nocendi societati et patriae; quae vincula interna cum soluta sunt, tunc homo a talibus obsidetur: cum non possunt sic inferre se in interiora per obstinationem, tentant per artes magicas, quae plures sunt in altera vita in mundo prorsus ignotae, per has scientifica apud*

hominem pervertunt, et modo applicant illa quae foedis cupiditatibus favent: obsidiones tales non possunt evitari, nisi homo in affectione boni est, et inde in fide in Dominum. Ostensum quoque, quomodo abigerentur, nempe cum versus interiora capitis et cerebri se penetrare putabant, deferebantur per vias excrementitias ibi, et inde versus cutis externa; et visi sunt quod dein conjicerentur in scrobem sordibus solutis scatentem; informatus sum, quod tales spiritus correspondeant cavernulis sordidis in extima cute ubi scabies, ita scabiei.

4794. *Spiritus, seu homo post mortem, omnes sensationes habet quas dum vixit in mundo, nempe Visum, Auditum, Olfactum, et Tactum, non autem Gustum, sed loco ejus aliquod analogon quod adjunctum est odoratui. Quod non gustum habeat, est ne possit intrare in gustum hominis, et sic ejus interiora possidere; tum ne ille sensus amoveret illum a desiderio sciendi et sapiendi, ita ab appetitu spirituali.*

4795. *Ex his etiam constare potest, cur Lingua gemino muneri dicata sit, nempe muneri inserviendi loquelae, et inserviendi nutritioni; quatenus enim inservit nutritioni, correspondet affectioni sciendi, intelligendi, et sapiendi vera, quapropter etiam sapientia seu sapere dicta est a sapore; et quatenus loquelae, correspondet affectioni cogitandi et producendi illa.*

4796. *Cum Angeli se visibiles sistunt, apparent omnes affectiones interiores eorum clare ex facie, et inde elucent, sic ut facies sit illarum forma externa et imago repraesentativa; aliam faciem habere quam affectionum suarum, non datur in coelo; qui aliam faciem mentiuntur, illi ejiciuntur e societate; inde patet, quod facies correspondeat interioribus in genere omnibus, tam ejus affectionibus quam cogitationibus, seu quae sunt voluntatis et quae sunt intellectus apud hominem: inde etiam in Verbo per faciem et facies significantur affectiones; et per quod Dominus elevet facies super aliquem, quod ex Divina Affectione, quae est Amoris, ejus misereatur.*

4797. *Mutationes status affectionum in facie Angelorum etiam ad vivum apparent; cum in sua societate sunt, tunc in sua facie sunt, at cum in aliam societatem veniunt, tunc secundum affectiones boni et veri illius societatis mutantur fa-*

cies illorum, at usque genuina facies est sicut planum, quae in mutationibus illis cognoscitur: variationes vidi successivas secundum affectiones societatum cum quibus communicabant; nam unusquisque Angelus est in provincia quadam Maximi Hominis, et sic communiter et late communicat cum omnibus qui in eadem provincia, tametsi is in parte istius provinciae est, cui is proprie correspondet. Vidi quod facies suas variarent per mutationes ab uno limite affectionis ad alterum, sed observatum, quod usque eadem facies in genere retineretur, sic ut eluceret semper affectio dominans cum ejus variationibus; ita ostensae sunt facies totius affectionis in sua extensione. Et quod mirabilius, etiam ostensae sunt mutationes affectionum ab infantia usque ad adultam aetatem per variationes faciei; et dabatur cognoscere in hac aetate quantum infantiae retinuerat, et quod haec esset ipsum ejus humanum; apud infantem enim est innocentia in externa forma, et innocentia est ipsum humanum, in illam enim ut in planum influit amor et charitas a Domino; cum regeneratur homo, et fit sapiens, tunc innocentia infantiae quae fuit externa, fit interna; inde est quod genuina sapientia non in alia aede quam in innocentia habitet, n: 2305. 2306. 3183. 3994; *tum quod nemo, nisi qui aliquid innocentiae habet, intrare possit in coelum, secundum Domini verba « Nisi fiatis sicut infantes, non ingrediemini in Regnum coelorum,»* Matth: XVIII: 3. Marc: X: 15.

4798. *Ex faciebus etiam cognosci possunt spiritus mali, nam omnes eorum cupiditates seu affectiones malae faciebus eorum inscriptae sunt; et quoque cognosci possunt ex faciebus, cum quibus infernis communicant; inferna enim sunt perplura, omnia distincta secundum cupiditatum mali genera et species: in genere facies eorum cum apparent ad lucem coeli, sunt paene absque vita, luridae quasi cadaverum, quorundam nigrae, et quorundam monstrosae; sunt enim formae odii, crudelitatis, doli, hypocriseos; at in suo lumine inter se, ex phantasia aliter apparent.*

4799. *Erant Spiritus apud me ex alio orbe, de quo alibi, quorum facies erat diversa a faciebus hominum nostri orbis, erat prominens, imprimis circum labra, et praeterea libera; cum illis loquutus sum de more illorum vivendi, et sta-*

tu conversationis inter se, dicebant quod inter se imprimis loquuti sint per faciei variationes, praecipue per variationes circum labra, et quod affectiones expresserint per illa quae faciei sunt circum oculos, ita ut socii eorum inde plene comprehendere potuerint tam quid cogitarent quam quid vellent; hoc quoque ostendere mihi conabantur per influxum in mea labra, per varias plicationes et sinuationes circumcirca illa; sed variationes non potui recipere, quia labra mea ab infantia talibus non initiata fuerant, at usque appercipere potui quid loquuti per communicationem cogitationis eorum: quod autem per labra exprimi possit loquela in communi, constare mihi potest ex multiplicibus muscularium fibrarum seriebus inter se complicatis quae in labris sunt, quae si evolverentur, et sic explicate et libere agerent, potuissent ibi sisti plures variationes, quae ignotae sunt illis, apud quos fibrae illae musculares jacent compressae. Quod talis eorum loquela ibi esset, est inde, quia simulare nequeunt, seu aliud cogitare et aliud facie ostendere; in tali enim sincero inter se vivunt, ut nihil quicquam abscondant a sociis, quin illico sciant quid cogitant, quid volunt, tum quales sunt, et quoque quid patraverant, actus enim perpetrati apud illos qui in sincero sunt, insunt conscientiae, inde ab aliis ad primum aspectum possunt discriminari quoad vultus interiores seu animos. Ostenderunt mihi, quod faciem non cogant, sed libere emittant; aliter ac apud illos, qui a juventute assuefacti sunt simulare, nempe aliud loqui et agere, quam cogitare et velle, horum facies contrahitur, ut parata sit ad se variandum prout calliditas suadet; quicquid recondere vult homo hoc contrahit faciem ejus, quae ex contracto exporrigitur, cum quasi sincerum quid mentito depromitur. Cum legerem in Verbo Novi Testamenti de Domino, aderant spiritus illi, et quoque aderant quidam Christiani, et perceptum quod hi scandala contra Dominum intus in se foverent, et quoque quod tacite illa communicare vellent; illi, qui ex alio orbe, mirati quod tales essent, sed dicere illis datum est, quod in mundo tales non fuerint ore sed corde, et quod etiam dentur qui Dominum praedicant etiamsi tales, et tunc commovent vulgus ad gemitus et quandoque ad lachrymas ex fictae pietatis zelo, ne hilum com-

municantes illa quae cordis eorum sunt: ad haec obstupuerunt illi, quod tale dissidium interiorum et exteriorum, seu cogitationis et loquelae dari possit, dicentes quod ii prorsus nesciant de tali dissidio, quodque impossibile illis sit aliud ore loqui et facie ostendere, quam secundum cordis affectiones, et quod si aliter, disrumperentur et perirent.

4800. *Paucissimi credere possunt, quod spirituum et angelorum societates sint, quibus correspondent singula apud hominem, tum quo plures societates sunt, ac quo plures in societate, quod eo melior et fortior correspondentia, in multitudine enim unanima est fortitudo: ut scirem quod ita sit, ostensum est, quomodo agunt et influunt in faciem, quomodo in musculos frontis, inque genarum, tum menti et juguli; dabatur illis qui ad illam provinciam pertinebant, influere, et tunc secundum illorum influxum singula variabantur; quidam eorum etiam mecum loquebantur; sed illi non sciebant quod dicati essent provinciae facici, nam cui provinciae dicati sunt, latet spiritus, non autem angelos.*

4801. *Quidam mecum loquutus est, qui tempore cum vixit in mundo, exteriora vera fidei prae aliis sciverat, sed usque non vitam fidei praeceptis conformem egerat, se enim solum amaverat, et alios prae se contempserat, credideratque quod inter primos futurus in coelo; sed quia talis, non aliam opinionem de coelo habere potuerat, quam sicut de regno mundano: is cum in altera vita comperit, quod coelum prorsus aliud esset, et quod illi primarii essent, qui se non praetulerant aliis, imprimis qui se non dignos misericordia crediderant, et sic ex merito ultimos esse, indignatus est valde, et illa quae fidei ejus fuerunt in vita corporis, rejecit: is continue violentiam inferre illis conabatur, qui ex provincia Linguae erant; conatum illius per plures septimanas etiam persentiscere dabatur, et inde quoque scire quinam et quales sunt qui Linguae correspondent, et quinam qui eis oppositi sunt.*

4802. *Sunt etiam tales spiritus, qui quodammodo admittunt lucem coeli, ac recipiunt vera fidei, et usque mali sunt, sic ut aliquam perceptionem veri habeant; et quoque vera cupide recipiunt, sed non ob finem, ut vivant secundum illa, at ut glorientur inde quod prae aliis intelligentes et lyncei videan-*

tur; intellectuale enim hominis tale est, ut recipere possit vera, sed usque vera illis non appropriantur, nisi vivant secundum illa; nisi tale foret intellectuale hominis, non potuisset reformari. Qui tales fuerunt in mundo, quod nempe intellexerint vera et tamen vixerint vitam mali, etiam tales sunt in altera vita, sed ibi facultate sua intelligendi vera abutuntur ad dominandum; sciunt enim ibi, quod per vera communicationem habeant cum aliquibus societatibus coeli, consequenter quod apud malos esse possint, et valere, nam vera in altera vita potentiam secum habent; sed quia vita mali illis, in inferno sunt. Cum binis qui tales fuerunt in vita corporis loquutus sum, qui mirati quod in inferno essent, cum tamen persuasive crediderint vera fidei; sed illis dictum est, quod lux apud illos, per quam intelligunt vera, sit [41] *lux qualis hyemis in mundo, in qua objecta cum sua pulchritudine et cum suis coloribus aeque apparent, sicut in luce aestatis, sed usque in luce illa torpent omnia, et nihil amoeni et laeti sistitur: et quia finis intelligendi vera fuerat gloriatio et inde propter se, quod sphaera finium illorum, cum exaltat se versus interiores coelos ad angelos ibi, a quibus unice fines percipiuntur, non sufferri possit, sed quod rejiciatur, inde est quod in inferno essent: addebatur, quod tales olim prae reliquis dicti fuerint serpentes arboris scientiae, quia cum ratiocinantur ex vita, tunc loquuntur contra vera: et praeterea quod similes sint foeminae quae venusta facie est, et tamen graveolenter foetet, quae ideo rejicitur ubicunque venit e societatibus; etiam tales in altera vita cum veniunt ad societates angelicas, actualiter foetent, quod etiam ipsi sentiunt cum ad illas approximant. Inde quoque constare potest, quid fides absque vita fidei.*

4803. *Memoratu dignum est, quod prorsus ignotum in mundo, nempe quod spirituum bonorum et angelorum status continue mutentur et perficiantur, et quod sic evehantur in interiora provinciae in qua sunt, ita in nobiliores functiones; est enim in coelo continua purificatio, ac ut ita dicatur, nova creatio; sed usque ita se res habet, quod nusquam aliquis angelus ad absolutam perfectionem pervenire possit in aeternum, Dominus solus est perfectus, in Ipso et ex Ipso est omnis perfectio. Qui correspondent Ori, continue volunt loqui, nam in*

loquendo summum voluptatis captant; cum illi perficiuntur, rediguntur ad id, ut non aliud loquantur quam quod conducit sociis, communi, coelo, Domino; augetur apud illos jucundum ita loquendi in tantum, in quantum perit cupido se spectandi in loquela, et ambiendi sapientiam ex proprio.

4804. *Sunt perplures societates in altera vita, quae amicitiae societates vocantur, constituuntur ab illis qui in vita corporis jucundum conversationis praetulerunt omni alii jucundo, et qui amaverunt illos cum quibus conversati sunt, nihil curantes num boni aut mali fuerint, modo delectabiles, ita non amici fuerunt bono nec vero. Qui tales fuerunt in vita corporis, tales etiam sunt in altera vita, adjungunt se ex sola delectatione conversationis: plures tales societates apud me fuerunt, sed ad distantiam, visae imprimis paulum ad dextrum supra caput; quod adessent animadvertere datum per torporem et hebetudinem, et per privationem jucundi in quo essem, praesentia enim talium societatum illa inducit; ubi enim veniunt, auferunt jucundum aliis, et quod mirum, illud sibi appropriant, avertunt enim spiritus qui apud alios, et ad se convertunt, inde jucundum alterius transferunt ad se, et quia inde molestae et damnosae sunt illis qui in bono, ideo a Domino arcentur ne ad coelestes societates prope veniant: inde scire datum, quantum damni quoad spiritualem vitam infert homini amicitia, si spectatur persona non bonum; quisque quidem amicus potest esse alteri, sed usque amicissimus erit bono.*

4805. *Sunt etiam societates interioris amicitiae, quae non jucundum externum alterius auferunt et ad se derivant, sed jucundum internum seu beatum ejus ex affectione spiritualium; illi antrorsum sunt ad dextrum prope super terram inferiorem, et quidam eorum supra aliquantum; cum illis qui infra erant, aliquoties loquutus sum, et tunc illi qui supra influebant in communi: illi fuerunt tales in vita corporis, quod amaverint ex corde illos qui intra communem eorum consociationem fuerunt, et quoque fraternitate se mutuo amplexi: crediderant se solos vivos et in luce, et qui extra eorum societatem respective quasi non vivos et non in luce; et quia tales, etiam putarunt quod coelum Domini solum esset ex paucis illis; sed dicere eis datum est, quod Coelum Domini sit immensum, et quod con-*

sistat ex omni populo et lingua, et quod ibi sint omnes qui in bono amoris et fidei fuerunt, et ostensum quod sint in coelo qui referunt omnes provincias corporis quoad ejus exteriora et interiora; at si illi ultra aspirarent quam ad illa quae correspondent illorum vitae, quod non possent habere coelum; cumprimis si damnarent alios qui extra eorum societatem; et quod tunc societas eorum sit societas interioris amicitiae, quae talis, ut dictum, ut alios deprivent beato affectionis spiritualis quando ad illos appropinquant, spectant enim illos sicut non electos, et sicut non vivos, quae cogitatio communicata inducit triste, quod tamen secundum legem ordinis in altera vita, ad illos redit.

4806. *Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

4807. Ante Caput praecedens n: 4661. 4662. 4663. 4664, inceptum est explicare, quae Dominus apud Matthaeum Cap: XXV: a Versu 31 ad fin: loquutus est de judicio super bonos et malos, qui ibi vocantur oves et hirci; quis sensus internus illorum verborum est, nondum explicatum est, sed nunc ante hoc et aliquot sequentia Capita, explicandum venit; et inde constabit, quod per ultimum judicium ibi non intellectum sit ultimum tempus mundi, et quod tunc primum résurgent mortui, et congregabuntur coram Domino, et judicabuntur, sed quod intellectum sit ultimum tempus cujusvis qui e mundo in alteram vitam transit, tunc enim est judicium ejus; hoc judicium est quod intelligitur. At quod ita sit, non apparet ex sensu literae, sed ex sensu interno; quod Dominus ita loquutus sit, est quia per repraesentativa et significativa loquutus est, sicut ubivis alibi in Verbo Veteris et Novi Testamenti; loqui enim per repraesentativa et significativa, est loqui simul coram mundo et coram coelo, seu coram hominibus et coram angelis; talis loquela est Divina, quia universalis, et inde est propria Verbi: quapropter qui in mundo sunt, et non nisi quam mundana curant, non aliud ex his quae Dominus de Ultimo judicio loquutus est, capiunt, quam quod resurrectionis tempus simul erit omnibus, imo quod Dominus tunc sedebit super throno gloriae, et dicet ad congregatos secundum verba ibi; at qui coelestia curant, illi sciunt, quod tempus resurrectionis sit cuivis cum moritur, et quod Domini verba ibi involvant, quod unusquisque secundum vitam judicabitur, ita quod unusquisque judicium secum ferat, quia vitam.

4808. Quod sensus internus illorum verborum id involvat, constabit [ab] explicatione singulorum secundum illum sensum; sed hic solum explicanda sunt quae ibi continentur in Versibus 31. 32. 33, nempe haec, „*Quando venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti angeli cum Ipso, tunc sedebit super throno gloriae Ipsius, et congregabuntur coram Ipso omnes gentes: et separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves ab hircis; et statuet quidem Oves a dextris suis, et hircos a sinistris.*"

4809. *Quando venerit Filius hominis in gloria sua*, significat quando apparebit Divinum Verum in sua luce, quod fit unicuivis homini cum moritur, venit enim tunc in lucem coeli, in qua percipere potest quid verum et bonum, et inde qualis est: Filius hominis in sensu Verbi interno est Dominus quoad Divinum Verum, ita est Divinum Verum quod a Domino; gloria est intelligentia et sapientia quae inde, quae ut lux, et coram Angelis ut splendor lucis, apparet; hic splendor lucis in qua sapientia et intelligentia ex Divino Vero quod a Domino, est qui in Verbo vocatur gloria; quod Filius hominis sit in sensu interno Divinum Verum, videatur n: 2159. 2803. 2813. 3704. *Et omnes sancti Angeli cum Ipso,* significat coelum angelicum; sancti Angeli sunt vera quae a Divino Bono Domini, nam per Angelos in Verbo non intelliguntur Angeli, sed illa quae sunt a Domino, videatur n: 1925. 4085; angeli enim sunt vitae recipientes veri procedentis a Divino Bono Domini, et quantum recipiunt, tantum sunt angeli; inde patet, quod Angeli sint illa vera: hic quia agitur de statu cujusvis post mortem, ac de judicio cujusvis secundum vitam, dicitur quod omnes sancti angeli erunt cum Ipso, et per id significatur, quod per coelum judicium; omnis enim influxus Divini Veri fit per coelum; immediatus influxus a nemine recipi potest. *Tunc sedebit super throno gloriae Ipsius*, significat judicium, thronus enim praedicatur de Regio Domini, ac Regium Domini est Divinum Verum, n: 1728. 2015. 3009. 3670, et Divinum Verum est ex quo et secundum quod judicium. *Et congregabuntur coram Ipso omnes gentes*, significat quod patebunt omnium bona et mala; per gentes enim in Verbi sensu interno significantur bona, et in opposito sensu mala, n: 1259. 1260. 1416. 2588 f. 4574:

ita quod bona et mala apparebunt in luce Divina, hoc est, in luce a Divino vero, significatur per quod congregabuntur coram Ipso omnes gentes. *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves ab hircis,* significat separationem boni a malo, oves enim sunt qui in bono, et hirci qui in malo, oves proprie dicuntur qui in charitate et inde in fide, hirci qui in fide et non in charitate, de his et illis hic agitur; quod oves sint qui in charitate et inde in fide, videatur n: 2088. 4169; et quod hirci qui in fide et non in charitate, n: 4769. *Et statuet quidem oves a dextris suis, et hircos a sinistris,* significat separationem secundum vera ex bono, et secundum falsa ex malo; qui in veris ex bono sunt, etiam actualiter apparent in altera vita ad dextrum, et qui in falsis a malo ad sinistrum; inde statui a dextris et a sinistris, est ordinari secundum vitam.

4810. Ex his patet, quid haec verba Domini involvunt, et quod non secundum literam intelligenda sint, nempe quod Dominus aliquo ultimo tempore venturus sit in gloria, et tunc omnes sancti angeli cum Ipso, et sessurus super throno gloriae, et congregatas coram Ipso omnes gentes judicaturus; sed quod unusquisque secundum vitam suam, cum transit e vita in mundo in vitam aeternam, judicabitur.

CAPUT XXXVIII.

1. Et factum in tempore hoc, et descendit Jehudah ex fratribus suis, et declinavit usque ad virum Adullamitam, et nomen ejus Chirah.

2. Et vidit ibi Jehudah filiam viri Canaanitae, et nomen ejus Schua, [1] et accepit illam et venit ad illam.

3. Et concepit et peperit filium, et vocavit nomen ejus Er.

4. Et concepit adhuc, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Onan.

5. Et addidit adhuc, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Schelah; et fuit in Kesib in parere illam eum.

6. Et accepit Jehudah mulierem Ero primogenito suo, et nomen illius Thamar.

7. Et fuit Er primogenitus Jehudae malus in oculis Jehovae, et mori fecit eum Jehovah.

8. Et dixit Jehudah ad Onan, veni ad uxorem fratris tui, et leviratum praesta illi, et excita semen fratri tuo.

9. Et novit Onan, quod non sibi esset semen, et fuit, cum venit ad uxorem fratris sui, et perdidit ad terram, ut non daret semen fratri suo.

10. Et fuit malum in oculis Jehovae quod fecit, et mori fecit etiam eum.

11. Et dixit Jehudah Thamari nurui suae, mane vidua domo patris tui, usque adolescit Schelah filius meus, quia dixit, forte moriatur etiam hic sicut fratres ejus; et ivit Thamar, et mansit domo patris sui.

12. Et multiplicati dies, et moriebatur filia Schuae uxor Jehudae, et consolatus Jehudah, et ascendit ad tonsores gregis sui, is et Chirach socius ejus Adullamita, Thimnatam.

13. Et indicatum Thamari, dicendo, ecce socer tuus ascendit Thimnatam ad tondendum gregem suum.

14. Et removit vestes viduitatis suae a super se, et obtexit in peplo, et operuit se, et sedit in ostio fontium, qui super via Thimnatam; quia vidit quod adolevit Schelah, et illa non data ei in mulierem.

15. Et vidit illam Jehudah, et reputabat illam meretricem, quia obtexit facies suas.

16. Et declinavit ad illam ad viam, et dixit, da quaeso veniam ad te; quia non novit quod nurus ejus illa, et dixit, quid das mihi quod venias ad me.

17. Et dixit, ego mittam haedum caprarum de grege, et dixit, si des arrhabonem, usque ad mittere te.

18. Et dixit, quae arrhabo quam dabo tibi, et dixit, sigillum tuum, panniculum tuum, et baculum tuum qui in manu tua, et dedit illi, et venit ad illam, et concepit ei.

19. Et surrexit, et ivit, et removit peplum suum a super se, et induit vestes viduitatis suae.

20. Et misit Jehudah haedum caprarum in manu socii sui Adullamitae, ad accipiendum arrhabonem e manu mulieris, et non invenit illam.

21. Et interrogavit viros loci illius, dicendo, ubi scor-

tum illud in fontibus super via, et dixerunt, non fuit ibi scortum.

22. Et reversus ad Jehudam, et dixit, non inveni illam, et etiam viri loci dixerunt, non fuit ibi scortum.

23. Et dixit Jehudah, accipiat sibi, forte erimus contemtui, ecce misi haedum hunc, et tu non invenisti illam.

24. Et fuit, circiter a tribus mensibus, et indicatum Jehudae, dicendo, scortata Thamar nurus tua, et etiam ecce gravida ad scortationes, et dixit Jehudah, educite illam, et comburatur.

25. Illa educta, et illa misit ad socerum suum, dicendo, viro, cui haec, ego gravida, et dixit, agnosce quaeso, cui sigillum, et panniculus, et baculus, haec.

26. Et agnovit Jehudah, et dixit, justa prae me, quia propterea quod non dedi illam Schelae filio meo; et non addidit amplius cognoscere illam.

27. Et factum in tempore parere illam, et ecce gemini in utero illius.

28. Et factum in parere illam, et dedit manum, et accepit obstetrix et ligavit super manu ejus dibaphum, dicendo, hic exivit prius.

29. Et factum, sicut reducit manum suam, et ecce exivit frater ejus, et dixit, quid rupisti super te rupturam, et vocavit nomen ejus Perez.

30. Et postea exivit frater ejus, cujus super manu dibaphum, et vocavit nomen ejus Serach.

CONTENTA.

4811. Agitur in sensu interno in hoc Capite de Ecclesia Judaica, et de Ecclesia genuina; Ecclesia Judaica describitur per Jehudam, et Ecclesia genuina per Thamarem.

4812. Filii ex Thamare significant bina essentialia Ecclesiae, nempe Fidem et Amorem, Perez fidem, et Serach amorem: nativitas eorum repraesentat, quod amor actualiter primogenitus Ecclesiae sit, et quod fides modo apparenter.

SENSUS INTERNUS.

4813. Vers: 1. 2. 3. 4. 5. *Et factum in tempore hoc, et descendit Jehudah ex fratribus suis, et declinavit usque ad virum Adullamitam, et nomen ejus Chirah. Et vidit ibi Jehudah filiam viri Canaanitae, et nomen ejus Schua; et accepit illam, et venit ad illam. Et concepit et peperit filium, et vocavit nomen ejus Er. Et concepit adhuc, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Onan. Et addidit adhuc, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Schelah; et fuit in Kesib in parere illam eum.* Factum in tempore hoc, significat statum sequentium: et descendit Jehudah ex fratribus suis, significat posteritatem Jacobi, in specie Jehudae tribum quae separata a reliquis: et declinavit usque ad virum Adullamitam, significat ad falsum: et nomen ejus Chirah, significat quale ejus: et vidit ibi Jehudah filiam viri Canaanitae, significat affectionem mali ex falso mali: et nomen ejus Schua, significat quale: et accepit illam et venit ad illam, significat quod tribus Jehudae conjungeret se illis: et concepit et peperit filium, significat quod inde falsum Ecclesiae: et vocavit nomen ejus Er, significat quale ejus: et concepit adhuc et peperit filium, significat malum: et vocavit nomen ejus Onan, significat quale: et addidit adhuc, et peperit filium, significat idololatricum: et vocavit nomen ejus Schelah, significat quale: et fuit in Kesib in parere illam eum, significat statum.

4814. Et factum in tempore hoc, quod significet statum sequentium, constat ex significatione temporis, quod sit status, de qua n: 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3404. 3938; quod sit status sequentium, significatur per quod dicatur „*factum* in tempore hoc," memoratur enim quid factum in sequentibus; sequentia etiam in serie, fluunt ab illis quae antecedunt; actum enim in Capite praecedente est de filiis Jacobi, quod vendiderint Josephum, et quod Jehudah ad id suaserit; de quo in Cap: praeced: ita „Dixit Jehudah ad fratres suos, *quid lucri* quod occidamus fratrem nostrum, et obtegamus sanguinem ejus, ite et *vendamus eum* Jischmaëlitis," Vers: 26. 27, per quae significatum, quod abalienaverint Divinum Verum, imprimis Jehudah, per quem ibi in sensu proximo significatur tribus Jehudae,

et in genere pravi in Ecclesia qui contra bonum quodcumque, videatur n: 4750. 4751; hoc spectatur per quod dicitur in *tempore hoc;* nunc enim de Jehudah agitur, et de ejus filiis ex muliere Canaanitide, et dein ex Thamare nuru sua; et per illa in sensu interno describitur tribus Jehudae respective ad illa quae sunt Ecclesiae apud illam institutae. Quod per tempus significetur status, ac inde per, factum in tempore hoc, status sequentium, non potest non apparere sicut alienum, causa est, quia non comprehendi potest, quomodo notio temporis mutari potest in notionem status, seu cum tempus legitur in Verbo quod intelligendum sit tale quod est status, sed sciendum quod cogitationes angelorum non ducant aliquid a tempore nec a spatio, quia in coelo sunt; cum enim reliquerunt mundum, etiam reliquerunt notionem temporis et spatii, ac induerunt notiones status, nempe status boni et veri; quapropter cum homo legit Verbum, et inde cogitat de tempore et de illis quae temporis sunt, angeli apud eum non percipiunt aliquid temporis, sed loco ejus illa quae sunt status; correspondent etiam: imo nec homo in interiore cogitatione percipit tempus, sed in exteriore, ut constare potest a statu hominis cum ejus exterior cogitatio sopita est, hoc est, cum dormit; et quoque a pluri alia experientia. Sed sciendum, quod in genere bini status sint, nempe status boni et veri, ille status vocatur status esse, hic autem status existere; esse enim est boni, et inde existere est veri; statui esse correspondet spatium, et statui existere tempus; inde constare potest, quod cum homo legit hoc „ et factum in tempore hoc, " angeli apud eum nequaquam percipere possint illa verba sicut homo; similiter in reliquis; quicquid enim in Verbo scriptum est, hoc tale est, ut in correspondentem sensum vertatur apud Angelos, qui sensus prorsus non apparet in sensu literae, mundanum enim quod est sensus literae vertitur in spirituale quod est sensus interni.

4815. Et descendit Jehudah ex fratribus suis, quod significet posteritatem Jacobi, in specie Jehudae tribum, quae separata a reliquis, constat ex repraesentatione Jehudae, quod sit in universali sensu posteritas Jacobi, et in speciali tribus quae Judae dicta est; et a significatione descendere ex fratribus, quod sit separari a reliquis tribubus, hic abire in pejus quam illi, de-

scendere enim involvit dejectionem ad malum, nam ascendere involvit elevationem ad bonum, n: 3084. 4539; causa est, de qua etiam prius, quia terra Canaan repraesentabat Regnum Domini, ac ibi Hierosolyma et Zion intimum ejus; at quae extra terminos illius terrae erant, repraesentabant illa quae extra Regnum Domini, quae sunt falsum et malum; ideo a Zione et Hierosolyma versus terminos dicebatur descendere, at a terminis ad Hierosolymam et Zionem, ascendere; inde est, quod ascendere involvat elevationem ad verum et bonum, et descendere dejectionem ad falsum et malum; quia hic de falso et malo, ad quae se dejecit tribus Jehudae, agitur, dicitur quod Jehudah descendit, et porro quod declinavit ad virum Adullamitam, et per declinare significatur quod ad falsum, et dein ad malum. Quod Tribus Jehudae separata sit a reliquis tribubus notum est, causa erat ut illa Tribus repraesentaret coeleste Regnum Domini, at reliquae Tribus spirituale Regnum Ipsius; ideo etiam Jehudah in sensu repraesentativo est coelestis homo, et in universali Regnum coeleste Domini, n: 3654. 3881; atque reliquae Tribus vocatae sunt una voce Israëlitae, Israël enim in sensu repraesentativo est spiritualis homo, et in universali Regnum spirituale Domini, n: 3654. 4286. Quod Tribus Jehudae abiverit in pejus quam reliquae, in specie significatur per haec verba „ et descendit Jehudah ex fratribus suis, et declinavit:" quod Tribus Jehudae abiverit in pejus quam reliquae, constat ex pluribus locis in Verbo, imprimis apud Prophetas; ut apud Jeremiam „ Vidit *perfida* soror ejus *Jehudah*, cum propter omnes modos, quibus moechata est *aversa Israël*, dimiserim illam, et dederim libellum repudii ejus ei, non tamen timuit sibi *perfida Jehudah* soror ejus, sed abivit et scortata est etiam illa, adeo ut a voce scortationis ejus profanata sit terra; moechata est cum lapide et ligno; in omnibus tamen his non reversa est *perfida* ad Me *Jehudah; justificavit animam suam aversa Israël prae perfida Jehudah*," III: 7 ad 11: et apud Ezechielem „ Vidit quidem soror ejus, attamen *corrupit amorem suum plus quam illa*, et *scortationes suas supra scortationes sororis suae*," XXIII: 11 seq: ad fin: ibi de Hierosolyma et Samaria, seu de Tribu Jehudae, et de Tribubus [2] Israëlis; praeter alibi pluries. Describitur in sensu interno Tribus illa, quomodo lapsa

in falsum, et inde in malum, et tandem in mere idololatricum: hoc quidem describitur in sensu interno antequam Tribus illa separata fuit a reliquis, et antequam ita facta est; sed quod in sensu interno est, Divinum est, ac Divino futura sunt praesentia; videantur quae de illa gente praedicta sunt Deut: Cap: XXXII: 16 ad 22. Cap: XXXIII: 15 ad 44.

4816. Et declinavit ad virum Adullamitam, quod significet ad falsum, constat a significatione declinare, quod sit in perversum abire, declinare enim sicut descendere praedicatur de elongatione a bono ad malum et a vero ad falsum; a significatione viri, quod sit intelligens et in sensu abstracto verum, quia genuinum intellectuale est ex veris, de qua n: 265. 749. 1007. 3134. 3309, at in opposito sensu non intelligens, proinde falsum; hoc falsum repraesentatur per Adullamitam, Adulla enim erat in termino haereditatis Jehudae, Jos: XV: 35, et inde significabat verum quod a bono, ut quoque apud Micham „Adhuc haeredem tibi adducam, habitatrix Marescha, usque *ad Adullam* veniet gloria Israëlis," I: 15; sed quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita etiam Adulla, et significat falsum quod a malo: quod pleraque etiam oppositum sensum habeant, est quia antequam terra Canaan facta est haereditas filiis Jacobi, possessa est a gentibus, per quas significabantur falsa et mala; et quoque postea quando filii Jacobi in contrarium iverunt; terrae enim induunt repraesentationem gentium et populorum qui ibi sunt, secundum quale eorum.

4817. Et nomen ejus Chirah, quod significet quale ejus, constat ex significatione nominis et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421, quale falsi, de quo mox supra, est quod significatur; nam per nomina in Verbo tam locorum quam personarum significantur status et res, videatur n: 1224. 1264. 1876. 1888. 1946. 2643. 3422. 4298. 4442.

4818. Et vidit ibi Jehudah filiam viri Canaanitae, quod significet affectionem mali ex falso mali, constat ex significatione filiae, quod sit affectio boni, de qua n: 2362, et in opposito sensu affectio mali, n: 3024; ex significatione viri, quod sit intelligens, et in sensu abstracto verum, at in opposito sensu non intelligens et falsum, de qua mox supra n: 4816; et a si-

gnificatione Canaanitae, quod sit malum, de qua n: 1573. 1574; inde patet, quod per filiam viri Canaanitae significetur malum quod ex falso mali; quid malum ex falso mali dicetur infra: hic primum dicendum est de originibus Tribus Jehudae, nam de illis in hoc Capite agitur; sunt tres origines illius Tribus seu gentis Judaicae, una est ex Schelah filio Jehudae ex uxore Canaanitide, altera ex Perez, et tertia ex Serach, filiis Jehudae ex Thamare nuru sua; quod ex illis tribus filiis Jehudae omnis gens Judaica, patet ex recensione filiorum et nepotum Jacobi, qui cum illo venerunt in Aegyptum, Genes: XLVI: 12; tum ex classificatione eorum secundum familias, de qua apud Mosen, „Fuerunt filii Jehudae secundum familias eorum, *Schelae* familia Schelonitae, *Perezo* familia Parcitae, *Seracho* familia Sarchitae,“ Num: XXVI: 20, et I Paral: IV: 21; qualis origo illius gentis sit, inde patet, quod nempe tertia pars eorum ex matre Canaanitide, et binae tertiae partes ex nuru, omnes inde ex illegitimo toro, conjugia enim cum filiabus Canaanitarum severe prohibita fuerunt, ut constare potest ex Genes: XXIV: 3. Exod: XXXIV: 16. Deut: VII: 3. I Reg: XI: 2. Esr: Cap: IX: et X; et cubare cum nuru erat mortis, ut patet apud Mosen, „Quod ad virum qui concubuerit *cum Nuru sua*, occidendo occidentur ambo, confusionem fecerunt, sanguines eorum super iis,“ Levit: XX: 12; quod Jehudah hoc factum cum nuru retulerit ad legem de leviratu, in qua de fratre statuitur, nusquam de patre, ut patet a Vers: 26 hujus Capitis, hoc involvit, quod filii ex Thamare agnoscerentur pro filiis Eri primogeniti, qui natus [5] ex matre Canaanitide, et malus fuit in oculis Jehovae, et ideo mori factus, Vers: 7; nam qui primum nati sunt per leviratum, non erant ejus a quo concipiebantur, sed ejus cujus semen excitabant, ut constat ex Deut: XXV: 5. 6; et quoque ab hujus Capitis Vers: 8. 9, praeterea qui a Thamare nati sunt, nati sunt per scortationem, autumabat enim Jehudah cum ingressus ad illam, quod esset scortum, Vers: 15. 16. 21; inde patet, unde et qualis origo gentis Judaicae; et quod ex mendacio loquuti sint apud Johannem, „Dicunt Ipsi Judaei, nos ex scortatione nati non sumus,“ VIII: 41. Quid haec origo involvit et repraesentat, patet a sequentibus, quod nempe interiora eorum similia fuerint, seu similem originem habuerint; quod

duxerit Canaanitidem, involvit originem ex malo quod ex falso mali, nam id significatur in sensu interno per filiam viri Canaanitae; quod concubuerit cum nuru sua involvit et repraesentat damnationem ex falsificato vero ex malo, scortatio enim ubivis in Verbo significat falsificationem veri, videatur n: 3708. Malum ex falso mali, est malum vitae ex falso doctrinali, quod exclusum est a malo amoris sui, hoc est, ab iis qui in illo malo sunt, et confirmatum per Verbi sensum literae; talis origo est mali apud Gentem Judaicam, et talis origo est mali apud aliquos in Orbe Christiano, imprimis apud illos qui in Verbo intelliguntur per Babelem; id malum tale est, ut praecludat omnem viam ad internum hominem, usque adeo ut in illo non aliquid conscientiae possit formari; nam malum quod homo ex falso doctrinali facit, hoc credit esse bonum quia credit esse verum, et sic ex licito, libero, et jucundo, facit; inde ita ei occluditur coelum, ut aperiri nequeat. Quale hoc malum est, explicationi sit exemplum; qui ex malo amoris sui credunt, quod solum unica gens sit, quam elegerat Jehovah, et reliqui omnes in mundo sint respective servi, et tam viles ut possint occidi ad libitum, etiam crudeliter tractari, et hoc quoque confirmant ex sensu literae Verbi, sicut Gens Judaica crediderat, et hodie quoque Gens Babylonica; tunc quicquid mali ex falso illo doctrinali faciunt, et ex reliquis doctrinalibus quae constructa sunt super illo ut fundamentali, est malum ex falso mali, et destruit internum hominem, et praecludit ne usquam aliqua conscientia ibi formari possit; illi enim sunt, de quibus in Verbo, qui dicuntur in sanguinibus esse, nam in saevitiis sunt contra omne genus humanum, quod non eorum credenda, et sic eos, adorat, et super eorum altaribus sua munera offert. Sit etiam exemplum; qui ex malo amoris sui et mundi credunt, quod aliquis erit vice Domini in terra, et quod ei potestas sit aperiendi et claudendi coelum, ita imperandi super omnium animos et conscientias, et id falsum confirmant ex Verbi sensu literae; tunc quicquid mali inde faciunt, est malum ex falso mali, quod similiter destruit internum hominem apud illos qui ex malo isto potestatem illam sibi vindicant, ac ita imperant, et destruit usque adeo, ut non sciant amplius quid sit internus homo, nec quod sit alicui conscientia, proinde ut non magis credant quod sit aliqua vita post

mortem, nec quod infernum, nec quod coelum, utcunque de illis loquuntur. Hoc malum, quale sit, non potest discerni a malis aliis ab hominibus in mundo, sed in altera vita ab angelis cognoscitur sicut in clara die; apparent enim ibi mala ac falsa, qualia sunt, et unde sunt, quoad sua discrimina, quae innumerabilia sunt; secundum illorum genera et species etiam inferna distincta sunt; de his innumerabilibus homo vix aliquid novit, credit modo quod malum sit, sed quale malum non scit; hoc unice ex causa quia non novit quid bonum, et hoc quia non novit quid charitas; si charitatis bonum, etiam opposita seu mala cum suis discriminationibus novisset.

4819. Et nomen ejus Schua, quod significet quale, constat ex significatione nominis, quod sit quale, de qua supra n: 4817, hic quale mali ex falso mali, de quo etiam supra n: 4818.

4820. Et accepit illam et venit ad illam, quod significet quod Tribus Jehudae conjungeret se illis, nempe malis ex falsis mali, constat ex significatione accipere illam nempe in mulierem, et venire seu intrare ad illam, quod sit conjungi, de qua aliquoties prius, conjugia enim in sensu interno repraesentant conjunctionem boni et veri, quia inde sunt, n: 2727 ad 2759, at in opposito sensu conjunctionem mali et falsi, hic conjunctionem Tribus Jehudae cum illis, nam de Jehudah dicitur, per quem quod significetur Tribus ab illo nominata, videatur supra n: 4815: hic non dicitur, quod acceperit illam in uxorem, sed solum quod acceperit et venerit ad illam, ex causa quia copulatio illegitima erat, n: 4818, tum quia sic tacite indicaretur quod non conjugium sed scortatio esset, ita quod filii ex illa etiam ex scortatione nati essent, conjunctio quoque mali cum falso nec aliud est: quod postea dicta fuerit uxor ejus, his verbis, „et multiplicati dies, et moriebatur filia Schuae uxor Jehudae," Vers: 12, dicetur infra.

4821. Et concepit et peperit filium, quod significet quod inde falsum Ecclesiae, constat ex significatione concipere et parere, quod sit agnoscere fide et actu, de qua n: 3905. 3915. 3919; et a significatione filii, quod sit verum Ecclesiae, at in opposito sensu falsum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373. 4257; inde per concepit et peperit filium, hic significatur, quod Ecclesia apud Tribum Jehudae agnoverit fide et actu

falsum. Quod per hunc filium significetur falsum Ecclesiae, est quia primogenitus fuit, et per primogenitum in antiquis Ecclesiis significatum est verum fidei, n: 352. 3325, ita in opposito sensu falsum, ut quoque primogeniti ac primogenita Aegypti, n: 3325: quod non verum, sed falsum, patet a mox sequentibus, dicitur enim, „Fuit Er primogenitus Jehudae malus in oculis Jehovae, et mori fecit eum Jehovah," Vers: 7; nomen hujus filii Er etiam hoc quale involvit, sicut etiam nomen filii secundi Onan suum quale, nempe iniquum seu malum.

4822. Et vocavit nomen ejus Er, quod significet quale ejus, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421, nempe quale falsi Ecclesiae, de quo mox supra n: 4821. [4] Quale falsi dicitur, quia falsa differunt inter se, sicut etiam vera, in tantum ut vix genera ejus recenseri possint, et [5] unumquodvis genus falsi suum quale habet, per quod distinguitur ab alio; falsa communia sunt, quae regnant apud pravos in Ecclesia unaquavis, et variatur hoc falsum apud unumquemvis ibi secundum vitam; falsum quod fuit in Ecclesia Judaica, de quo hic agitur, erat falsum ex malo amoris sui et inde amoris mundi, videatur n: 4818.

4823. Et concepit adhuc et peperit filium, quod significet malum, constat ex significatione filii, quod sit verum, et quoque bonum, de qua n: 264, ita in opposito sensu falsum et quoque malum, sed malum quod ex falso; hoc malum in sua essentia est falsum, quia inde est; qui enim facit malum ex falso doctrinali, is facit falsum, sed quia actu fit, [6] vocatur malum. Quod per primogenitum significetur falsum, et per hunc malum, patet inde, quia de hoc filio memoratur, quod actu fecerit malum, nempe, „quod perdiderit semen ad terram, ut non daret semen fratri suo; *et fuit malum in oculis Jehovae quod fecit*, [7] et mori fecit etiam eum" Vers: 9. 10, quod hoc malum fuerit ex falso, etiam ibi patet; praeterea in Ecclesiis antiquis per secundo genitum significabatur verum fidei actu, per hunc itaque falsum actu, hoc est malum; quod sit malum quod per hunc significatur, etiam constare potest ex eo, quod primogenitus Er nominatus sit ex patre seu Jehudah, at hic seu Onan ex matre filia Schuae, ut videri potest in Lingua originali; per virum enim in

Verbo significatur falsum, et per mulierem ejus malum, videatur n: 915. 2517. 4510, quod per filiam Schuae malum, n: 4818. 4819, quapropter quia Er vocatus est nomine a patre, significatur per illum falsum, et quia Onan ex matre, significatur per eum malum, ille enim ita erat sicut patris filius, hic autem sicut matris. In Verbo pluries dicitur Vir et Uxor, tum maritus et uxor, et cum dicitur vir et uxor, significatur verum per Virum, et bonum per Uxorem, ac in opposito sensu falsum per virum, et malum per uxorem: at cum dicitur maritus et uxor, significatur bonum per maritum, et verum per uxorem, ac in opposito sensu malum per maritum, et falsum per uxorem; causa hujus arcani haec est; in coelesti Ecclesia fuit maritus in bono, et uxor in vero illius boni; at in spirituali Ecclesia est vir in vero, et uxor in bono illius veri, et quoque actualiter ita sunt et fuerunt, interiora enim apud hominem hanc versuram habuerunt; inde est ubi in Verbo agitur de coelesti bono et inde coelesti vero, ibi dicatur maritus et uxor, at ubi de spirituali bono et inde spirituali vero, ibi dicatur vir et uxor, seu potius vir et mulier; exinde, ut quoque ex ipsis vocibus cognoscitur de quo bono et de quo vero in Verbo in sensu ejus interno agitur; haec etiam est causa, quod passim prius dictum sit, quod conjugia repraesentent conjunctionem boni et veri, ac veri et boni; amor etiam conjugialis ex conjunctione illa suam originem ducit, amor conjugialis apud coelestes ex conjunctione boni cum vero, et amor conjugialis apud spirituales ex conjunctione veri cum bono; conjugia etiam illis conjunctionibus actualiter correspondent. Ex his patet, quid involvit, quod pater vocaverit nomine primum, ac mater alterum, et quoque tertium, ut constat ex lingua originali, quod nempe pater primum nomine vocaverit; quia per illum significabatur falsum, et quod mater secundum quia per illum significabatur malum.

4824. Et vocavit nomen ejus Onan, quod significet quale, nempe mali, de quo mox supra n: 4823, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 4822; Onan significat et involvit illius mali quale.

4825. Et addidit adhuc et peperit filium, quod significet idololatricum, constat a significatione filii hic, quod sit idololatricum, nam qui prius nati sunt significabant falsum et malum,

n: 4821. 4823, inde sequitur quod tertius sit idololatricum, utrumque enim, nempe falsum et malum, producit id, et inest ei. Hic filius ex tribus natis Jehudae ex Canaanitide, solus superstes fuit, ex quo etiam tertia pars gentis Judaicae, quae quod [ex] idololatrico ortum duxerit in sensu interno intelligitur: quod gens illa pronissima ad idololatriam fuerit, ex historicis et propheticis Verbi ex sensu ejus literae constat, quod continue idololatrica fuerit ex sensu interno ibi patet; idololatricum enim non solum est colere idola et sculptilia, ut et colere alios deos, sed etiam est colere externa absque internis; in hoc idololatrica fuerat gens illa continue; externa enim solum adorabat, et interna prorsus removebat, et ne quidem de illis scire volebat: habuit quidem apud se sancta, sicut tentorium conventus cum arca, et ibi propitiatorium, mensas super quibus panes, et candelabrum, et suffimenta, et extra tentorium altare, super quo fiebant holocausta et sacrificia, quae omnia sancta vocabantur, ac intimum ibi sanctum sanctorum, ut et sanctuarium; erant etiam apud illos Vestes quae Aharoni et quae summis eorum sacerdotibus, quae Vestes sanctitatis dictae sunt, erat enim ephodus cum pectorali ubi urim et thumim, praeter plura; sed illa non erant sancta in se, sed sancta ex eo quod repraesentarent sancta nempe Divina coelestia et spiritualia Regni Domini, ac Ipsum Dominum; minus adhuc erant sancta a populo apud quem erant, nam ille nihil afficiebatur internis quae repraesentabantur, sed solum externis, et affici solum externis est idololatricum, nam id est colere lignum et lapidem, tum aurum et argentum quibus obducuntur, ex phantasia quod sancta in se sint; talis fuit gens illa, et talis etiam hodie est: sed usque apud tales potuit Ecclesiae repraesentativum esse, quia repraesentativum non spectat personam sed rem, videatur n: 665. 1097 f. 3670. 4208. 4281. 4288; inde etiam cultus non illos beatos et felices fecit in altera vita, sed solum prosperos in mundo quamdiu perstabant in repraesentativis, nec declinabant ad gentium idola, et sic aperte idololatrae facti sunt, tunc enim non repraesentari aliquid Ecclesiae apud illam gentem amplius potuit: haec nunc sunt quae intelliguntur per idololatricum, quod per tertium filium Jehudae ex muliere Canaanitide significatur. Hoc idololatricum apud illam gentem originem duxerat

ab idololatrico interno ejus, fuerat enim in amore sui et mundi prae aliis gentibus, n: 4459 f. 4750; et qui in amore sui et mundi sunt, in idololatria interna sunt, nam se colunt et mundum colunt, et sancta peragunt sui adorationis et sui lucri causa, hoc est, propter finem sui, non propter finem Ecclesiae et Regni Domini, ita non propter Dominum.

4826. Et vocavit nomen ejus Schelah, quod significet quale, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua supra, ubi de binis prioribus filiis Jehudae, Er et Onan, n: 4822. 4824; quale idololatrici est, quod per Schelah significatur; nam idololatrica plura sunt, est externum et internum, et utrumque in genere est cultus falsi et mali.

4827. Et fuit in Kesib in parere illam eum, quod significet statum, constat ex significatione Kesib, quod sit status nempe idololatrici significati per Schelah, in quo gens Judaica fuit; et ex significatione parere, quod sit conjungi actu, de qua n: 3905. 3915. 3919; et quia conjunctio fuit cum malo quod inest idololatrico, dicitur quod *Illa* vocaverit nomen ejus Schelah, ut patet ex lingua originali, nam per illam, nempe filiam Schuae, significatur malum quod ex falso mali, n: 4818. 4819.

4828. Vers: 6. 7. 8. 9. 10. *Et accepit Jehudah mulierem Ero primogenito suo, et nomen illius Thamar. Et fuit Er primogenitus Jehudae malus in oculis Jehovae, et mori fecit eum Jehovah. Et dixit Jehudah ad Onan, veni ad uxorem fratris tui, et leviratum praesta illi, et excita semen fratri tuo. Et novit Onan quod non sibi esset semen, et fuit, cum venit ad uxorem fratris sui, et perdidit ad terram, ut non daret semen fratri suo. Et fuit malum in oculis Jehovae quod fecit, et mori fecit etiam eum.* Accepit Jehudah mulierem, significat Ecclesiam quae posteritati ejus: Ero primogenito suo, significat falsum fidei: et nomen illius Thamar, significat quale Ecclesiae, quod Ecclesia repraesentativa spiritualium et coelestium: et fuit Er primogenitus Jehudae malus in oculis Jehovae, significat quod in falso mali: et mori fecit eum Jehovah, significat quod Ecclesiae repraesentativum nullum: et dixit Jehudah ad Onan, significat ad conservandum repraesentativum Ecclesiae: veni ad uxorem fratris tui et leviratum praesta illi, significat quod continuaret illud: et excita semen fratri tuo, si-

gnificat ne pereat Ecclesia: et novit Onan quod non sibi esset semen, significat aversationem et odium: et fuit, cum venit ad uxorem fratris sui et perdidit ad terram, significat contrarium amori conjugiali: ut non daret semen fratri suo, significat quod sic nulla continuatio: et fuit malum in oculis Jehovae, significat quod contra ordinem Divinum: et mori fecit etiam eum, significat quod etiam Ecclesiae repraesentativum nullum.

4829. Accepit Jehudah mulierem, quod significet Ecclesiam [quae] posteritati ejus, constat ex repraesentatione Thamaris, quae hic mulier, quod sit Ecclesia, de qua in sequentibus; quod posteritati Jehudae, significatur per quod acceperit illam Ero primogenito suo, ut inde ei posteri.

4830. Ero primogenito suo, quod significet falsum fidei, constat ex repraesentatione Eri, quod sit falsum, de qua n: 4821. 4822; et a significatione primogeniti, quod sit fides, de qua n: 352. 3325. 4821.

4831. Et nomen illius Thamar, quod significet quale Ecclesiae, quod Ecclesia repraesentativa spiritualium et coelestium, constat ex significatione nominis, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421, hic quale Ecclesiae, quia per Thamarem in hoc Capite repraesentatur Ecclesia, et quidem Ecclesia repraesentativa spiritualium et coelestium, quae apud posteritatem Jehudae instituenda esset; quod per Thamarem illa Ecclesia repraesentetur, patet a sequentibus. Agitur in toto hoc Capite in sensu interno de Ecclesia Judaica, quod fieret repraesentativa spiritualium et coelestium Regni Domini, sicut Ecclesia Antiqua, et hoc non solum in externa forma, sed etiam in interna; Ecclesia enim non est Ecclesia ab externis, hoc est, a ritualibus, sed ab internis, nam haec sunt essentialia, illa solum formalia; verum posteritas Jacobi talis fuit, ut non vellet recipere interna; ideo apud illam non excitari potuit Ecclesia Antiqua, sed solum repraesentativum illius Ecclesiae, n: 4307. 4444. 4500; internum Ecclesiae hic est Thamar, et externum hic est Jehudah cum tribus filiis ex muliere Canaanitide.

4832. Et fuit Er primogenitus Jehudae malus in oculis Jehovae, quod significet quod in falso mali, constat ex repraesentatione Eri et significatione primogeniti, quod sit falsum fidei,

de qua mox supra n: 4830; quod hoc falsum esset falsum mali, patet ab illis quae supra n: 4818, dicta sunt; sed apud hunc filium tale falsum mali, ut ne quidem repraesentativum Ecclesiae apud aliquam posteritatem ex illo institui potuerit, quapropter dicitur quod malus in oculis Jehovae, et mori fecit illum Jehovah. Apud totam illam gentem a prima origine, imprimis a Jehudah, fuit falsum mali, hoc est, falsum doctrinale ex malo vitae, sed apud unum Jehudae filium aliter quam apud alterum, et praevisum quodnam inservire posset, et quod non id quod apud Erum primogenitum, nec quod apud Onan secundo genitum, sed quod apud Schelah, quapropter bini illi exstincti sunt, et hic conservatus: quod apud totam illam gentem a prima origine fuerit falsum mali, describitur manifeste apud Mosen, his verbis „ *Corrupit sibi*, non filii Ipsius, *macula eorum, generatio perversa* et *contorta:* cum vidit Jehovah, et reprobavit prae indignatione filios suos, et filias suas; et dixit, occultabo facies meas ab eis, videbo quid *posteritas eorum;* nam *generatio perversitatum illi*, filii in quibus non fidelitas: addam super eos mala, tela mea consumam in eis, exhausti fame, et consumti anthrace, et excidio amaro: *gens perdita consiliis*, et nulla in illis intelligentia: ex *vite Sodomae vitis eorum* et *ex arvis Amorrae, uvae eorum uvae fellis*, botri amaritudinum illis: *venenum draconum vinum eorum*, et *fel aspidum crudele.* Nonne illud reconditum apud Me, obsignatum in thesauris meis: prope est dies interitus eorum, et properant futura illis, " Deut: XXXII: 5. 19. 20. 23. 24. 28. 32. 33. [34.] 35; per illa verba in sensu interno describitur falsum mali in quo gens illa fuit, et quod illis irradicatum.

4833. Et mori fecit illum Jehovah, quod significet quod Ecclesiae repraesentativum nullum, constat ex significatione mori, quod sit desinere tale esse, de qua n: 494, tum finis repraesentationis, n: 3253. 3259. 3276; hic itaque quod repraesentativum Ecclesiae nullum apud aliquam posteritatem ex illo, secundum id quod mox supra n: 4832, dictum est.

4834. Et dixit Jehudah ad Onan, quod significet ad conservandum repraesentativum Ecclesiae, constat ex illis quae sequuntur, nam haec spectant illa; dixit enim, ut leviratum prae-

staret fratri, per quod repraesentabatur conservatio et continuatio Ecclesiae, de qua nunc dicetur.

4835. Veni ad uxorem fratris tui, et leviratum praesta illi, quod significet quod continuaret illud, nempe repraesentativum Ecclesiae, constat ex significatione venire seu intrare ad uxorem fratris et leviratum praestare illi, quod sit conservare et continuare illud quod est Ecclesiae: quod in Lege Mosaica mandatum est, si quis moreretur absque prole, quod frater ejus duceret viduam uxorem ejus, et excitaret semen fratri suo, et quod primogenitus vocaretur ex nomine fratris defuncti, at reliqui filii forent illius, hoc vocabatur leviratus; quod hoc statutum non fuerit novum quid in Ecclesia Judaica, sed quod etiam in usu prius, constat ex his; similiter ac plura statuta, quae mandata Israëlitis per Mosen, sicut quod non ducerent uxores ex filiabus Canaanitarum, et quod ducerent intra familias, Gen: XXIV: 3. 4. Cap: XXVIII: 1. 2; inde et ex pluribus et aliis, patet quod Ecclesia prius fuerat, in qua talia fuerunt instituta, qualia dein promulgata et injuncta filiis Jacobi; quod altaria et sacrificia etiam ab Antiquo tempore in usu fuerint, patet ex Genes: VIII: 20. 21. Cap: XXII: 3. 7. 8; [8] inde liquet, quod Ecclesia Judaica non fuerit aliqua nova Ecclesia, sed quod esset resuscitatio Ecclesiae Antiquae, quae perierat. Qualis lex leviratus fuerat constat apud Mosen „Si habitaverint fratres una, mortuus autem fuerit unus de illis, nec filius illi, non nubet uxor defuncti foras viro alieno, Levir ejus intrabit ad illam, et accipiet illam sibi in uxorem, et sic leviratum praestabit illi: tunc fiet, primogenitus quem pepererit, stabit super nomine fratris ejus defuncti, ut non deleatur nomen ejus ex Israële: quod si non voluerit vir ducere fratriam suam, ascendet fratria ejus ad portam ad seniores, et dicet, renuit Levir meus excitare fratri suo nomen in Israële, non vult Leviratum mihi praestare; tunc vocabunt illum seniores urbis ejus, et loquentur ad illum, qui si steterit et dixerit, non cupio ducere eam, accedet fratria ejus ad illum in oculis seniorum, et extrahet calceum ejus desuper pede ejus, exspuet in facies ejus, et respondebit et dicet, sic fiet viro qui non aedificat domum fratris sui; unde vocabitur nomen ejus in Israële, domus exuti calceum" Deut: XXV: 5 ad 10; qui non novit, quid leviratus repraesentat, non aliter

credere potest, quam quod solum esset nominis conservandi causa, ac inde haereditatis, sed conservatio nominis et haereditatis non tanti erat, ut ideo frater cum fratria conjugium iniret; sed injunctum fuit, ut per id repraesentaretur conservatio et continuatio Ecclesiae; conjugium enim repraesentabat conjugium boni et veri, hoc est, conjugium coeleste, proinde etiam Ecclesiam, nam Ecclesia est Ecclesia ex conjugio boni et veri, et cum Ecclesia in hoc conjugio est, tunc unum facit cum coelo, quod est ipsum conjugium coeleste; et quia conjugium illa repraesentabat, ideo filii et filiae repraesentabant et quoque significabant vera et bona; quapropter improlis esse significabat deprivationem boni et veri, ita quod nullum Ecclesiae repraesentativum amplius in illa domo esset, consequenter quod extra communionem; praeterea frater repraesentabat bonum consanguineum, cui conjungeretur verum quod per uxorem viduam repraesentabatur; verum enim non alii bono quam suo et consanguineo conjungi potest, ut sit verum quod vitam habeat et producat fructum, et sic continuet id quod est Ecclesiae: hoc perceptum est in coelo per leviratum. Quod si nollet leviratum praestare, fratria extraheret calceum desuper pede ejus, et exspueret in facies ejus, significabat quod sicut qui absque bono et vero externo et interno destrueret illa quae Ecclesiae essent, calceus enim est externum n: 1748, et facies internum, n: 1999. 2434. 3527. 4066. 4796; exinde patet, quod per leviratum repraesentaretur conservatio et continuatio Ecclesiae. Sed cum repraesentativa internorum per adventum Domini cessarunt, tunc lex illa abolita est; se habet hoc, sicut anima seu spiritus hominis et ejus corpus, anima seu spiritus hominis est internum ejus, et corpus est externum; aut quod idem, anima seu spiritus est ipsa effigies hominis, corpus autem est ejus imago repraesentativa; cum resurgit homo, tunc imago repraesentativa seu externum ejus, quod est corpus, exuitur, nam tunc in interno seu in ipsa effigie est. Se habet hoc quoque sicut qui in tenebris est, et ex illis videt quae lucis sunt, seu quod idem, sicut qui in luce mundi, et ex illa videt quae sunt lucis coeli, lux mundi enim respective ad lucem coeli est instar tenebrarum; in tenebris seu in luce mundi non apparent illa quae sunt lucis coeli qualia in se sunt, sed sicut in imagine repraesentativa, prout mens hominis

in ejus facie; quapropter cum lux coeli apparet in suo claro, tunc dissipantur tenebrae seu imagines repraesentativae; hoc factum est per adventum Domini.

Et excita semen fratri tuo, quod significet ne pereat Ecclesia, constat ex significatione seminis, quod sit verum ex bono, seu fides charitatis, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1940. [?] 2848. 3310. 3373. 3671; simile etiam per primogenitum, qui staret super nomine fratris defuncti, significatur n: 352. 367. 2435. 3325. 3494; id semen excitare fratri, est continuare id quod est Ecclesiae, secundum illa, quae mox supra n: 4834, dicta sunt, ita ne pereat Ecclesia.

4836. Et novit Onan, quod non sibi esset semen, quod significet aversationem et odium, constat ex repraesentatione Onanis, quod sit malum, de qua n: 4823. 4824, et quia non dare semen fratri seu praestare leviratum, est non velle bonum et verum Ecclesiae et ejus continuationem, n: 4834, inde per illa verba significatur aversatio et odium; malum enim non est nisi quam aversatio et odium contra bonum et verum Ecclesiae.

4837. Et fuit, cum venit ad uxorem fratris sui, et perdidit ad terram, quod significet contrarium amori conjugiali [, constat ex sequentibus]: describitur per Erum primogenitum Jehudae falsum mali, in quo primum fuit gens Judaica; et per Onan secundo genitum describitur malum quod ex falso mali, in quo postea fuit illa gens; et per Schelah filium tertium describitur idololatricum quod inde, in quo dein continue fuerat, n: 4826: malum ex falso mali describitur per id quod fecerat Onan, quod nempe semen non dare vellet fratri, sed quod perderet ad terram, quod per id significetur contrarium amori conjugiali, est quia per conjugiale in sensu interno intelligitur id quod est Ecclesiae, est enim Ecclesia conjugium boni et veri, huic conjugio prorsus contrarium est malum ex falso mali, hoc est, contrarii conjugio isti sunt qui in tali malo. Quod non fuerit genti illi aliquod conjugiale tam in sensu spirituali quam in naturali intellectum, patet manifeste ex eo, quod ei permissum fuerit plures uxores ducere, ubi enim est conjugiale in sensu spirituali intellectum, hoc est, ubi bonum et verum Ecclesiae, consequenter ubi Ecclesia, ibi nequaquam hoc permittitur; nam genuinum conjugiale nusquam dabile est, quam apud illos apud quos Ecclesia seu Regnum Do-

mini est, et apud hos non nisi quam inter binos, n: 1907. 2740. 3246; conjugium inter binos qui in genuino amore conjugiali sunt, correspondet conjugio coelesti, hoc est, conjunctioni boni et veri, maritus nempe bono et uxor vero illius boni; etiam cum in genuino amore conjugiali sunt, in illo conjugio sunt; quapropter ubi Ecclesia, ibi nusquam permissum est plures uxores ducere; at quia non fuit Ecclesia apud posteritatem ex Jacobo, sed modo repraesentativum Ecclesiae, seu externum Ecclesiae absque interno ejus, n: 4307. 4500, ideo apud illam permissum est: et praeterea conjugium unius mariti cum pluribus uxoribus sisteret in coelo ideam seu imaginem sicut unum bonum conjungeretur pluribus veris quae inter se non concordant, et sic quod bonum nullum esset, nam bonum ex non concordantibus veris nullum fit, bonum enim a veris et eorum inter se concordantia suum quale habet: sisteret etiam imaginem, sicut Ecclesia non una foret, sed plures, et hae distinctae inter se secundum vera fidei seu secundum doctrinalia, cum tamen una est cum bonum ibi est essentiale, et id qualificatur et quasi modificatur per vera; Ecclesia est imago coeli, nam est Regnum Domini in terris; coelum distinguitur in plures societates communes, et his subordinatas minores, sed usque unum sunt per bonum, vera fidei se habent ibi secundum bonum congrue, illa enim bonum spectant, et ex eo sunt; si distinctum foret coelum secundum vera fidei, et non secundum bonum, coelum nullum foret, nam nihil unanimitatis esset, unum enim vitae seu una anima non potuisset illis esse a Domino; hoc solum datur in bono, hoc est, in amore in Dominum, et in amore erga proximum; amor enim conjungit omnes, et cum amor boni et veri est singulis, tunc est commune quod a Domino, ita Dominus, qui conjungit omnes; amor boni et veri est qui amor erga proximum vocatur, nam proximus est qui in bono et inde vero, ac in sensu abstracto ipsum bonum et ejus verum. Ex his constare potest, cur conjugium intra Ecclesiam erit inter unum maritum et unam uxorem; et cur permissum posteris Jacobi plures uxores ducere, et quod hoc ob causam quia non ibi Ecclesia fuit, et proinde ibi repraesentativum Ecclesiae non institui potuit per conjugia, quia in contrario fuerunt amori conjugiali.

4838. Ut non daret semen fratri suo, quod significet quod

sic nulla continuatio, constat ex significatione dare semen fratri, seu leviratum praestare, quod sit continuare id quod est Ecclesiae, de qua supra n: 4834; inde per non dare semen fratri suo, significatur quod sic nulla continuatio.

4839. Et fuit malum in oculis Jehovae quod fecit; quod significet quod contra ordinem Divinum, constat ex significatione mali in oculis Jehovae, seu mali contra Ipsum, quod sit contra ordinem qui ab Ipso: id quoque patet ex facto, et quoque ex statuto de Leviratu, quod nempe fratria extraheret calceum ex pede ejus, et exspueret in faciem ejus, et quod nomen ejus in Israële vocaretur domus exuti calceum, Deut: XXV: 8. 9. 10, quibus significatum, quod esset absque bono externo et interno, et qui absque illo sunt, et in malo, contra ordinem Divinum sunt. Omne id malum est contra ordinem Divinum, quod scaturit seu effluit ex malo interius, hoc est, ex intentione seu fine mali, quale hoc Onanis; at quod non scaturit seu effluit ex malo interius, hoc est, ex intentione seu fine mali, hoc quandoque apparet sicut malum, sed usque non est si finis non malus est, nam finis qualificat omne factum, in fine enim est vita hominis, quippe quod amat et inde cogitat homo, pro fine habet; vita ejus animae non aliud est. Quod malum sit contra ordinem Divinum, et bonum secundum illum, cuivis potest notum esse; Ordo enim Divinus est Ipse Dominus in Coelo, Divinum enim Bonum ac Verum quod ab Ipso, constituit ordinem, usque adeo ut sint Ordo, Divinum Bonum essentiale ejus, et Divinum Verum formale: Divinus Ordo cum repraesentatur in forma, apparet sicut Homo, Dominus enim a Quo est, est Solus Homo, n: 49. 288. 477. 565. 1871. 1894. 3638. 3639; et quantum Angeli, Spiritus, et homines ab Ipso habent, hoc est, quantum in bono et inde vero sunt, ita quantum in Divino Ipsius ordine, tantum sunt homines; inde est, quod universum coelum repraesentet unum hominem, qui Maximus Homo vocatur, et quod ei correspondeant omnia et singula quae apud hominem, sicut ad finem Capitum ostensum est; inde etiam est, quod angeli in coelo appareant omnes in forma humana; et vicissim spiritus mali qui in inferno, inter se quidem apparent ex phantasia ut homines, sed in luce coeli sicut monstra, diriora et horribiliora secundum malum in quo sunt, n: 4533, et hoc

ex causa, quia ipsum malum est contra Ordinem, ita contra humanam formam, nam, ut dictum, Divinus Ordo, cum repraesentatur in forma, apparet sicut homo.

4840. Et mori fecit etiam eum, quod significet quod etiam Ecclesiae repraesentativum nullum, constat ex illis quae supra n: 4833, ostensa sunt, ubi similia verba.

4841. Vers: 11. *Et dixit Jehudah Thamari nurui suae, mane vidua domo patris tui, usque adolescit Schelah filius meus, quia dixit, forte moriatur etiam hic sicut fratres ejus; et ivit Thamar et mansit domo patris sui.* Dixit Jehudah, significat in genere posteritatem Jacobi, in specie illam ex Jehudah: Thamari nurui suae, significat Ecclesiam repraesentativam spiritualium et coelestium, quae nurus dicitur ex Vero: mane vidua domo patris tui, significat abalienationem a se: usque adolescit Schelah filius meus, significat dum tempus: quia dixit, significat cogitationem: forte moriatur etiam hic sicut fratres ejus, significat timorem ne periret; et mansit domo patris sui, significat abalienationem a se.

4842. Dixit Jehudah, significat in genere posteritatem Jacobi, in specie illam ex Jehudah, constat ex significatione Jehudae in sensu proximo, quod sit gens quae a Jacobo, et in specie quae Jacobo ex Jehudah, ut quoque supra n: 4815. In Verbo quidem distinguitur inter Jehudam et Israëlem, et in sensu historico per Jehudam intelligitur tribus Jehudae, et per Israëlem decem Tribus quae ab illa tribu separatae fuerunt; sed in sensu interno seu spirituali per Jehudam repraesentatur Ecclesiae coeleste seu bonum, et per Israëlem Ecclesiae spirituale seu verum, at in opposito sensu per Jehudam Ecclesiae malum, et per Israëlem Ecclesiae falsum, ubicunque illa erant, sive apud Judaeos sive apud Israëlitas; sensus enim internus seu spiritualis Verbi est universalis, et non distinguit Tribus sicut sensus externus seu historicus; inde est, quod per Jehudam in sensu proximo significetur omnis gens quae a Jacobo, at in specie quae Jacobo ex Jehudah.

4843. Thamari nurui suae, quod significet Ecclesiam repraesentativam spiritualium et coelestium, quae nurus dicitur ex vero, constat a repraesentatione Thamaris, quod sit Ecclesia repraesentativa spiritualium et coelestium, de qua supra n:

4831; et ex significatione nurus, quod sit Ecclesiae spirituale seu verum; quod nurus in sensu interno id sit, est quia omnia quae conjugii, et omnes qui ex conjugio erant, repraesentabant talia quae sunt conjugii coelestis, videatur supra n: 4837, proinde quae sunt boni et veri, nam haec sunt conjugii coelestis; inde est, quod in Verbo Maritus significet bonum, et uxor verum, tum quod filii et filiae significent vera et bona quae ex illis; inde nurus quia uxor filii ut novi mariti, significat Ecclesiae verum conjunctum bono, et sic porro; sed significationes illae aliter se habent respective ad illos qui sunt ab Ecclesia coelesti, quam ad illos qui sunt ab Ecclesia spirituali, in Ecclesia enim spirituali maritus vocatur vir et significat verum, ac uxor mulier et significat bonum, videatur supra n: 4823. Quod per nurum in sensu interno Verbi significetur Ecclesiae Verum adjunctum ejus bono, consequenter in opposito sensu Ecclesiae falsum adjunctum ejus malo, constare etiam potest a locis in Verbo ubi nominatur, ut apud Hoscheam, „Super capitibus montium sacrificant, et super collibus suffiunt, sub quercu, et populo, et robore, quia bona umbra ejus; propterea scortantur filiae vestrae, et *nurus vestrae* adulterantur: nonne visitabo super filias vestras quod scortentur et *super nurus vestras* quod adulterentur," IV: 13. 14; agitur ibi de cultu mali et falsi, cultus mali significatur per sacrificare super montium capitibus, et cultus falsi per suffire super collibus, vita mali significatur per quod scortentur filiae, et doctrina falsi ex qua vita mali, per quod nurus adulterentur; quod adulteria et scortationes in Verbo significent adulterationes boni et falsificationes veri, videatur n: 2466. 2727. 3399; nurus itaque ibi pro affectionibus falsi. Apud Micham, „Magnus est loquens perversitatem animae suae, et detorquet illam, bonus eorum sicut spina, rectus ut dumus; *filius vilipendit patrem, filia insurgens contra matrem suam, Nurus contra socrum suam; hostes viri domestici illius,*" VII: 4. 6; agitur ibi de falso ex malo, in quo Ecclesia ultimo tempore cum vastata, in proximo sensu in quo Ecclesia Judaica; filia insurgens contra matrem, significat quod affectio mali contra verum; et nurus contra socrum, quod affectio falsi contra bonum. Quia similiter se habet cum homine qui in tentationibus est, in his enim pugna est mali contra ve-

rum, et falsi contra bonum, nam tentationes spirituales non aliud sunt quam vastationes falsi et mali apud hominem, idcirco tentationes seu pugnae spirituales paene per similia verba a Domino describuntur apud Matthaeum, „Jesus dixit, ne existimate quod venerim ad mittendum pacem super terram, non veni mittere pacem sed gladium, veni enim ad dissidendum *hominem contra patrem suum*, et *filiam contra matrem suam*, et *Nurum contra socrum suam*, et *hostes hominis erunt domestici illius*," X: 34. 35. 36. 38; similia haec verba apud Prophetam mox supra significarunt vastationem Ecclesiae, hic autem tentationes illorum qui ab Ecclesia, quia, ut dictum, tentationes non aliud sunt quam vastationes seu remotiones falsi et mali, quapropter etiam tam tentationes quam vastationes significantur et describuntur per aquarum inundationes et diluvia, n: 705. 739. 756. [10] 907. hic itaque filia contra matrem etiam est affectio mali contra verum, et nurus contra socrum affectio falsi contra bonum; et quia mala et falsa, apud hominem qui in tentatione, intus sunt seu illius sunt, vocantur domestici, dicitur, „hostes hominis domestici ejus": quod tentationes ita ibi describantur, patet ex eo, quod dicatur, quod non venerit ad mittendum pacem super terram sed gladium, per gladium enim significatur verum pugnans, et in opposito sensu falsum pugnans, n: 2799. 4499, cum tamen venerit ad dandum pacem, Joh: XIV: 27., Cap: XVI: 33; quod tentationes sint quae ita describuntur, constat ex sequentibus ibi, „quisquis non suscipit crucem suam, [11] et sequitur post Me, non est Me dignus": similiter apud Lucam, „Putatisne quod ad pacem venerim ad dandum in terra, non, dico vobis, sed divisionem; erunt namque ex nunc quinque in domo una divisi, tres contra duos, et duo contra tres, dividetur pater contra filium, et filius contra patrem, mater contra filiam, et filia contra matrem, *socrus contra nurum suam*, et *nurus contra socrum suam*," XII: 51. 52. 53: ex his quoque patet, quod per patrem, matrem, filium, filiam, nurum, socrum, significentur talia quae sunt ex conjugio coelesti, nempe bona et vera in suo ordine, et quoque opposita; sicut etiam apud Marcum, „Jesus dixit, nemo est qui derelinquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, propter Me et Evangelium,

si non recipiet centupla, in tempore hoc domos et fratres et sorores et matres et liberos et agros cum persequutionibus, et in saeculo venturo vitam aeternam," X: 29. 30; qui non sensum internum Verbi novit, credet quod per domum, fratres, sorores, patrem, matrem, uxorem, liberos, agros, significentur domus, fratres, sorores, pater, mater, uxor, liberi, agri, sed sunt talia quae apud hominem sunt, ei propria, quae derelinquet, et loco eorum spiritualia et coelestia quae Domini sunt, quae recipiet, et hoc per tentationes, quae intelliguntur per persequutiones ibi; quisque videre potest, quod si derelinquit matrem, non recepturus matres, similiter nec fratres, sorores.

4844. Mane vidua domo patris tui, quod significet abalienationem a se, constare potest ex eo, quod per id vellet ut recederet, et ad se non amplius rediret; dixit quidem, ut maneret ibi usque dum adolesceret Schelah filius ejus, sed usque cogitavit, quod Schelae filio suo non illa daretur, dixit enim apud se, forte moriatur etiam hic sicut fratres ejus, et quoque facto comprobavit, ut patet a Vers: 14, „Vidit Thamar quod adolevit Schelah, et non data ei in mulierem"; inde nunc sequitur, quod per illa verba significetur, quod abalienaret illam a se; hoc est, in sensu interno Ecclesiam repraesentativam spiritualium et coelestium quae per Thamarem repraesentatur, n: 4811. 4831, ab Ecclesia Judaica quae per Jehudam; concordare enim non poterant, quia Judaismus erat solum Ecclesiae repraesentativum, non autem Ecclesia repraesentativa, n: 4307. 4500, nam externum agnovit, non autem internum. Vidua etiam significat Ecclesiae verum absque ejus bono, quia uxor in sensu repraesentativo significat verum, et maritus bonum, n: 4823. 4843, quapropter uxor absque marito est Ecclesiae verum absque ejus bono, de qua cum dicitur quod maneret in domo patris sui, significatur quod Ecclesiae verum abalienaretur, [12] et quoque quod non reciperetur in sua domo; quod nec gens Judaica potuit, quia non in bono sed in malo fuit. Vidua in Verbo multoties memoratur, et qui sensum internum non novit, non aliter credere potest, quam quod per viduam significetur vidua, sed per viduam in sensu interno significatur ibi Ecclesiae Verum absque bono, hoc est, illi qui in vero sunt absque bono, et usque desiderant in bono esse, consequenter qui amant duci per

bonum, maritus est bonum quod duceret; tales in Antiqua Ecclesia intelligebantur in bono sensu per viduas, sive foeminae sive viri essent: Antiqua enim Ecclesia distinxit proximum, erga quem charitatem exercerent, in plures classes, quosdam vocabat pauperes, quosdam miseros et afflictos, quosdam vinctos et in carcere, quosdam caecos et claudos, quosdam peregrinos, orphanos et viduas, et secundum qualitates eorum dispensabant charitatis opera; doctrinalia illorum illa docebant, illa Ecclesia non alia doctrinalia novit: quapropter qui tunc temporis vivebant, secundum sua doctrinalia et docebant et scribebant, proinde cum dicebant viduas, non aliud intelligebant quam tales qui in vero essent absque bono et usque desiderarent duci per bonum; inde etiam patet, quod doctrinalia Antiquae Ecclesiae docerent illa quae charitatis et proximi erant, ac cognitiones et scientifica illorum erant ut scirent quid significarent externa, Ecclesia enim repraesentativa spiritualium et coelestium fuit, idcirco spiritualia et coelestia, quae repraesentabantur et significabantur, erant, quae per doctrinalia et scientias addiscebantur, sed haec doctrinalia et haec scientifica hodie prorsus obliterata sunt, et quidem in tantum ut non sciatur quod fuerint; loco enim eorum successerunt doctrinalia fidei; quae si viduata et separata sunt a doctrinalibus charitatis fere nihil docent, doctrinalia enim charitatis docent quid bonum, at doctrinalia fidei quid verum, et docere verum absque bono, est ambulare sicut caecus, nam bonum est quod docet et ducit, et verum est quod docetur et ducitur; inter illa bina doctrinalia est tanta differentia, quanta inter lucem et tenebras, nisi tenebrae per lucem illustrantur, hoc est, nisi verum per bonum, seu fides per charitatem, non sunt nisi quam tenebrae: inde est quod nemo sciat ex intuitione consequenter nec a perceptione num verum sit verum, sed solum ex doctrina hausta in pueritia et confirmata in adulta aetate, inde etiam est, quod Ecclesiae tantum discrepent, et una dicat id verum quod altera falsum, et quod nusquam conveniant. Quod per viduas in bono sensu significentur qui in vero absque bono sunt, at usque desiderant per bonum duci, constare potest a locis in Verbo, ubi Viduae nominantur, ut apud Davidem, „Jehovah qui facit judicium *Oppressis*, qui dat panem [13] *famelicis*, Jehovah qui solvit *vinctos*, Jehovah qui ape-

rit *caecos*, Jehovah qui erigit *incurvatos*, Jehovah qui amat *justos*, Jehovah qui custodit *peregrinos*, *pupillam* et *Viduam* sustentat » Psalm: CXLVI: 7. 8. 9; agitur hic in sensu interno de illis qui a Domino instruuntur in veris et ducuntur ad bonum; sed quidam eorum vocantur oppressi, quidam famelici, quidam vincti, caeci, incurvati, peregrini, pupilli, viduae, et hoc secundum quale eorum; at quale nemo scire potest quam ex sensu interno: doctrinalia Ecclesiae Antiquae docuerunt illud; hic ut in pluribus aliis locis, junctim nominantur peregrinus, pupillus, et vidua, quia per peregrinum significantur illi qui in veris fidei instrui volunt, n: 1463. 4444, per pupillum qui in bono sunt absque vero et desiderant per verum duci ad bonum, et per viduam qui in vero sunt absque bono et desiderant per bonum duci ad verum; tres illi nominantur junctim hic et alibi in Verbo, quia in sensu interno unam classem constituunt, nam per illos simul significantur qui instrui volunt et duci ad bonum et verum. Apud Eundem « Pater *pupillorum*, et judex *viduarum* Deus in habitaculo sanctitatis suae » Psalm: LXVIII: 6; pupilli pro illis qui sicut infantes in bono innocentiae sunt, sed nondum in vero, quorum pater dicitur Dominus quia sicut pater ducit illos, et hoc per verum in bonum, nempe in bonum vitae seu sapientiae; viduae pro illis qui sicut adulti in vero sunt sed nondum in bono, quorum judex dicitur Dominus, quia ducit illos, et hoc per bonum in verum, nempe in verum intelligentiae; per judicem enim significatur ductor: bonum absque vero, quod est pupillus, fit bonum sapientiae per doctrinam veri; et verum absque bono, quod vidua, fit verum intelligentiae per vitam boni. Apud Esaiam « Vae statuentibus statuta iniquitatis ad declinandum a judicio *pauperes*, et ad rapiendum in judicium *miseros* populi mei, ut sint *Viduae* spolium eorum, et pupillos depraedentur, » X: 1. 2; hic per pauperes, miseros, viduas et pupillos, non illi significantur, sed qui spiritualiter tales sunt; et quia in Ecclesia Judaica, sicut in Antiqua, omnia repraesentativa erant, etiam erat benefacere pupillis et viduis, tunc enim repraesentabatur in coelo charitas erga illos qui in spirituali sensu tales erant. Apud Jeremiam « Facite judicium et justitiam, et eripite *spoliatum* e manu oppressoris, et *peregrinum pupillum* et *viduam* ne defraudate, ne-

que vim facite, neque sanguinem innocentem effundite in loco hoc," XXII: 3; hic quoque per peregrinum, pupillum, et viduam significantur qui spiritualiter tales sunt; in mundo enim spirituali seu coelo non noscitur quis peregrinus, quis pupillus et quae vidua, non enim tales sunt ibi qui tales fuerunt in mundo, idcirco verba haec cum leguntur ab homine, ab angelis secundum sensum eorum spiritualem seu internum percipiuntur: similiter apud Ezechielem „Ecce principes Israëlis quisque juxta brachium suum fuerunt in te, ut effunderent sanguinem, patrem et matrem vilipenderunt in te, cum *peregrino* egerunt per oppressionem in te, *pupillum* et *viduam* defraudarunt in te," XXII: 6. 7: tum apud Malachiam „Accedam ad vos in judicium, et ero testis festinans contra praestigiatores, et contra jurantes falso, et contra oppressores mercedis *mercenarii*, *viduae* et *pupilli*, et declinantes *peregrinum*; nec timent Me," III: 5: similiter apud Mosen „*Peregrinum* non premes, neque illum opprimes, ullam *viduam* aut *orphanum* non affligetis, si affligendo afflixeris eum, et si clamando clamaverit ad Me, audiendo audiam clamorem ejus, et exardescet ira mea, et occisurus sum vos gladio, ut *fiant uxores vestrae viduae*, et *filii vestri orphani*," Exod: XXII: 20. 21. 22. 23; hoc, sicut omnia reliqua praecepta, judicia, et statuta in Ecclesia Judaica, repraesentativum fuit, et quoque ibi tenebantur in externis ita facere, et per talia repraesentare charitatis interna, tametsi nihil charitatis haberent, seu non ex interna affectione facerent; internum erat, ex affectione instruere in veris ac ducere per vera ad bonum, qui in ignorantia fuerunt, et per bonum ad vera qui in scientia, sic bonum fecissent in spirituali sensu peregrino, pupillo et viduae: ut usque externum maneret repraesentationis causa, inter maledictiones dictatas super monte Ebal erat, declinare judicium *peregrini*, *orphani* et *viduae*, Deut: XXVII: 19; [14] declinare judicium eorum, pro contrarium facere, hoc est, per instructionem et vitam ducere ad falsum et malum: quia etiam deprivare alios bonis et veris, et sibi appropriare illa sui honoris et lucri causa, inter maledictiones erat, ideo Dominus dixit „Vae vobis scribae et Pharisaei, quia *comeditis domos viduarum*, idque praetextu quod prolixe oretis, propter hoc accipietis abundantius judicium," Matth: XXIII: 14. Luc: XX:

47, comedere domos viduarum, pro deprivare illos, qui desiderant, veris, et docere falsa. Pariter repraesentativum fuit, quod relicta in agris, in olivetis, et vineis, essent *peregrino, pupillo* et *viduae*, Deut: XXIV: 19. 20. 21. 22; tum „ quando absolverint decimare decimas proventus sui in anno tertio, darent *peregrino*, *pupillo* et *viduae*, ut comederent in portis eorum, et saturarentur," Deut: XXVI: 12. 13. [15] Quia Dominus solus est qui instruit, et ad bonum et verum ducit, dicitur apud Jeremiam „ Relinque *Orphanos* tuos, Ego vivificabo, et *viduae* super Me confident," XLIX: 10. 11: et apud Mosen „ Jehovah facit judicium *Orphani* et *viduae*, et amat *peregrinum* ad dandum illi panem et vestem," Deut: X: 18; panis pro bono amoris, n: 2165. 2177. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735, vestis pro vero fidei, n: 4545. 4763. Quod Elias, cum fuit fames ex non pluvia in terra missus sit Sareptam ad *Viduam*, ac petierit ab illa placentam parvam, quam faceret priori loco et daret illi, ac sibi et filio posteriore loco, et quod tunc apud illam cadus farinae non consumeretur, et lenticula olei non deficeret, I Reg: XVII: 1 ad 13, repraesentativum fuit, sicut omnia reliqua quae de Elia memorantur, et in genere quae in Verbo; fames quae in terra quia non pluvia, repraesentabat vastationem veri in Ecclesia, n: 1460. 3364, vidua in Sarepta illos extra Ecclesiam qui desiderant verum, placenta quam illi faceret priore loco, bonum amoris in Dominum, n: 2177, quem ex pusillo suo amaret supra se et filium suum, cadus farinae significat verum ex bono, n: 2177; et lenticula olei charitatem et amorem, n: 886. 3728. 4582, Elias repraesentat Verbum per quod talia, n: 2762; hoc etiam in sensu interno intelligitur per Domini verba apud Lucam „ Nullus propheta acceptus est in patria sua: in veritate dico vobis, *multae viduae* erant in diebus Eliae in Israël, cum clausum fuit coelum per annos tres et menses sex, dum fuit fames magna super totam terram, ad nullam tamen earum missus est Elias nisi in Sareptam Sidonis, ad *mulierem viduam*," IV: 24. 25. 26, hoc est, ad illos extra Ecclesiam qui desiderant verum; viduae autem quae intra Ecclesiam vastatam, ad quas Elias non missus, sunt qui non in vero sunt, quia non in bono, nam ubi non bonum ibi nec verum, utcunque apud illos verum appareat in externa forma ut

verum, sed est sicut crustaceum absque nucleo; qui in tali vero sunt, et quoque qui in falso, significantur per viduas in opposito sensu; ut apud Esaiam, „Exscindet Jehovah ex Israële caput et caudam, ramum et juncum, die uno, senex et honoratus faciebus caput, et propheta doctor mendacii cauda; propterea super juvenibus ejus non laetabitur Dominus, et *pupillorum ejus* ac *viduarum ejus* non miserebitur," IX: 13. 14. 16. Apud Jeremiam „Ventilabo eos ventilabro in portis terrae, orbabo, perdam populum meum, a viis suis non conversi, *auctae mihi sunt viduae ejus* prae arena marium; adducam illis super matrem juvenem vastatorem in meridie; linquet quae pepererat septem, exspiravit animam suam, occidit sol ejus dum adhuc dies," XV: 7. 8. 9. Apud Eundem „Haereditas nostra aversa est ad alienos, domus nostrae ad alienigenas, *pupilli* facti sumus non pater, matres nostrae sicut *viduae*," Thren: V: 2. 3. Quia per viduas significabantur qui non in vero quia non in bono, idcirco ignominiosum erat Ecclesiis etiam quae in falsis ex malo, vocari viduae, sicut apud Johannem „In corde suo dixit, sedeo regina, et *vidua non sum*, et planctum non viderim; propter hoc in una die venient plagae ejus, mors, et planctus, et fames, et igne comburetur," Apoc: XVIII: 7. 8; ibi de Babele; similiter de eadem apud Esaiam „Audi hoc delicata, sedens secure, dicens in corde suo, ego et non sicut ego praeterea, *non sedebo vidua*, nec cognoscam *orbitatem*: atqui venient tibi duo ista mala momento in die uno, *orbitas* et *viduitas*," XLVII: 8. 9. Ex his nunc constare potest, quid vidua in sensu interno Verbi; et quoniam vidua repraesentabat et inde significabat Ecclesiae verum absque bono ejus, quia uxor verum et maritus bonum, ideo in Ecclesiis Antiquis, ubi omnia et singula repraesentabant, prohibitum fuit sacerdotibus ducere viduam in uxorem, quae non vidua esset ex sacerdote, de quibus ita apud Mosen „Sacerdos magnus uxorem in virginitate ejus accipiet, *viduam* aut repudiatam aut corruptam aut meretricem, has non accipiet, sed virginem de populis suis accipiet uxorem," Levit: XXI: 13. 14. 15; et ubi de Novo Templo et de novo Sacerdotio apud Ezechielem „Sacerdotes Levitae *viduam* aut repudiatam non accipient sibi in uxores, sed virgines de semine domus Israëlis; *viduam* tamen quae fuerit *vidua a sacerdote*,

accipient," XLIV: 22; virgines enim, quas ducerent uxores, repraesentabant et inde significabant affectionem veri, etiam vidua a sacerdote affectionem veri a bono, sacerdos enim in sensu repraesentativo est Ecclesiae bonum: ideo quoque licebat „*viduis ex sacerdote*, quibus non proles, de oblationibus seu sanctis comedere," Levit: XXII: 12. 13. Quod haec significatio viduae sit, noverunt illi qui ab Antiqua Ecclesia, ex suis doctrinalibus, doctrinalia enim apud illos erant doctrinalia amoris et charitatis, quae innumerabilia continuerunt, quae hodie prorsus obliterata sunt; ex illis sciebant, quam charitatem exercerent, seu in quo debito essent, erga proximum, qui viduae vocabantur, qui pupilli, qui peregrini, et sic porro; cognitiones veri illorum et scientifica fuerunt cognoscere et scire, quid ritualia Ecclesiae eorum repraesentabant et significabant, et qui docti inter illos fuerunt, sciebant, quid illa quae in tellure et mundo repraesentabant, noverunt enim quod universa natura esset theatrum repraesentativum Regni coelestis, n: 2758. 2989. 2999. 3483: talia elevabant mentes eorum ad coelestia, et doctrinalia eorum ducebant ad vitam: sed postquam Ecclesia a charitate ad fidem deflexit, et magis postquam fidem separavit a charitate, et illam absque hac et hujus operibus salvificam fecit, tunc mentes non amplius per cognitiones potuerunt elevari ad coelestia, nec per doctrinalia duci ad vitam, et hoc usque adeo, ut tandem vix aliquis credat, quod vita aliqua post mortem sit, et vix aliquis sciat quid sit coeleste; quod sensus aliquis spiritualis Verbi sit, qui non apparet in litera, hoc ne quidem potest credi; ita occlusae sunt mentes.

4845. Usque adolescit Schelah filius meus, quod significet dum tempus, constat a significatione adolescere, quod sit illius aetatis esse, ita dum tempus; et repraesentatione Schelae filii, quod sit idololatricum, de qua supra n: 4825. 4826, ita religio Judaica, quae idololatrica respective, n: 4825; inde per illa verba „usque adolescit Schelah filius meus" significatur dum tempus ut religio Judaica acceptare queat interna, seu spirituale et coelestia Ecclesiae repraesentativae, quae est Thamar, n: 4829. 4831. 4843.

4846. Quia dixit, quod significet cogitationem, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, et

quoque cogitare, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 3395, hic itaque per dixit, significatur quod in se dixit seu cogitavit, quod Thamar non daretur Schelae filio ejus in mulierem, in sensu interno quod interna Ecclesiae repraesentativae abalienarentur, n: 4844.

4847. Forte moriatur etiam hic sicut fratres ejus, quod significet timorem ne periret, nempe Ecclesiae repraesentativum quod apud posteritatem quae ex Jacobo, et in specie quae Jacobo ex Jehudah, constat ex significatione ne forte moriatur, quod sit timor ne pereat. Cum hoc, quod Ecclesiae repraesentativum, quod apud posteritatem ex Jacobo, periret, si ei adjungerentur interna quae genuinae Ecclesiae repraesentativae, ita se habet; apud posteritatem ex Jacobo instituenda erat Ecclesia Repraesentativa, qualis fuerat Antiquis; sed gens illa talis erat, ut solum colere et adorare vellet externa, et nihil prorsus scire de internis, fuit enim immersa cupiditatibus amoris sui et mundi, et inde falsis; credidit plus quam gentiles quod plures essent dii, sed quod Jehovah major illis quia majora miracula potuit facere, quapropter ut primum miracula cessarunt, et quoque cum vilia facta sunt ex frequenti et familiari, illico ad alios deos se converterunt, ut manifeste constare potest ex historicis et propheticis Verbi; quia talis erat gens illa, non potuit apud illam institui Ecclesia Repraesentativa qualis fuerat Antiquis, sed solum Ecclesiae repraesentativum; et provisum erat a Domino, ut per id aliquid communicationis fieret cum coelo; Repraesentativum enim dari potest apud malos, quia *id* non spectat personam sed rem: inde patet, quod cultus respective ad illos non fuerit nisi quam idololatricus, n: 4825, tametsi Repraesentativa in se continebant sancta Divina; cum tali cultu, nempe idololatrico, non conjungi potuit internum, si enim internum adjunctum fuisset, hoc est, si agnovissent interna, tunc prophanavissent sancta, internum enim sanctum cum externo, idololatrico si conjungitur, fit prophanum; inde est quod genti illi non detecta fuerint interna, et si illi detecta fuissent, quod periisset. Quod gens illa non recipere et agnoscere potuerit interna, quantumvis illis revelata fuissent, patet evidenter ab illis hodie, sciunt enim hodie interna, nam vivunt inter Christianos, sed usque rejiciunt illa, et quoque subsannant; etiam ple-

rique ex illis qui conversi [16] sunt, corde nec aliter faciunt; ex his constat, quod Ecclesia Repraesentativa spiritualium et coelestium non fuerit apud illam gentem, sed solum Ecclesiae repraesentativum, hoc est, externum absque interno, quod in se est idololatricum. Ex his etiam videri potest, quam erronee cogitant illi ex Christianis, qui credunt, quod Judaica gens in fine Ecclesiae convertetur, et prae Christianis tunc eligetur; et magis adhuc illi qui credunt, quod tunc apparitures illis Messias seu Dominus, et per magnum prophetam et magnis miraculis reducturus illos in terram Canaanem; sed in hos errores labuntur, qui in propheticis Verbi per Jehudam, per Israëlem, perque terram Canaanem, intelligunt Jehudam, Israëlem et terram Canaanem, proinde qui solum sensum literalem credunt, nec aliquem internum curant.

4848. Et mansit in domo patris sui, quod significet abalienationem a se, constat ex significatione manere vidua in domo patris, quod sit abalienatio, de qua supra n: 4844.

4849. Vers: 12. 13. 14. *Et multiplicati dies, et moriebatur filia Schuae uxor Jehudae, et consolatus Jehudah, et ascendit ad tonsores gregis sui, is et Chirach socius ejus Adullamita Thimnatam. Et indicatum Thamari dicendo, ecce socer tuus ascendit Thimnatam ad tondendum gregem suum. Et removit vestes viduitatis suae a super se, et obtexit in peplo, et operuit se, et sedit in ostio fontium super via Thimnatam, quia vidit quod adolevit Schelah, et illa non data ei in mulierem.* Multiplicati dies, significat status mutationem: et moriebatur filia Schuae, significat [quoad malum ex falso: uxor Jehudae, significat] religiosum apud gentem e Jacobo, in specie ex Jehudah: et consolatus Jehudah, significat requiem: et ascendit ad tonsores gregis sui, significat aliquid elevationis ad consulendum Ecclesiae: is et Chirach socius ejus Adullamita, significat quod usque in falso esset: Thimnatam, significat statum: et indicatum Thamari, dicendo, significat communicationis quid cum Ecclesia [Repraesentativa] spiritualium et coelestium: ecce socer tuus ascendit Thimnatam ad tondendum gregem suum, significat quod Ecclesia Judaica sibi vellet consulere: et removit vestes viduitatis suae a super se, significat simulationem veri quod ex bono: et obtexit in peplo, significat verum obscuratum: et operuit se, significat

sic non agnitum: et sedit in ostio fontium, qui super via Thimnatam, significat intermedium ad vera Ecclesiae et ad falsa: quia vidit quod adolevit Schelah, et illa non data ei in mulierem, significat perspectionem quod non aliter conjungi possit religioso in quo posteritas ex Jacobo, in specie quae ex Jehudah.

4850. Multiplicati dies, quod significet status mutationem, constat ex significatione multiplicari dies, quod sit mutari status; dies enim seu tempus in sensu interno est status, n: 23. 487. 488. 893. 2788. 3462. 3785, et multiplicari cum praedicatur de diebus seu temporibus est mutari; quod sit status mutatio quae significatur, patet etiam a sequentibus; multiplicari dicitur, quia involvit mutationem status quoad vera, nam multiplicari praedicatur de veris, n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847. Quia toties dicitur status et quoque mutatio status, et pauci sciunt quid status et mutatio ejus, dicendum quid sit; de interioribus hominis, nempe ejus affectionibus et inde cogitationibus, non praedicari potest tempus et temporis processus, nec spatium et spatii extensio, quia non in tempore nec in loco sunt, tametsi apparet coram sensibus in mundo, quod sint, sed in interioribus sunt quae tempori et loco correspondent, haec quae correspondent non aliter vocari possunt quam status, non enim alia vox, per quam correspondentia illa exprimantur, datur: mutari interiorum status dicitur, cum mutatur mens seu animus quoad affectiones et inde cogitationes, sicut a tristi in laetum, a laeto iterum in triste, ab impio ad pium aut devotum, et sic porro; mutationes hae vocantur status mutationes, ac praedicantur de affectionibus, et quatenus cogitationes ab his reguntur, etiam de cogitationibus; sed mutationes status cogitationum insunt illis sicut singularia communibus, et sunt variationes respective.

4851. Et moriebatur filia Schuae, quod significet quoad malum ex falso, constat ex significatione mori, quod sit desinere esse tale, de qua n: 494; et ex significatione filiae Schuae, quod sit malum ex falso, de qua supra n: 4818. 4819; hic itaque per moriebatur filia Schuae post multiplicatos seu plures dies, significatur status mutatio quoad malum ex falso, quod non esset tale, quale prius.

4852. Uxor Jehudae, quod significet religiosum apud gen-

tem e Jacobo, in specie ex Jehudah, constat ex significatione uxoris, quod sit Ecclesia, de qua n: 252. 253. 409. 749. 770, hic autem religiosum, quia agitur de gente Judaica, apud quam non fuit Ecclesia, sed modo Ecclesiae externum separatum ab interno, n: 4281. 4288. 4289. 4307. 4500. 4433. 4680. 4825. 4844. 4847, hoc non aliter vocari potest quam religiosum, potuerunt enim in sancto externo esse, et prorsus absque sancto interno, n: 4293; et ex repraesentatione Jehudae, quod sit gens e Jacobo, et in specie quae ex Jehudah, de qua supra n: 4815. 4842.

4853. Et ascendit ad tonsores gregis sui, quod significet aliquid elevationis ad consulendum Ecclesiae, constat ex significatione ascendere, quod sit elevari, nempe ab exteriori ad interius, de qua n: 3084. 4539; et ex significatione tonsoris, quod sit usus, de qua n: 4110, ita usum velle seu consulere; et ex significatione gregis, quod sit Ecclesia, de qua n: 343. 3767. 3768. 3772.

4854. Is et Chirah socius ejus Adullamita, quod significet quod usque in falso esset, constat ex repraesentatione Chirae Adullamitae, quod sit falsum, de qua supra n: 4816. 4817; cum itaque ille dicitur socius ejus, significatur quod adjunctum ei falsum, seu quod usque in falso esset.

4855. Thimnatam, quod significet statum, nempe in quo esset consulendi Ecclesiae; quod Thimnath illum statum significet, patet quoque ex Libro Judicum, ubi de Simsone agitur, quod „ descenderit ad Thimnath, et acceperit ibi mulierem a filiabus Philistaeorum," XIV: 1. 2. 3. 4. 7, et ibi per Thimnath similiter significatur status consulendi Ecclesiae; mulier, quam a filiabus Philistaeorum accepit, in sensu repraesentativo est Verum a non bono, ita verum obscuratum, quod etiam hic nunc per Thamarem repraesentatur; Philistaei enim sunt qui in doctrinalibus fidei sunt, et non in vita secundum illa, n: 1197. 1198. 3412. 3413; et praeterea nominatur Thimnath inter loca haereditatis tribus Danis, Jos: XIX: 43. Quod nomina locorum in Verbo omnia significent res et status, videatur n: 1224. 1264. 1888. 3422. 4298. 4442.

4856. Et indicatum Thamari, dicendo, quod significet communicationis quid cum Ecclesia Repraesentativa spiritua-

lium et coelestium, constat ex significatione indicari, quod sit apperceptio, de qua n: 3608, ita communicatio, hic communicationis aliquid; et ex repraesentatione Thamaris, quod sit Ecclesia Repraesentativa spiritualium et coelestium, de qua n: 4829. 4831; communicatio cum hac Ecclesia dicitur, cum status mutatus est, et tunc elevationis quid ad consulendum Ecclesiae esset, de quibus supra n: 4850. 4853.

4857. Ecce socer tuus ascendit Thimnatam ad tondendum gregem suum, quod significet quod Ecclesia Judaica sibi vellet consulere, constat ex repraesentatione Jehudae, quod sit Ecclesia apud gentem ex Jacobo, in specie apud Jehudam, de qua n: 4815. 4842. 4852, qui hic socer dicitur quia aliquid communicationis erat cum Ecclesia Repraesentativa spiritualium et coelestium, quae hic nurus; ex significatione ascendere, quod sit elevationis quid, de qua mox supra n: 4853; ex significatione tondere gregem, quod sit consulere Ecclesiae, de qua supra n: 4853; status consulendi illi est Thimnata, n: 4855. Quod hic sensus internus sit in his verbis, nequaquam potest ex litera apparere, mens enim, cum haec leguntur, cogitat de Jehudah, de Thimnata, de tonsione gregis, et non de spiritualibus, quae sunt separata a persona, a loco, aque usu mundano, at usque Angeli, quia in spiritualibus sunt, non aliud per illa percipiunt quam quae dicta sunt; cum enim literalis [17] sensus transit in spiritualem, pereunt talia quae sunt personae, loci et mundi, et succedunt quae sunt Ecclesiae, ejus status, et ibi usus: incredibile quidem apparet, quod ita sit, sed hoc ex causa, quia homo, quamdiu in mundo vivit, cogitat ex naturalibus et mundanis quae ibi sunt, et non ex spiritualibus et coelestibus; et qui immersi sunt corporeis et terrestribus illi nec sciunt quod aliquid spirituale et coeleste sit, et minus quod haec distincta sint a mundanis et naturalibus, cum tamen distincta sunt, sicut hominis spiritus ab ejus corpore, et quod sensus spiritualis vivat in sensu literali, sicut hominis spiritus in ejus corpore, et quoque quod sensus spiritualis similiter supervivat pereunte sensu literali, inde vocari potest sensus internus anima Verbi.

4858. Et removit vestes viduitatis suae a super se, quod significet simulationem veri quod ex bono, constat ex significatione viduae, quod sint qui in vero absque bono, et usque desiderant

per bonum duci, de qua n: 4844, vestes, quibus induebantur viduae, repraesentabant tale verum, et hoc ex eo quia vestes significant vera, n: 2576. 4545. 4763; [18] inde removere illas vestes, est exuere repraesentationem viduae, hoc est, veri absque bono, et, quia obtexit se peplo, simulare verum quod ex bono.

4859. Et obtexit in peplo, quod significet verum obscuratum, constat ex significatione obtegere se seu facies peplo, quod sit abscondere, et sic obscurare verum quod simulabat ex bono, ut mox supra n: 4858; et hoc conjunctionis causa cum Jehudah: cum enim sponsae accedebant primum ad sponsum, obtegebant se peplo, ut legitur de Rebecca cum venit ad Jischakum, Genes: Cap: XXIV: 65, per quod significata sunt apparentiae veri, videatur n: 3207, uxor enim significat verum, et maritus bonum; et quia verum non apparet quale est, priusquam conjungitur suo bono, ideo illius rei repraesentandae causa sponsae viso primum marito obtegebant se peplo; similiter hic Thamar, illa enim reputabat Schelam filium Jehudae ut suum maritum, sed quia non data fuit ei, loco ejus reputabat patrem ejus, qui leviratum praestaret, idcirco illa sicut sponsa obtexit se peplo, non autem sicut scortum, tametsi id Jehudah credidit, quia scorta pariter tunc temporis obtegere facies suas solebant, ut patet a Vers: 15; quod Jehudah pro tali illam reputaret, erat quia Gens Judaica, quae per Jehudam ibi significatur, non aliter Ecclesiae Repraesentativae vera interna reputabat quam sicut scortum, quapropter etiam Jehudah cum illa sicut cum scorto conjungebatur, non autem ita Thamar cum illo: quia Vera interna Genti illi nusquam aliter apparere potuerant, idcirco hic per quod obtexit se peplo, significatur verum obscuratum: et quod Verum Ecclesiae illis obscuratum sit, repraesentatur etiam hodie per quod velis seu peplis se obtegant in Synagogis suis. Simile etiam repraesentatum est per Mosen, cum radiaret cutis facierum ejus, cum descendit e monte Sinai, quod velamine se obtexerit, quoties loquutus cum populo, Exod: XXXIV: 28 ad fin: Moses repraesentabat Verbum, quod Lex vocatur, videatur Praefatio ad Cap: XVIII Genes: quapropter aliquoties dicitur Lex et Prophetae, ut Matth: V: 18. Cap: XI: 13. Cap: XXII: 36. 40, [19] et aliquoties Moses et Prophetae, ut Luc: XVI: 29. 31. Cap: XXIV: 27. 44; per radiationem cutis facie-

rum ejus repraesentabatur internum Verbi, nam facies est internum, n: 358. 1999. 2434. 3527. 4066. 4796. 4797, id enim quia spirituale est, in luce coeli est; quod velaret faciem suam, quoties loqueretur cum populo, repraesentabat quod verum internum illis obtectum esset, ac ita obscuratum ut non sustinuerint aliquid lucis inde.

4860. Et operuit se, quod significet sic non agnitum, constat ex significatione operire, quod sit abscondere, ita non agnosci, videantur quae mox supra n: 4859.

4861. Et sedit in ostio fontium qui super via Thimnatam, quod significet intermedium ad vera Ecclesiae et ad falsa, constat ex significatione fontium, quod sint vera Ecclesiae quae ex Verbo, fons enim in universali sensu est Verbum, de qua n: 2702. 3069. 3424; in ostio illorum, est in introitu ad illa; et quia vera externa, quae sunt sensus literae Verbi, praebent introitum, sunt illa ostium, quae vera nisi illustrentur a veris internis, hoc est, ab illis quae sunt sensus interni, sistunt falsa apud illos qui in malo sunt; quapropter per ostium fontium hic significatur intermedium ad vera Ecclesiae et ad falsa, super via Thimnatam, est ad Ecclesiae usum, nam Thimnata est status consulendi Ecclesiae, n: 4855. 4857.

4862. Quia vidit, quod adolevit Schelah, et illa non data ei in mulierem, quod significet perspectionem quod non aliter conjungi possit religioso in quo posteritas ex Jacobo, in specie quae ex Jehudah, constat ex significatione videre, quod sit perspectio, de qua n: 2150. 2325. 3764. 3863. 4403 ad 4421; quod sit perspectio quod non aliter conjungi possit religioso in quo posteritas ex Jacobo, in specie quae ex Jehudah, est quia per Jehudam illa posteritas significatur, n: 4815. 4842. 4852, proinde religiosum apud illos, cui conjungebatur, quia non potuit cum Schelah; per Schelam etiam repraesentatur idololatricum, n: 4825. 4826. 4845, cum quo verum Ecclesiae Repraesentativae, quod est Thamar, nec conjungi potuit.

4863. Vers: 15. 16. 17. 18. *Et vidit [illam] Jehudah, et reputabat illam meretricem, quia obtexit facies suas. Et declinavit ad illam ad viam, et dixit, da quaeso veniam ad te, quia non novit quod nurus ejus illa; et dixit, quid das mihi quod venias ad me. Et dixit, ego mittam hoedum caprarum de grege;*

et dixit, si des arrhabonem usque ad mittere te. Et dixit, quae arrhabo quam dabo tibi; et dixit, sigillum tuum, panniculum tuum, et baculum tuum qui in manu tua; et dedit illi, et venit ad illam, et concepit ei. Vidit illam Jehudah, significat religiosum gentis Judaicae, quomodo tunc consideraret interna Ecclesiae Repraesentativae: et reputabat illam meretricem, significat [20] quod non aliter ac falsum: quia obtexit facies suas, significat interiora quod illis abscondita: et declinavit ad illam ad viam, significat quod se applicaret quia tale: et dixit, da quaeso veniam ad te, significat libidinem conjunctionis: quia non novit quod nurus ejus illa, significat quod non apperciperet verum Ecclesiae repraesentativae esse: et dixit, quid das mihi quod venias ad me, significat conjunctionis reciprocum cum conditione: et dixit, ego mittam hoedum caprarum de grege, significat pignus conjunctionis: et dixit si des mihi arrhabonem, usque ad mittere te, significat reciprocum si certitudo: et dixit quae arrhabo quam dabo tibi, significat quod certum: et dixit, sigillum tuum, significat tesseram consensus: panniculum tuum, significat per Verum: et baculum tuum qui in manu tua, significat per potentiam ejus: et dedit illi, significat ita certum: et venit ad illam, significat conjunctionem: et concepit ei, significat sic receptionem.

4864. Et vidit illam Jehudah, quod significet religiosum gentis Judaicae quomodo tunc consideraret interna Ecclesiae Repraesentativae, constat ex significatione videre, quod sit appercipere et intelligere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863, ita considerare; a repraesentatione Thamaris quae hic est illa, quod sit Ecclesia Repraesentativa spiritualium et coelestium, de qua n: 4829. 4831, hic internum ejus Ecclesiae, quia de illo agitur, quomodo consideratum et receptum a gentis Judaicae religioso; et a repraesentatione Jehudae, quod sit in specie Gens Judaica, de qua n: 4815. 4842, proinde religiosum illius gentis, nam ubi gens in Verbo memoratur, in sensu interno intelligitur id quod est Ecclesiae illius; sensus enim internus memoranda et historica de aliqua gente nihil curat, sed modo quale quoad illa quae sunt Ecclesiae. Inde patet, quod per vidit illam Jehudah, significetur religiosum gentis Judaicae quomodo tunc consideraret interna Ecclesiae Repraesentativae.

4865. Et reputabat illam meretricem, quod significet quod non aliter ac falsum, constat ex significatione meretricis, quod sit falsum, de qua n: 2466. 2729. 3399, ita quod gens Judaica ex suo religioso consideret internum Ecclesiae non aliter ac falsum: quod meretrix sit falsum, est quia conjugium repraesentat conjugium coeleste, quod est boni et veri, maritus bonum et uxor verum, ac inde filii vera et filiae bona, atque gener et nurus, socer et socrus, et plures affinitates, secundum gradus illa quae sunt conjugii coelestis; idcirco adulteria et meretricatus, quia sunt opposita, significant malum et falsum; et quoque reipsa sunt opposita, nam qui in adulterio et meretricatu vitam agunt, nusquam curant bonum et verum; causa est, quia amor genuinus conjugialis descendit ex conjugio coelesti, hoc est, ex conjugio boni et veri; sed adulteria et meretricatus ex conjunctione mali et falsi, quae est ex inferno, videatur n: 2727 ad 2759. Quod Gens Judaica consideraverit, et quoque hodie consideret interna Ecclesiae non aliter ac falsa, est quod significatur per quod Jehudah reputaverit Thamarem nurum suam non aliter ac meretricem, et quod cum illa ut cum meretrice se conjunxerit; per originem talem illius gentis repraesentatur unde eorum religiosum et quale est. Quod Gens illa consideret internum Ecclesiae sicut scortum, seu ut falsum, patet manifeste; ut pro exemplo, si quis illis dicturus, quod internum Ecclesiae sit, quod Messias, de quo in propheticis Verbi praedicitur, et quem ideo exspectant, sit Dominus, hoc prorsus sicut falsum rejiciunt: si quis dicturus, quod internum Ecclesiae sit, quod Messiae Regnum non mundanum et temporeum sit, sed coeleste et aeternum, hoc quoque ut falsum pronuntiant: si quis dicturus, quod ritualia Ecclesiae eorum repraesentaverint Messiam ac Ipsius Regnum coeleste, hoc non sciunt quid sit: si quis dicturus quod internum Ecclesiae sit bonum charitatis et verum fidei doctrina et simul vita, id spectant non aliter ac falsum; similiter in omnibus reliquis; imo ad solam propositionem, quod internum Ecclesiae sit, stupide rident: causa est, quia solum in externis sunt, et quidem in externorum infimis, quae sunt amare terrestria, sunt enim prae reliquis in avaritia, quae prorsus terrestris est; tales nequaquam aliter considerare possunt interiora Ecclesiae, sunt enim re-

motiores reliquis a luce coelesti, ita prae reliquis in densa caligine.

4866. Quia obtexit facies suas, quod significet interiora quod illis abscondita, constat ex repraesentatione Thamaris, quod sit Ecclesia Repraesentativa, de qua n: 4829. 4831; ex significatione obtegere, quod sit abscondi; et ex significatione facierum, quod sint interna, de qua n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573. 4066. 4326. 4796. 4797. 4798. 4799; inde patet, quod per obtexit facies suas, significetur quod interiora Ecclesiae illis essent abscondita; de quibus videantur quae supra n: 4859. 4865.

4867. Et declinavit ad illam ad viam, quod significet quod se applicaret quia tale, constat ex significatione viae, quod sit verum, de qua n: 627. 2333. 3123. 3142. 3477, ita in opposito sensu falsum, hic falsum, quia reputabat illam ut meretricem, per quam quod falsum significetur, videatur mox supra n: 4865; eapropter etiam dicitur quod declinaret ad viam, nam declinare praedicatur de falso, n: 4815. 4816.

4868. Et dixit, da quaeso veniam ad te, quod significet libidinem conjunctionis, constat ex significatione venire seu intrare ad aliquam, quod sit conjungi, de qua n: 4820; quod sit libido, qualis est conjunctionis cum meretrice, patet, in sensu interno cum falso; quod Gens Judaica, quae hic per Jehudam significatur n: 4815. 4842. 4864, verum internum Ecclesiae Repraesentativae non aliter consideraverit ac falsum, et quod hodie nec aliter id consideret, videatur supra n: 4865, hic nunc agitur de eo quod usque conjunxerit cum illo, at non ut cum uxore sed ut cum meretrice, hoc est, non ut cum vero sed ut cum falso; de conjunctione cum falso, sicut de conjunctione cum meretrice, praedicatur libido. Omnes illi se conjungunt cum vero interno ut cum meretrice, qui sensum externum Verbi, hoc est, sensum ejus literalem unice credunt, et prorsus rejiciunt omnem ejus sensum internum, hoc est, spiritualem; sed principaliter illi, qui sensum externum seu literalem Verbi applicant ad favorem cupiditatum amoris sui et mundi, seu dominationis et lucri; qui hoc faciunt, nequaquam aliter possunt, quam spectare verum internum sicut tale, et si se cum illo conjungunt, faciunt id ex libidine sicut conjunctionis cum mere-

trice; hoc faciunt imprimis illi qui ex Gente Judaica sunt; et quoque illi qui per Babelem in Verbo intelliguntur; non autem illi, qui quidem sensum literalem Verbi simpliciter credunt, et usque secundum illa quae sunt sensus interni vivunt, nempe in amore et charitate, et inde fide, nam haec sunt sensus interni Verbi, etiam qui illa inde docent; sensus enim internus et sensus externus in duobus illis praeceptis, nempe amare Dominum supra omnia et proximum sicut seipsum, conveniunt. Quod Gens Judaica spectet verum internum sicut meretricem, et si cum illo se conjungit, quod ex libidine sicut conjunctionis cum tali faciat, sint illustrationi exempla; ut si illis dicitur, quod Verbum sanctum sit, imo quod sanctissimum, etiam quod unusquisque apex ibi sanctus sit, agnoscunt, et se conjungunt, sed hoc ex tali libidine, nam sanctum in litera credunt, et non quod per illud influat sanctum apud eos qui in affectione boni et veri sunt cum id legunt: Si illis dicitur, quod plures, qui in Verbo nominantur, venerandi sint ut sancti, sicut Abraham, Jischak, Jacob, Moses, Aharon, David, id agnoscunt et se conjungunt, sed ex simili libidine, credunt enim quod illi electi prae aliis fuerint, et inde sancti, et quod ideo sicut numina colendi; cum tamen non aliunde sanctum sit illis, quam quod repraesentaverint Dominum, et sanctum repraesentativum nihil afficit personam; et praeterea vita sua unumquemvis absque discrimine manet post mortem: Si illis dicitur, quod Arca apud illos, templum, altare holocausti, altare suffitus, panis super mensa, candelabrum cum lucernis, ignis perpetuus, sacrificia, suffimenta, olea, tum vestes Aharonis, imprimis pectorale super quo urim et thumim, sancta fuerint, agnoscunt et se conjungunt, sed ex tali libidine, nam credunt illa in se sancta fuisse, ita lignum, lapidem, aurum, argentum, panem, ignem, et hoc interius quia Jehovah in illis, seu quod sanctitas Jehovae illis applicata actualiter in illis fuerit; hoc verum eorum internum est, quod tamen respective falsum; sanctum enim solum inest bono et vero, quod a Domino est in amore in Ipsum et in amore erga proximum, atque inde in fide, ita non nisi quam in vivis, hoc est, in hominibus qui recipiunt illa a Domino. Si illis dicitur, quod Ecclesia Christiana sit una cum Ecclesia quae apud illos instituta fuit, sed quod illa sit interna, haec autem fuerat externa, sic

ut cum Ecclesia apud illos instituta exuitur externis et nudatur, appareat Christiana, hoc non agnoscunt aliter ac scortum, hoc est, falsum; sed usque plures eorum qui a Judaismo ad Christianismum convertuntur, cum illo vero se conjungunt, sed quoque ex tali libidine. Talia in Verbo pluries vocantur scortationes. Quod autem illos attinet, qui in Verbo significantur per Babelem, ii similiter considerant vera interna Ecclesiae, sed quia ii norunt interna, et quoque in pueritia agnoscunt illa, ast in adulta aetate negant, describuntur in Verbo per foeda adulteria, et nefandos concubitus, nam sunt prophanationes.

4869. Quia non novit quod nurus ejus illa, quod significet quod non apperciperet verum Ecclesiae Repraesentativae [21] esse, constat ex significatione nurus, quod sit Ecclesiae verum adjunctum ejus bono, de qua n: 4843; quod sit verum Ecclesiae repraesentativae, quod significatur, est quia per Thamarem, quae hic nurus, repraesentatur Ecclesia repraesentativa spiritualium et coelestium, n: 4829. 4831: de his videantur quae supra n: 4865. 4866. 4868, ostensa sunt.

4870. Et dixit, quid das mihi quod venias ad me, quod significet conjunctionis reciprocum cum conditione, constat ex significatione venire ad me, quod sit conjunctio, de qua n: 4820. 4868; quod sit reciprocum cum conditione, absque explicatione patet.

4871. Et dixit, ego mittam haedum caprarum de grege, quod significet pignus conjunctionis, constat ex significatione haedi caprarum, quod sit innocentia externi seu naturalis hominis, de qua n: 3519; et quia est innocentia, est pignus amoris conjugialis, seu pignus conjunctionis, amor enim conjugialis genuinus est innocentia, videatur n: 2736: inde erat receptum ab antiquis, cum intrarent e novo ad uxores suas, quod praemitterent haedum caprarum; ut quoque patet ab illis quae de Simsone memorantur in Libro Judicum, „Factum est post dies, in diebus messis tritici, *ut visitaret Schimschon uxorem suam cum haedo caprarum;* dixit namque, *intrabo ad uxorem meam* in conclave,“ XV: 1: hic similiter, sed quia haedus caprarum promissus non acceptandus erat, postulabat Thamar arrhabonem. Pignus conjunctionis dicitur, non pignus conjugiale, quia a parte Jehudae erat conjunctio qualis cum meretrice.

4872. Et dixit, si des mihi arrhabonem usque ad mittere te, quod significet reciprocum si certitudo, constat ab illis quae supra a Thamare dicta, „quid das mihi quod venias ad me," quod significent conjunctionis reciprocum cum conditione, n: 4870, hic reciprocum si certitudo, quia arrhabo erat certitudinis gratia ut promissum daretur.

4873. Quae arrhabo quam dabo tibi, quod significet quod certum, constat ex significatione arrhabonis, quod inde certitudo, de qua mox supra n: 4872; quod certum sit, patet etiam a nunc sequentibus, quod arrhabo data sit.

4874. Et dixit, sigillum tuum, quod significet tesseram consensus, constat ex significatione sigilli, quod sit tessera consensus; quod sigillum sit tessera consensus, est inde, quia per id antiquis temporibus confirmabantur decreta, quare per sigillum ipsa confirmatio proprie significatur, et testificatio quod ita esset. Quod Thamar pro arrhabone ut mitteretur haedus caprarum, quem postea non acceptabat, petierit ejus sigillum, panniculum et baculum, id involvit arcanum, quod absque sensu interno neutiquam sciri potest; arcanum est, quia haedus caprarum significabat conjugiale genuinum, consequenter internum, nam omne genuinum est simul internum, quod a parte Jehudae non erat, quapropter nec haedum caprarum acceptabat, ut patet a sequentibus, sed loco ejus assumsit externum, cum quo internum Ecclesiae, quod per Thamarem significatur, conjungeretur; externum Ecclesiae significatur per sigillum, panniculum, et baculum, per sigillum ipse consensus, per panniculum verum externum, et per baculum potentia illius veri; illa quoque sunt pignora conjunctionis externi seu naturalis hominis. Conjunctio veri interni [22] cum externo seu cum religioso gentis Judaicae, repraesentatur per conjunctionem Thamaris cum Jehudah, prout nurus cum socero sub praetextu leviratus, et conjunctio religiosi gentis Judaicae cum interno Ecclesiae repraesentatur per conjunctionem Jehudae cum Thamare sicut cum meretrice; conjunctiones etiam prorsus similiter se habent; sed quale illarum non ita ad captum explicari potest; patet id manifeste coram angelis et spiritibus bonis, sistitur enim illis in luce coeli, in qua arcana Verbi, sicut in clara die patent; secus ac in luce mundi, quae apud hominem: paucis modo dicendum;

repraesentativa quae apud posteros Jacobi instituta fuerunt, non fuerunt prorsus similia illis quae in Ecclesia Antiqua, fuerunt quoad plurimam partem similia illis quae in Ecclesia ab Ebero instituta, quae Ecclesia Hebraea dicta fuit, in hac fuerunt plures cultus novi, sicut holocausta et sacrificia, quae in Antiqua Ecclesia ignota fuerunt, praeter alia; cum his repraesentativis non ita conjunctum fuit internum Ecclesiae, sicut cum repraesentativis Ecclesiae Antiquae; quomodo autem internum Ecclesiae cum repraesentativis apud gentem Judaicam conjunctum fuit, et vicissim, hoc describitur in sensu interno per conjunctionem Thamaris cum Jehudah, prout nurus cum socero sub praetextu leviratus, et per conjunctionem Jehudae cum Thamare ut [23] cum meretrice: de Ecclesia Hebraea videatur n: 1238. 1241. 1327. 1343. 3031. 4516. 4517; et quod sacrificia in hac Ecclesia, non in Antiqua fuerint, n: 923. 1128. 1343. 2180. 2818.

4875. Panniculum tuum, quod significet per verum, nempe tessera consensus, constat a significatione panniculi, quod sit verum; quod panniculus sit verum, est, quia est inter illa quae ad vestes referuntur, et per vestes in genere significantur vera, ex causa quia sicut vestes investiunt carnem, ita vera bonum, n: 297. 2132. 2576. 4545. 4763; ideo apud antiquos unumquodvis, quo vestiebantur, aliquod speciale et particulare verum significabat; inde aliud tunica, aliud chlamys, aliud toga, etiam aliud indumenta capitis, ut cidaris et tiara; et aliud indumenta femorum et pedum, ut femoralia, tibialia, et sic porro; panniculus autem significabat verum extimum seu infimum; erat etiam ex filis contortis, per quae significantur veri talis determinationes: tale etiam verum significat panniculus apud Mosen „Omne vas apertum, super quo non operculum *panniculus*, immundum id" Num: XIX: 15; per quod significatum est, quod nihil indeterminatum erit, quod enim indeterminatum, hoc apertum est; sunt etiam extima vera, ad quae interiora vera determinantur, et in quibus terminantur.

4876. Et baculum tuum qui in manu tua, quod significet per potentiam ejus seu illius veri, constat ex significatione baculi, quod sit potentia, de qua sequitur; et ex significatione manus, quod etiam sit potentia, de qua n: 876. 3091. 3387.

3568: qui in manu tua dicitur, quia significatur potentia illius veri, nempe infimi, quale religioso gentis Judaicae, quae hic Jehudah: quod potentia praedicetur de vero, videatur n: 3091.

3569. Multoties in Verbo memoratur Baculus, et mirum quod vix aliquis hodie sciat, quod aliquid in spirituali mundo per illum repraesentatum sit, sicuti quod Moses jussus sit, quoties miracula fiebant, ut baculum tolleret, et quod etiam sic facta sint: quod id notum fuerit etiam inter gentiles, constare potest a fabulosis eorum, in quibus magis adscribuntur baculi; quod baculus potentiam significet, est quia sustentaculum est, sustentat enim manum et brachium, et per illa totum corpus, quapropter induit baculus significationem illius partis quam proxime sustentat, nempe manus et brachii, per utrumque nempe per manum et brachium, in Verbo significatur potentia veri; quod etiam manus et brachium correspondeat ei in Maximo Homine, videbitur ad finem Capitum. Quod per baculum repraesentata sit potentia, patet, ut dictum, ab illis quae de Mose memorantur, quod nempe „jussus sumere *Baculum*, quo facturus miracula: et quod sumserit *baculum Dei* in manu sua," Exod: IV: 17. 20: quod *Baculo* percussae aquae in Aegypto factae sanguis, Exod: VII: 15. 19; quod „*Baculo extenso* super flumina, productae ranae," Exod: VIII: 1 ad 11: quod „percusso pulvere *per Baculum* facti pediculi," Exod: VIII: 12 ad 16: quod „*Baculo extenso versus coelum* facta grando," Exod: IX: 23: quod „*Baculo extenso super terram* productae locustae," Exod: X: 3 ad 21; quia manus est principale, per quam significatur potentia, et baculus est instrumentale, ideo etiam „facta sunt miracula cum *extenderetur manus*," Exod: X: 12. 13; quod „*sublata manu versus coelum*, facta caligo super terra Aegypti," Exod: X: 21. 22; et „*extensa manu* super mare Suph, per ventum orientalem factum mare in siccum; et iterum *extensa manu* reversae aquae," Exod: XIV: 21. 26. 27. Porro „Petra Chorebi percussa *per Baculum*, effluxerunt aquae," Exod: XVII: 5. 6. Num: XX: 7. 8. 9. 10; cum „Joschua pugnaret contra Amalekum, dixit Moses ad Josuam, elige nobis viros, et exi, pugna cum Amaleck, cras ego stabo super capite collis, et erit *Baculus Dei in manu mea*: et factum, cum sustulit Moses *manum suam*, praevaluit Israël, et quando

dimisit *manum suam*, praevaluit Amaleck," Exod: XVII: 11. 12; ex his manifeste patet, quod baculus sicut manus repraesentaverit potentiam, et in supremo sensu omnipotentiam Divinam Domini; et quoque inde evidens est, quod eo tempore repraesentativa constituerint externa Ecclesiae, et quod interna, quae sunt spiritualia et coelestia qualia in coelo, illis corresponderint, et quod inde efficacia eorum; ex eo etiam patet, quantum insaniunt, qui credunt quod in baculo aliqua potentia fuerit, aut in manu Mosis, per infusionem. Quod baculus sit potentia in sensu spirituali, etiam patet a pluribus locis apud Prophetas, ut apud Esaiam „Ecce Dominus Jehovah Zebaoth removens ex Hierosolyma *Baculum* et *scipionem*, omnem *baculum panis*, et omnem *baculum aquae*," III: 1; baculus panis pro sustentaculo et potentia ex bono amoris, baculus aquae pro sustentaculo et potentia a vero fidei; quod panis sit bonum amoris, videatur n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735; et quod aqua verum fidei, n: 28. 680. 739. 2702. 3058. 3424; baculus panis similiter apud Ezechielem Cap: IV: 16. Cap: V: 16. Cap: XIV: 13. Psalm: CV: 16. Porro apud Esaiam „Dixit Dominus Jehovih Zebaoth, ne time, popule mi, habitator Zionis ab Aschure, *qui virga percutiet te*, et *baculum tollet super te* in via Aegypti. Excitabit contra illum Jehovah flagellum juxta plagam Midianis in petra Oreb, et *Baculus ejus super mari*, quem tollet in via Aegypti," X: 24. 26, ibi baculus pro potentia ex ratiocinatione et scientia, qualis est illorum qui ratiocinantur ex scientificis contra vera fidei, et illa pervertunt vel nihili faciunt; haec significantur per virgam qua Aschur percutiet, et per baculum quem tollet in via Aegypti; quod Aschur sit ratiocinatio, videatur n: 1186, et quod Aegyptus scientia n: 1164. 1165. 1186. 1462. Similiter apud Sachariam „Dejicietur superbia Aschuris, et *Baculus Aegypti* recedet," X: 11. Apud Esaiam „Confisus es super *baculo arundinis contusae*, super Aegypto; super qua quando quis nititur, intrat in manum ejus, et perforat illam," XXXVI: 6; Aegyptus pro scientificis, ut supra, potentia ex illis in spiritualibus est baculus arundinis contusae, manus quam intrat et perforat, est potentia ex Verbo. Apud Eundem „Confregit Jehovah *Baculum improborum*, *virgam dominantium*,"

XIV: 6; baculus et virga manifeste pro potentia. Apud Jeremiam „Dolete omnes circuitus Moabi, dicite, quomodo fractus est *baculus roboris*, *baculus decoris*," XLVIII: 17, [24] baculus roboris pro potentia ex bono, et baculus decoris pro potentia ex vero. Apud Hoscheam „Populus meus lignum suum interrogat, et *baculus ejus* respondet illi, quia spiritus scortationis seduxit," IV: 12, [25] interrogare lignum pro consulere mala, baculus respondet pro quod falsum inde, cui potentia ex malo quod confirmant; spiritus scortationis pro vita falsi ex malo. Apud Davidem „Etiam cum ambulavero in valle umbrae, non timebo mihi malum, quoniam Tu mecum, *virga tua* et *baculus tuus* consolantur me," Psalm: XXIII: 4, virga tua et baculus tuus, pro Divino vero et bono, quibus potentia. Apud Eundem „Non incumbet *baculus* impietatis super sorte justorum," Psalm: CXXV: 3. Apud Eundem „Conteres eos *virga ferrea*, sicut vasa figuli, disperges eos," Psalm: II: 9; virga ferrea pro potentia veri spiritualis in naturali, omne enim verum naturale in quo verum spirituale, habet potentiam; ferrum est verum naturale, n: 425. 426; similiter apud Johannem „Qui vicerit, et servaverit usque ad finem opera mea, illi dabo potestatem super gentes, ut *pascat eos virga ferrea*, sicut vasa figulina conterentur," Apoc: II: 26. 27; et quoque apud Eundem Cap: XII: 5. Cap: XIX: 15. Quia Baculus repraesentabat potentiam veri, hoc est, potentiam boni per verum, ideo sceptra fuerunt Regibus, et sceptra formata sicut baculi breves; per Reges enim repraesentatur Dominus quoad Verum, ipsum Regium est Divinum Verum, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3670. 4581, sceptrum est potentia illis non per dignitatem, sed per Verum quod imperabit, nec aliud verum quam quod ex bono, ita principaliter Divinum verum, et apud Christianos Dominus a Quo omne Divinum Verum.

4877. Et dedit illi, quod significet ita certum, constat ex significatione arrhabonis, quam Thamar petiit, et quae ei data est, quod sit certum, de qua supra, n: 4872. 4873.

4878. Et venit ad illam, quod significet conjunctionem, constat ex significatione venire seu intrare ad aliquam, quod sit conjunctio, de qua etiam supra n: 4820. [26] 4868. 4870.

4879. Et concepit ei, quod significet sic receptionem, con-

stat a significatione concipere, quod sit receptio, de qua n: 3860. 3868. 3919; sed qualis receptio, videatur supra n: 4874.

4880. Vers: 19. 20. 21. 22. 23. *Et surrexit et ivit, et removit peplum suum a super se, et induit vestes viduitatis suae. Et misit Jehudah haedum caprarum, in manu socii sui Adullamitae, ad accipiendum arrhabonem e manu mulieris, et non invenit illam. Et interrogavit viros loci illius, dicendo, ubi scortum illud in fontibus super via, et dixerunt, non fuit ibi scortum. Et reversus ad Jehudam, et dixit, non inveni illam, et etiam viri loci dixerunt, non fuit ibi scortum. Et dixit Jehudah, accipiat sibi, forte erimus contemtui, ecce misi haedum hunc, et tu non invenisti illam.* Surrexit, significat elevationem: et ivit, significat vitam: et removit peplum suum a super se, significat quod obscurum: et induit vestes viduitatis suae, significat intelligentiam: et misit Jehudah haedum caprarum, significat pignus conjugiale: in manu socii sui Adullamitae, significat per falsum: ad accipiendum arrhabonem e manu mulieris, significat loco pignorum externorum: et non invenit illam, significat quia non erat conjugiale a parte illius: et interrogavit viros loci illius, dicendo, significat quod consulerentur vera: ubi scortum illud, significat num falsum: in fontibus super via, significat quod apparuit sicut verum: et dixerunt, significat perceptionem a veris: non fuit ibi scortum, significat quod non falsum: et reversus ad Jehudam, significat reflexionem: et dixit, non inveni illam, significat quod a falso detegi hoc nequeat: et etiam viri loci dixerunt non fuit ibi scortum, significat perceptionem a veris quod non falsum: et dixit Jehudah, accipiat sibi, significat quod illi indifferens esset; forte erimus contemtui, significat tametsi id opprobrio: ecce misi haedum hunc, significat satis esse quod sit pignus: et tu non invenisti illam, significat si non sit conjugiale.

4881. Et surrexit, quod significet elevationem, constat ex significatione surgere, quod involvat aliquam elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103; elevatio, quae significatur per surgere, est in spirituali sensu a statu obscuro in clariorem, prout a statu ignorantiae in statum intelligentiae, sic enim elevatur homo a statu lucis mundi in statum lucis coeli.

4882. Et ivit, quod significet vitam, constat ex significatione ire, quod sit vivere, de qua n: 3335. 3690. Quod ire in sensu interno sit vivere, apparet quidem remotius seu abstractius a cogitationis ideis, in quibus est homo, et hoc ex causa, quia homo in spatio et in tempore est, et ab illis formaverat cogitationis suae ideas, sicut ideam de ire, progredi, proficisci, peregrinari, moveri; haec quia in spatio existunt, et quoque in tempore, et inde spatium et tempus ideis de illis injuncta sunt, ideo homo aegre capere potest, quod per illa significentur status vitae; at cum idea de illis sejungitur seu exuitur, tunc resultat spirituale quod significatur; nam in mundo spirituali seu in coelo non aliquid spatii et temporis intrat ideas, sed loco illorum quae sunt status vitae, n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3356. 3404. 3827. 4814; apparet quidem spiritibus et angelis, quod etiam progrediantur et moveantur a loco in locum, et quidem prorsus sicut apparet hominibus, sed usque sunt mutationes status vitae, quae apparentiam illam producunt; sicut apparet illis aeque ac hominibus, quod vivant a se, cum tamen non vivunt a se, sed a Divino Domini, a Quo omne vitae: hae apparentiae, cum apud Angelos, vocantur reales, quia apparent sicut realiter sint; quandoque cum spiritibus de his apparentiis loquutus sum, et qui non in bono sunt proinde nec in vero, non volunt audire quod apparentia sit, quod vivant a se, volunt enim ut vivant a se, sed praeter quod illis per vivam experientiam ostensum sit, quod non a se vivant, et quod progressiones a loco in locum sint mutationes et progressiones status vitae, etiam dictum est, quod satis illis esse possit, quod non aliter sciant quam quod vita illis sit ex se, et quod non plus habere possent, si foret illa in illis ex se; at quod usque praestet scire quomodo se res habet, quia tunc in vero sunt, et si in vero etiam in luce coeli sunt, nam lux coeli est ipsum verum quod a Divino Domini; ita quoque nec vindicarent sibi bonum, malum etiam sic nec adhaereret illis; angeli in illo vero sunt non solum scientia sed etiam perceptione. Quod tempora et spatia in mundo spirituali sint status vitae, et quod omne vitae sit a Domino, constare potest ab hac experientia; unusquisque spiritus et angelus ad dextram videt bonos et ad sinistram malos, et hoc ad quamcunvis plagam se vertit, si versus orientem spe-

etat, apparent ei ita boni et mali, similiter si ad occidentem, et quoque si ad meridiem vel ad septentrionem; ita apud unumquemque spiritum seu angelum; ut si bini essent, et unus eorum spectaret versus orientem et alter versus occidentem, usque utrisque apparent boni a dextris et mali a sinistris; similiter apparet illis qui sunt remoti ab illis qui videntur, etiamsi forent a tergo horum; inde manifeste concludi potest, quod omne vitae sit a Domino, seu quod Dominus sit in cujusvis vita, nam Dominus ibi ut sol apparet, et ab Ipsius dextris sunt boni seu oves, et ab Ipsius sinistris sunt mali seu hirci; inde simile est apud unumquemvis, ex causa ut dictum, quia Dominus est omne vitae: hoc non potest aliter quam ut paradoxon apparere homini, quia homo, quamdiu in mundo est, ideas ex mundanis habet, consequenter ex spatio et tempore, at in mundo spirituali, ut dictum supra, non sunt ideae ex spatio et tempore, sed ex statu affectionum et inde cogitationum; ex eo etiam est, quod spatia et tempora in Verbo significent status.

4883. Et removit peplum suum a super se, quod significet quod obscurum, nempe dissipatum sit, constat ex significatione obtegere se peplo, quod sit verum obscurare, de qua supra n: 4859, inde removere peplum est obscurum illud dissipare.

4884. Et induit vestes viduitatis suae, quod significet intelligentiam, constat ex significatione viduae, quod sit qui in vero absque bono est, sed usque desiderat per bonum duci, de qua supra n: 4844; et ex significatione vestium, quod sint vera, de qua n: 297. 2576. 4545. 4763; quod haec simul sumta significent intelligentiam, est quia non aliud quam vera faciunt intelligentiam, qui enim in veris sunt ex bono, illi in intelligentia sunt; mens enim intellectualis per vera ex bono in luce coeli est, et lux coeli est intelligentia, quia est Divinum Verum ex Divino Bono: porro, quod induere vestes viduitatis hic significet intelligentiam, est ex eo, quod vidua in genuino sensu sit qui in vero est, et desiderat per bonum duci in verum intelligentiae, ut quoque supra n: 4844, ostensum est, ita in intelligentiam. Ut sciatur, quomodo cum hoc se habet, paucis explicandum est; Verum apud hominem non est verum intelligentiae, priusquam ducitur per bonum, et cum ducitur per bonum tunc primum fit verum intelligentiae; verum enim non vitam

habet a se sed a bono, et tunc verum vitam habet a bono quando homo vivit secundum verum, tunc enim infundit se in velle hominis, et a velle in ejus agere, ita in totum hominem; verum, quod homo solum scit aut capit, hoc manet extra ejus voluntatem, ita extra ejus vitam, nam velle hominis est vita ejus; cum autem homo vult illud, tunc est verum in limine vitae ejus, at cum ex velle agit illud, tunc est verum in toto homine; cumque frequenter agit illud, tunc non solum ex habitu recurrit, sed etiam ex affectione, et sic ex libero: expendat, qui lubet, num aliquid imbuere possit hominem, nisi quod is ex velle agit; quod solum cogitat et non agit, et magis quod cogitat et non vult agere, hoc non aliter est, quam extra hominem, et quoque dissipatur sicut palea a minimo vento, etiam ita dissipatur in altera vita; inde scire potest, quid fides absque operibus. Ex his nunc patet, quid verum intelligentiae, quod nempe sit verum quod a bono; verum praedicatur de intellectu, et bonum de voluntate, seu quod idem, verum est doctrinae et bonum est vitae.

4885. Et misit Jehudah haedum caprarum, quod significet pignus conjugiale, constat a significatione hoedi caprarum, quod sit pignus amoris conjugialis seu pignus conjunctionis, de qua supra n: 4871.

4886. In manu socii sui Adullamitae, quod significet per falsum, constat ex repraesentatione Chirae Adullamitae, qui socius Jehudae, quod sit falsum, de qua n: 4817. 4854.

4887. Ad accipiendum arrhabonem e manu mulieris, quod significet loco pignorum externorum, constat ex significatione sigilli, panniculi et baculi, quae erant arrhabo, quod sint pignora conjunctionis externi seu naturalis hominis, ita pignora externa, de qua n: 4874.

4888. Et non invenit illam, quod significet quia non erat conjugiale a parte illius, nempe Jehudae, intrabat enim ad illam non ut ad uxorem sed ut ad meretricem, quapropter Thamar nec volebat haedum caprarum, per quem significabatur pignus conjugiale, n: 4885; et ne quidem erat genuinum conjugiale a parte Thamaris, erat enim sicut nurus cum socero sub praetextu leviratus; haec significantur per quod non invenit illam.

4889. Et interrogavit viros loci illius, quod significet quod consulerentur vera, constat a significatione interrogare, quod sit consulere; et a significatione virorum, quod sint vera, de qua n: 265. 749. 1007. [27] 3134. 3309 pr: viri loci sunt vera quoad illius rei statum, nam locus est status, n: 2625. 2837. 3356. 3387.

4890. Ubi scortum illud, quod significet num falsum, constat ex significatione scorti seu meretricis, quod sit falsum, de qua n: 4865.

4891. In fontibus super via, quod significet quod apparuit sicut verum, constat ex significatione fontium, quod sint vera Ecclesiae, de qua n: 2702. 3096. 3424. 4861; super via dicitur, quia via praedicatur de vero, ac in opposito sensu de falso, n: 627. 2333. 3123. 3142; et quia quaeritur, ubi scortum illud in fontibus super via, significatur num falsum quod apparuit sicut verum.

4892. Et dixerunt, quod significet perceptionem a veris, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509; quod sit perceptio a veris, est quia dixerunt viri loci, quod viri loci sint vera, videatur mox supra n: 4889.

4893. Non fuit ibi scortum, quod significet quod non falsum, constat a significatione scorti seu meretricis, quod sit falsum, ut supra n: 4890. Quid haec, quae hactenus quoad significationes vocum explicata sunt, in serie involvunt, patere aliqualiter potest ab illis quae supra n: 4865. 4868. 4874, dicta sunt; et praeterea sunt talia, quae non capi possunt, nisi sciatur qualis conjunctio est inter verum internum et externum Ecclesiae Judaicae, tam a parte veri interni quod repraesentatur per Thamarem, quam a parte externi quod repraesentatur per Jehudam; haec, quia inter ignota sunt, si ulterius explicarentur, caderent in umbram, ita in nullam intellectus ideam; intellectus enim, qui est visus interni hominis, habet suam lucem et suam umbram, in umbram ejus cadunt quae non coincidunt cum illis, de quibus prius aliquam notionem habuit; sed usque singula haec in serie, cum innumerabilibus quae ne quidem comprehendi possunt ab homine, in lucem intellectus an-

gelorum clare intrant; inde qualis et quanta est intelligentia angelica respective, patet.

4894. Et reversus ad Jehudam, quod significet reflexionem, constare potest ex eo, quod per Adullamitam socium Jehudae, significetur falsum, n: 4817. 4854. 4886, et cum de falso dicitur reverti et referre, ut hic socius Jehudae, quid acciderat, non aliud significatur quam revocatio in mentem, et reflexio quomodo se habet.

4895. Et dixit, non inveni illam, quod significet quod a falso detegi hoc nequeat, constat ex significatione non inveni, quod sit non detexisse, et quia hoc dicit Adullamita, per quem significatur falsum, ut supra n: 4894, inde sequitur quod per dixit non inveni illam, significetur quod falsum non potuerit detegere id, seu quod a falso detegi hoc nequeat.

4896. Et etiam viri loci dixerunt, non fuit ibi scortum, quod significet perceptionem a veris quod non falsum, constat ex illis mox supra, n: 4892. 4893, ubi similia verba.

4897. Et dixit Jehudah, accipiat sibi, quod significet quod illi indifferens esset; constare potest ex affectione in his verbis, quod sit indignatio et inde indifferentia.

4898. Forte erimus contemtui, quod significet tametsi id opprobrio, constat ex significatione esse contemtui, quod sit opprobrio.

4899. Ecce misi haedum hunc, quod significet satis esse quod sit pignus, constat ex significatione haedi caprarum, quod sit pignus amoris conjugialis seu conjunctionis, de qua n: 4871, hic modo pignus, quia non acceptatus est haedus, ex causa, de qua prius, quod non esset conjugiale; et quia ex illa causa, idcirco per tu non invenisti illam, significatur si non sit conjugiale, hoc etiam profluit ex indifferentia, de qua n: 4897. Haec ulterius explicare, supersedetur ex causa de qua supra n: 4893, quod nempe caderent in umbram intellectus, et quae in umbram illam, etiam in non fidem cadunt; sicut quod conjugiale erit ut sit Ecclesia, nempe conjugiale inter verum et bonum, et quoque quod internum erit in externo, et quod absque illis duobus nihil Ecclesiae sit; de his, qualia fuerunt in Ecclesia Judaica, in sensu interno hic agitur, quod nempe respective ad gentem illam non aliquod internum fuerit in externo, sed respe-

ctive ad ipsa statuta et leges abstracte a gente, quod fuerit. Quis hodie aliter credit, quam quod apud gentem Judaicam Ecclesia fuerit, imo quod gens illa prae reliquis electa et amata fuerit, et hoc imprimis ex causa, quia tot et tanta miracula apud illam facta fuerunt, et quia tot ad illam prophetae missi, et quoque quia apud illam Verbum fuit; cum tamen gens illa in se nihil Ecclesiae habuit, in nulla enim charitate fuit, quid genuina charitas prorsus non scivit, in nulla etiam fide in Dominum fuit, venturum Illum novit, sed ut eveheret illos supra omnes in universo, at quia hoc non factum, Ipsum prorsus rejecit, de Regno Ipsius coelesti nihil scire voluit; haec quae sunt interna Ecclesiae, gens illa ne quidem doctrina agnovit, minus vita; ex his solum concludi potest, quod nihil Ecclesiae in illa gente fuerit: aliud est, quod Ecclesia sit apud gentem, et aliud quod Ecclesia sit in gente; ut pro exemplo, Ecclesia Christiana est apud illos qui Verbum habent, et ex doctrina praedicant Dominum, sed usque nihil Ecclesiae est in illis, nisi in conjugio boni et veri sunt, hoc est, nisi in charitate erga proximum, et inde in fide, ita nisi interna Ecclesiae sint in externis; qui solum in externis separatis ab internis sunt, in illis non est Ecclesia; qui quoque in fide separata a charitate, in illis nec est Ecclesia; qui agnoscunt Dominum ex doctrina, et non vita, in illis nec est Ecclesia; inde patet, quod aliud sit, quod Ecclesia sit apud gentem, et aliud quod sit in gente; in sensu interno in hoc Capite agitur de Ecclesia apud gentem Judaicam, et in gente illa; qualis Ecclesia apud illam gentem fuerit, describitur per conjunctionem Thamaris cum Jehudah sub praetextu leviratus, et qualis Ecclesia in illa gente fuerit, per conjunctionem Jehudae cum Thamare ut cum meretrice; sed specialius illa exponere, supersedetur ob causam de qua supra, caderent enim, ut dictum, in umbram intellectus; quod umbra intellectus in his sit, constare potest ex eo, quod hodie vix aliquis sciat quid internum Ecclesiae; quod sit charitas erga proximum in velle, et a velle in agere, et inde fides in percipere, quis hoc novit; cum hoc nescitur, et magis cum negatur, ut fit ab illis qui fidem absque charitatis operibus salvificam faciunt, in quam non umbram caderent illa quae de conjunctione interni cum Externo Ecclesiae apud gentem Judaicam et in gente illa hic in sensu interno

dicuntur: qui non sciunt quod id internum ac ita essentiale Ecclesiae sit, remotissimi stant a primo gradu ad intelligendum talia, proinde ab innumerabilibus et ineffabilibus, quae sunt in coelo, ubi illa quae sunt amoris in Dominum et amoris erga proximum, sunt omne vitae, proinde omne sapientiae et intelligentiae.

4900. Vers: 24. 25. 26. *Et fuit circiter a tribus mensibus, et indicatum Jehudae, dicendo, scortata Thamar nurus tua, et etiam ecce gravida ad scortationes, et dixit Jehudah, educite illam, et comburatur. Illa educta, et illa misit ad socerum suum, dicendo, viro, cui haec, ego gravida, et dixit, agnosce quaeso, cui sigillum et panniculus et baculus, haec. Et agnovit Jehudah, et dixit, justa prae me, quia propterea quod non dedi illam Schelae filio meo; et non addidit amplius cognoscere illam.* Fuit circiter a tribus mensibus, significat statum novum: et indicatum Jehudae, significat communicationem: dicendo, scortata Thamar nurus tua, significat perceptionem tunc quod falsum sit quod aliquod conjugiale intercedat: et etiam ecce gravida ad scortationes, significat et quod inde aliquid produci queat: et dixit Jehudah, significat sententiam a religioso in quo gens Judaica: educite illam et comburatur, significat quod exstirpandum: illa educta, significat prope effectum: et illa misit ad socerum suum, significat insinuationem: dicendo, viro, cui haec, ego gravida, significat quod religioso illorum tale inesset: et dixit, agnosce quaeso, cui sigillum et panniculus et baculus, haec, significat quod id cognosceretur ex pignoribus: et agnovit Jehudah, significat quia suum quod affirmaret: et dixit, justa prae me, significat quod conjunctio externi cum interno nulla, sed interni cum externo: quia propterea quod non dedi illam Schelae filio meo, significat quia externum tale: et non addidit amplius cognoscere illam, significat quod nulla conjunctio magis.

4901. Fuit circiter a tribus mensibus, quod significet statum novum, constat a significatione trium, quod sint completum, et inde ultimum et simul primum, seu finis et simul principium, de qua n: 1825. 2788. 4495; et a significatione mensis, quod sit status, de qua n: 3814; omnia enim tempora in sensu interno significant status, sicut hora, dies, septimana,

mensis, annus, saeculum, et quoque tempora temporum, sicut meridies, vespera, nox, mane, quae sunt tempora diei, et sicut aestas, autumnus, hyems, ver, quae sunt tempora anni, et quoque tempora aetatis, ut infantia et pueritia, adolescentia, adulta aetas, senectus, haec omnia et plura significant status; quid status videatur n: 4850. Quod tempora significent status, est quia tempora non dantur in altera vita; apparet quidem progressio vitae spirituum et angelorum sicut in tempore, sed nulla est cogitatio ex illis, sicut est hominibus in mundo, sed cogitatio est ex statibus vitae, et hoc absque notione temporum; causa etiam est, quia vitae eorum progressiones non distinctae sunt in aetates, ibi enim non senescunt, et quia ibi non sunt dies et anni, quia Sol ibi, qui est Dominus, semper oritur et nusquam occidit, inde est quod nulla notio temporis ingrediatur cogitationes eorum, sed notio status et ejus progressionum; ex illis quae sunt et existunt coram sensibus, capiuntur notiones. Haec non possunt non apparere sicut paradoxon, sed ex causa, quia homo in singulis ideis suae cogitationis aliquid ex tempore et spatio adjunctum habet, inde ejus memoria et reminiscentia, et quoque inde ejus cogitatio inferior, cujus ideae vocantur materiales; sed illa memoria, ex qua tales ideae, in altera vita quiescit, sunt ibi in memoria interiore, ac in ejus cogitationis ideis, cogitatio ex hac memoria non sibi adjuncta habet tempora et spatia, sed loco illorum status et eorum progressiones; inde quoque est, quod correspondeant, et quia correspondent quod tempora in Verbo significent status: quod homini memoria exterior sit, quae propria ei in corpore, et quod etiam memoria interior, quae propria ejus spiritui, videatur n: 2469 ad 2494. Quod circiter a tribus mensibus significet statum novum, est quia per menses in quos etiam tempora in mundo distincta sunt, significatur status, et quia per tres significatur ultimum et simul primum, seu finis et simul principium, ut supra dictum; in mundo spirituali quia est continua progressio statuum ab uno in alterum, consequenter in cujusvis status ultimo seu fine est primum seu principium, inde continuum, idcirco per circiter a tribus mensibus significatur status novus: similiter etiam se habet in Ecclesia, quae est mundus spiritualis seu Regnum Domini in tellure, Ecclesiae ultimum apud unam gentem est semper Ec-

clesiae primum apud aliam: quia ultimum sic continuatur in primum, ideo aliquoties de Domino dicitur, quod sit Ultimus et Primus, ut Esai: XLI: 4. Cap: XLIV: 6. Apoc: XXI: 6. Cap: XXII: 13, et per illud in sensu respectivo significatur perpetuum, et in sensu supremo aeternum.

4902. Et indicatum Jehudae, quod significet communicationem, constat ex significatione indicari, quod sit communicatio, de qua supra n: 4856.

4903. Dicendo, scortata Thamar nurus tua, quod significet perceptionem tunc quod falsum sit quod aliquod conjugiale intercedat, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua supra n: 4892; ex significatione scortari, quod sit falsum, de qua n: 2466. 2729. 3399. 4865; ex repraesentatione Thamaris, quod sit internum Ecclesiae repraesentativae, de qua etiam supra n: 4864; et ex significatione nurus, quod sit Ecclesiae verum, de qua n: 4843. 4869; inde per illa verba, « dicendo scortata Thamar nurus tua, » significatur perceptio tunc quod falsum sit quod conjugiale intercedat: quomodo haec se habent in serie, videatur supra n: 4864. 4865. 4866; quod nempe Gens Judaica ex religioso suo non aliter perceperit internum Ecclesiae quam sicut scortum, et ejus praedicationem et vitam secundum illam, quam sicut scortationem; qui enim in solo externo absque interno sunt, non aliter considerant Ecclesiae internum, vocant enim id falsum quod est verum, et id verum quod est falsum; causa est, quia nemo videre potest a solo externo num falsum aut verum *sit*, sed ab interno, erit visus internus qui Judicabit de illis quae sunt visus externi, et visus internus, ut Judicet de illis quae sunt visus externi, [28] omnino erit in luce coeli, et in luce coeli non est nisi sit in fide in Dominum, et ex illa fide legat Verbum. Quod gens Judaica in externo absque interno fuerit, et ideo crediderit verum esse falsum, ac vicissim, patet manifeste a doctrinali eorum, quod liceret inimicum odisse, et quoque a vita quod oderint omnes qui non ex religioso eorum fuerunt; imo quod crediderint beneplacuisse et servivisse Jehovae, cum immaniter et crudeliter tractarent gentes, nempe corpora eorum, cum trucidati, exponerent feris et avibus devoranda, vivos secarent serris, scinderent ferri tribulis et securibus, transmitte-

rent per fornacem lateritiam, II Sam: XII: 31; imo etiam secundum doctrinalia eorum fuit, paene similiter tractare socium, qui ob aliquam causam declaratus fuit hostis; inde satis constare potest, quod nihil interni fuerit in religioso eorum; si quis tunc dixisset illis, quod talia contra internum Ecclesiae essent, respondissent quod hoc falsum: quod solum in externis fuerint, et prorsus nesciverint quid internum, et vitam egerint contra internum, patet etiam ab illis quae Dominus docet apud Matthaeum Cap: V: Vers: 21 ad 48. [29]

4904. Etiam ecce gravida ad scortationes, [quod] significet et quod inde aliquid produci queat, constat ex significatione in utero gestare seu gravida esse, quod sit aliquid producere; per semen enim significatur verum fidei, perque conceptionem ejus receptio, inde per gestare utero seu gravida esse significatur producere; et ex significatione scortationis, quod sit falsum, nempe ex religioso eorum, ut supra n: 4903, inde patet, quod per „dicendo, scortata Thamar nurus tua, etiam ecce gravida ad scortationes," significetur perceptio quod falsum sit quod aliquod conjugiale intercedat, et quod inde aliquid produci queat; produci cum praedicatur de Ecclesia, est bonum quod producitur per verum, et tunc producitur cum verum per intellectum transit in voluntatem, et a voluntate in actum, semen enim est, ut supra dictum, verum fidei, et conceptio est receptio, et tunc fit receptio cum verum quod est intellectus transit in bonum quod est voluntatis, seu cum verum quod est fidei transit in bonum quod est charitatis, cumque in voluntate est, in suo utero est, et tunc primum producitur; cumque homo actu in bono est, hoc est, cum ex voluntate ita ex jucundo et libero, producit bonum, tunc ex utero exit seu nascitur; quod etiam intelligitur per renasci seu regenerari; inde patet, quid in sensu spirituali per gravida esse significatur; hic autem contrarium, quod nempe nihil boni produci posset, gens enim illa, de qua hic agitur, non fuit in aliquo vero, quia non in aliquo interno Ecclesiae, sed in falso. Quod renasci seu regenerari, hoc est, internus homo fieri, genti illi prorsus ignotum fuerit, proinde id visum ei sicut scortum, constare potest ex Nicodemo, qui fuit princeps Judaeorum, Joh: III: 1 ad 13, dixit enim, quomodo potest homo generari cum senex est, num potest in ute-

rum matris suae secundo ingredi, Vers: 4. Notum est, quod Dominus aperuerit interna Regni sui et Ecclesiae, sed usque interna illa antiquis nota fuerunt, sicut quod renasceretur homo ut intrare posset in vitam, quod tunc exueret veterem hominem, hoc est, amores sui et mundi cum eorum concupiscentiis, ac indueret novum, hoc est, amorem erga proximum et in Deum, tum quod in regenerato coelum esset, et plura quae interna sunt; haec noverunt illi qui ab Ecclesia antiqua fuerunt, sed ducebantur per externa, quae fuerunt repraesentativa, ad illa; at quia talia prorsus deperdita fuerunt apud gentem Judaicam, ideo Dominus docuit illa, sed ipsa repraesentativa abolevit, quia maxima illorum pars spectabat Ipsum, imago enim evanescet cum ipsa effigies apparet; instauravit itaque novam Ecclesiam, quae non sicut prior, duceretur per repraesentativa ad interna, sed quae absque repraesentativis illa sciret; et loco illorum solum aliqua externa mandavit, nempe Baptismum et Sanctam Coenam, Baptismum ut per illum recordarentur regenerationis, et Sanctam Coenam, ut per illam recordarentur Domini ac Ipsius amoris erga universum Genus humanum, et reciproci hominis in Ipsum: haec dicta sunt, ut sciatur, quod interna Ecclesiae, quae Dominus docuit, antiquis nota fuerint, sed quod apud Gentem Judaicam prorsus deperdita, usque adeo ut non aliter spectarentur quam sicut falsa.

4905. Et dixit Jehudah, quod significet sententiam a religioso in quo Gens Judaica, constat ex repraesentatione Jehudae, quod sit religiosum gentis Judaicae, de qua n: 4864, quod sit sententia ab illo, patet a nunc sequentibus.

4906. Educite illam et comburatur, quod significet quod extirpandum, nempe internum Ecclesiae quod per Thamarem repraesentatur, constat ex significatione educere illam et comburere, quod sit exstirpare, educere praedicatur de vero, et comburere de bono, quae extirpanda: quod comburere praedicetur de extirpatione boni, constat a pluribus locis in Verbo; hoc inde est, quia ignis ac flamma in spirituali sensu est bonum, et inde calor est affectio boni; ac in opposito sensu ignis et flamma est malum, et inde calor est affectio mali, n: 1297. 1861. 2446; etiam bonum actualiter est ignis spiritualis, ex quo calor spiritualis qui vivificat, et malum est ignis et inde calor qui

consumit: quod bonum amoris sit ignis spiritualis, et quod affectio illius boni sit calor spiritualis, constare potest manifeste ei qui attendit et reflectit, si enim reflectit unde ignis et calor vitalis homini, comperiet quod ex amore, ut primum enim cessat amor, etiam frigescit homo, et quo magis in amore est eo magis calescit; nisi ex illa origine foret vitale hominis, nequaquam potuisset vitam habere; sed ignis ille seu calor spiritualis, qui facit vitam, fit ignis comburens et consumens apud malos, vertitur enim apud illos in talem: apud animalia rationis expertia, etiam calor spiritualis influit et facit vitam, sed vitam secundum receptionem in formis eorum organicis, inde illis scientiae et affectiones connatae, ut apibus et reliquis.

4907. Illa educta, quod significet prope effectum, nempe quod extirparetur, constare potest ex significatione educi et comburi, quod sit exstirpari, de qua mox supra n: 4906, hic ideo educta ad comburendum, est prope effectum ut exstirparetur.

4908. Et illa misit ad socerum suum, quod significet insinuationem, quod nempe ab illo gravida, constat ex serie, ex qua hic sensus resultat.

4909. Dicendo, viro, cui haec, ego gravida, quod significet quod religioso illorum tale inesset, constat a repraesentatione Jehudae, qui hic vir, quod sit religiosum gentis Judaicae, de qua n: 4864. 4905; et ex significatione in utero gestare seu gravida esse, quod sit produci, de qua n: 4904, hic autem inesse, nam quod productum est, id inest, nempe id quod conceptum: productum hoc est primus effectus, qui quia est efficiens vocatur causa, ex qua ulterior effectus, de quo supra [n:] 4904. Quid religioso illorum inesset, constare potest ab illis quae supra n: 4899, dicta sunt, et quoque ex illis quae sequuntur.

4910. Et dixit, agnosce quaeso cui sigillum et panniculus et baculus, haec, quod significet quod id cognosceretur ex pignoribus, constat ex significatione sigilli, panniculi et baculi, quod sint pignora conjunctionis externi seu naturalis hominis, de qua n: 4874. 4887.

4911. Et agnovit Jehudah, quod significet quia suum quod affirmaret, constat a significatione agnoscere, quod sit affirmare, et hoc quia ex pignoribus agnovit quod suum esset. Describitur

hic genius illius gentis, qui talis est, quod tametsi internum Ecclesiae sicut falsum rejicit, usque tamen cum insinuatur ei quod illius sit, acceptet et affirmet; qui in sorde amorum sunt, hoc est, in avaritia, et simul in amore sui, ut haec gens est, non possunt elevare mentis intuitionem, et videre verum aliunde quam ex se, quapropter cum illis tribuitur, tunc affirmant; sicut pro exemplo, si illis dicitur quod Verbum in se Divinum sit, et contineat arcana coeli, et quoque talia arcana quae solum ab angelis comprehendi possunt, hoc verum affirmant, quoniam verbum faciunt suum, quia fuit ad illos, apud illos, et in litera de illis, sed ipsa arcana seu vera spiritualia, si illis detegantur, rejiciunt: Si illis dicitur, quod ritualia Ecclesiae eorum omnia sancta fuerint in se, hoc verum affirmant, quia ritualia illa sua faciunt; sed si dicitur, quod sancta illa fuerint in ritualibus separata ab illis, hoc negant: Si illis dicitur, quod Ecclesia Judaica fuerit coelestis et Ecclesia Israëlitica spiritualis, et si illis explicatur quid coeleste et quid spirituale, id quoque affirmarent; sed si diceretur, quod Ecclesiae illae dicantur coelestes et spirituales ex eo, quod singula ibi repraesentaverint coelestia et spiritualia, et quod repraesentativa spectent rem non personam, id negant. Si illis dicitur, quod in baculo Mosis fuerit potentia a Jehovah, ita potentia Divina, id affirmant et vocant verum; at si illis dicitur, quod potentia illa non fuerit in baculo, sed solum in mandato Divino, hoc negant et vocant falsum: Si illis dicitur, quod serpens aeneus a Mose erectus sanaverit illos qui mordebantur a serpentibus, et sic quod miraculosus fuisset, id affirmant; sed si dicitur, quod non fuerit sanans et miraculosus in se, sed ex Domino qui repraesentabatur, id negant et vocant falsum; conferantur quae de serpente relata et dicta sunt, Num: XXI: 7. 8. 9. II Reg: XVIII: 4. Johan: III: 14. 15: similiter in reliquis. Talia sunt, quae significantur per quod agnovit Jehudah, et quae a parte gentis per illum significatae conjungebantur cum interno Ecclesiae, quod per Thamarem repraesentatur; et quia talia fuerunt, non intravit Jehudah ad illam ut levir ad uxorem, sed ut scortator ad meretricem.

4912. Et dixit, justa prae me, quod significet quod conjunctio externi cum interno nulla, sed interni cum externo, constat ex illis quae de Ecclesia apud gentem Judaicam, et in illa

gente, supra n: 4899, dicta sunt, quod nempe apud illam gentem fuerit Ecclesia, hoc est, internum conjunctum cum externo, sed in illa gente Ecclesia nulla, hoc est, externum non conjunctum cum interno; ut enim Ecclesia sit in gente, erit reciprocum.

4913. Quia propterea quod non dedi illam Schelae filio meo, quod significet quia externum tale, constare potest ex illis quae prius explicata sunt, quod nempe Thamar non potuerit dari Schelae filio Jehudae, quia sic conjunctio fieret sicut uxoris cum marito secundum legem de leviratu, et tamen religiosum gentis Judaicae, quod repraesentaretur, non fuit tale, sed fuit qualis est conjunctio soceri cum nuru ut cum meretrice.

4914. Et non addidit amplius cognoscere illam, quod significet quod nulla conjunctio magis, constat ex significatione cognoscere, quod sit conjungi; et ex significatione non addidit amplius, quod sit quod non magis, proinde quod non cum interno Ecclesiae magis ulla conjunctio; per Thamarem enim internum Ecclesiae repraesentatur: eapropter etiam nec Jehudae plures filii fuerunt.

4915. Vers: 27. 28. 29. 30. *Et factum in tempore parere illam, et ecce gemini in utero illius. Et factum in parere illam, et dedit manum, et accepit obstetrix, et ligavit super manu ejus dibaphum, dicendo, hic exivit prius. Et factum, sicut reducit manum suam, et ecce exivit frater ejus, et dixit, quid rupisti super te rupturam, et vocavit nomen ejus Perez. Et postea exivit frater ejus, cujus super manu dibaphum, et vocavit nomen ejus Serach.* Factum in tempore, significat statum sequentem: parere illam, significat agnitionem a parte veri interni: et ecce gemini in utero illius, significat quod utrumque Ecclesiae: et factum in parere illam, significat productionem: et dedit manum, significat potentiam: et accepit obstetrix, significat naturale: et ligavit super manu ejus dibaphum, significat quod signaret illam, dibaphum est bonum: dicendo, hic exivit prius, significat quod ei prioritas: et factum, sicut reducit manum, significat quod potentiam suam occultaret: et ecce exivit frater ejus, significat boni verum: et dixit, quid rupisti super te rupturam, significat separationem ejus a bono apparenter: et vocavit nomen ejus Perez, significat quale: et postea exivit fra-

ter ejus, significat bonum actualiter prius: cujus super manu dibaphum, significat agnitionem quod bonum: et vocavit nomen ejus Serach, significat quale.

4916. Factum in tempore, quod significet statum sequentem, constat ex significatione temporis, quod sit status, de qua n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3827. 4882. 4901; quod factum in tempore sit status sequens, patet, quia quid factum nunc sequitur, videatur etiam n: 4814.

4917. Parere illam, quod significet agnitionem a parte veri interni, constat ex significatione parere, quod sit agnoscere fide et actu, de qua n: 3905. 3915. 3919; et ex repraesentatione Thamaris, quae hic est illa, quod sit internum Ecclesiae repraesentativae, proinde verum internum.

4918. Et ecce gemini in utero illius, quod significet quod utrumque Ecclesiae, constat ex significatione geminorum, quod sint utrumque, nempe bonum et verum, de qua n: 3299; et ex significatione uteri, quod sit ubi conceptum jacet bonum et verum, proinde ubi id quod est Ecclesiae; uterus in genuino sensu significat intimum amoris conjugialis in quo innocentia, quia uterus correspondet illi amori in Maximo homine; et quoniam amor conjugialis originem ducit ab amore boni et veri, qui est conjugii coelestis, et hoc conjugium est ipsum coelum seu Regnum Domini, et Regnum Domini in terris est Ecclesia, ideo per uterum etiam significatur Ecclesia; Ecclesia enim est ubi est conjugium boni et veri: inde est, quod aperire uterum sit inde doctrinae Ecclesiarum, n: 3856, ut et facultas recipiendi vera et bona quae sunt Ecclesiae, n: 3967; et ex utero exire, quod sit renasci seu regenerari, n: 4904, hoc est, Ecclesia fieri, qui enim renascitur seu regeneratur, is fit Ecclesia: quia per exire ex utero, significatur renascentia, et inde Ecclesia, Dominus in Verbo vocatur Formator ab utero, Eductor ab utero, et illi qui regenerati sunt et facti Ecclesia, dicuntur portati ab utero; ut apud Esaiam, „Sic dixit Jehovah, Factor tuus, *Formator tuus ab utero,* adjuvat te," XLIV: 2: apud Eundem, „Sic dixit Jehovah, Redemptor tuus, et *Formator tuus ab utero,*" XLIV: 24: apud Eundem, „Dixit Jehovah, *Formator meus ab utero in servum suum*, ad reducendum Jacobum ad Ipsum, et Israël Ipsi congregetur," XLIX: 5: apud Davidem, „Je-

hovah *Eductor meus ab utero,*» Psalm: XXII: [10.] 11. Apud Esaiam, «Attendite ad Me domus Jacobi, et omnes reliquiae domus Israëlis, *portati ab utero*, et lati a vulva,» XLVI: 3. Apud Davidem, «Abalienati sunt impii *ab utero*, et aberrant *a ventre* verbis mendacii,» Psalm: LVIII: 4, ubi abalienari ab utero est a bono quod est Ecclesiae, et aberrare a ventre est a vero. Apud Hoscheam, «Dolores parturientis venient illi, ille filius non sapiens, quia tempore *non stat in utero filiorum*,» XIII: 13; non stare in utero filiorum, pro non in bono veri quod est Ecclesiae. Apud Eundem, «Sicut avis avolabit gloria eorum, *a Partu*, *a Ventre*, et *a Conceptione*,» IX: 11, pro quod prorsus peribit verum Ecclesiae, a partu quod natum, a ventre quod gestatum, a conceptione quod ortum. Apud Esaiam, «Novi perfide agendo perfide acturus esses, et *praevaricatoris ab utero* vocatum tibi,» XLVIII: 8, pro quod a primo Ecclesiae talis. Apud Johannem, «Signum magnum visum est in coelo, Mulier circumdata solem, et luna sub pedibus ejus, et super capite ejus corona stellarum duodecim: in *ventre autem gerens,* clamavit parturiens, et cruciata ad pariendum,» Apoc: XII: 1. 2; mulier est Ecclesia, n: 252. 253. 255; sol quo circumdata, est bonum amoris, n: 30 ad 38. [30] 1529. 1530. 2441. 2495. 4060. 4696; luna quae sub pedibus, est verum fidei, n: 30 ad 38. 1529. 1530. 2120. 2495. 4696; stellae sunt cognitiones boni et veri, n: 2495. 2849. 4697; [31] quod stellae duodecim, est quia duodecim sunt omnia, ita omnia fidei, n: 577. 2089. 2129 f. 2130 f. 3272. 3858. 3913; in ventre gerens, est verum Ecclesiae conceptum; parturiens et cruciata ad pariendum, est quod difficulter receptum.

4919. Et factum in parere illam, quod significet productionem, constat ex significatione parere, quod sit agnoscere fide et actu, de qua n: 3905. 3915. 3919; et quia quod agnoscitur fide et actu, id producitur, ideo per parere etiam significatur productio, nempe boni et veri, quae sunt Ecclesiae.

4920. Et dedit manum, quod significet potentiam, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387.

4921. Et accepit obstetrix, quod significet naturale, constat a significatione obstetricis, quod sit naturale, de qua n:

4588; [32] quomodo haec se habent, patebit a sequentibus. Quod obstetrix in spirituali mundo aliud significet quam in mundo naturali, constare potest ex eo, quod omnia quae sunt partus, consequenter quae sunt obstetricatus, ibi non sint, inde patet, quod angeli, qui apud hominem, cum is legit haec verba, loco obstetricis aliud quippiam percipiant, et quidem quod spirituale est; proinde quia angeli ideas suas tenent in illis quae sunt partus spiritualis, idcirco per obstetricem percipiunt id quod adjuvit et excipit partum illum, quod hoc sit naturale, prius n: 4588 [32] ostensum videatur.

4922. Et ligavit super manu ejus dibaphum, quod significet quod signaret illam, nempe potentiam, et quod dibaphum sit bonum, constat ex significatione ligare super manu, quod sit signare potentiam, manus enim est potentia, n: 4920; et ex significatione dibaphi, quod sit bonum, et quidem bonum spirituale; quod dibaphum sit bonum spirituale, est quia coloris est coccinei, et color coccineus in altera [vita], cum apparet, significat bonum spirituale, hoc est, bonum charitatis erga proximum; omnes enim colores in altera vita conspicui significant aliquid boni ac veri, nam existunt a luce coeli, quae in se est sapientia et intelligentia a Divino Domini; illius lucis variegationes seu modificationes sunt inde variegationes, ac ut ita dicatur, modificationes sapientiae et intelligentiae, proinde boni et veri, quod lux quae in coelo, sit ex sapientia et intelligentia Divina Domini, Qui ibi apparet ut Sol, videatur n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3225. 3337. 3339. 3340. 3485. 3636. 3643. 3862. 3993. 4180. 4214. [33] 4302. 4405. 4408. 4413. 4415. 4523 ad 4533: quod colores sint inde, et quod illi sint variegationes et modificationes lucis illius, proinde intelligentiae et sapientiae, n: 1042. 1043. 1053. 1624. 3993. 4530. 4677. 4742. Quod dibaphum sit bonum spirituale, patet a locis in Verbo, ubi nominatur, ut apud Jeremiam, „Si ergo vastata, quid facies; *si indueris te dibapho*, et ornaveris te ornatu auri, frustra pulchram reddes te, abhorrebunt te amatores," IV: 30; ibi de Jehudah, induere te dibapho pro bono spirituali, ornare ornatu auri pro bono coelesti. In Libro II Samuelis, „Lamentatus David super Schaule et super Jonathane, et inscripsit ad docen-

dum filios Jehudae arcum; Filiae Israëlis super Schaule flete, *qui amicivit vos dibapho* cum delitiosis, et imposuit ornatum auri super vestem vestram," I: 24; ibi docere arcum, est docere doctrinam amoris et charitatis, arcus enim illam significat; amicire dibapho pro bono spirituali, ut prius, et imponere ornatum auri super vestem pro bono coelesti. Quia illa significatio dibaphi fuit, etiam mandatum est, ut dibaphum coccineum adhiberetur super aulaeis habitaculi, super velo, super tegumento pro ostio tentorii, super tegumento ad portam atrii, super mensa facierum cum proficiscerentur, super Aharonis vestibus sanctitatis, ut super ephodo, pectorali judicii, super fimbriis pallii ephodi; super aulaeis habitaculi „Pro Habitaculo facies decem aulaea, xylinum intertextum, et hyacinthinum, et purpuram, et *coccineum dibaphum*," Exod: XXVI: 1. Super Velo „Facies Velum hyacinthino et purpura, et *coccineo dibapho,* et xylino intertexto," Exod: XXVI: 31. Super tegumento pro ostio tentorii „Facies tegumentum pro ostio tentorii, hyacinthino et purpura et *coccineo dibapho*, et xylino intertexto," Exod: XXVI: 36. Super tegumento ad portam atrii „Pro porta atrii facies tegumentum ex hyacinthino, et purpura, et *coccineo dibapho,* et xylino intertexto, opere acupictoris," Exod: XXVII: 16. Super mensa facierum cum proficiscerentur „Cum proficiscuntur castra, expandent super mensam facierum pannum *coccinei dibaphi*, et operient tegumento pellis melis," Num: IV: 8. Super ephodo „Facies ephodum ex auro, hyacinthino, et purpura, et *coccineo dibapho*, xylino intertexto, opere artificis. Super baltheo similiter," Exod: XXVIII: 5. 6. 8. Super pectorali judicii „Facies pectorale judicii, opere artificis, sicut opus ephodi, ex Auro, hyacinthino, et purpura, et *coccineo dibapho,* et xylino intertexto" Exod: XXVIII: 15. Super fimbriis pallii ephodi, „malogranata hyacinthini, et purpurae, et *coccinei dibaphi*" Exod: XXVIII: 33; Tentorium conventus cum Arca quia repraesentabat coelum, idcirco illi colores mandati sunt, qui significabant in suo ordine coelestia et spiritualia ibi, nempe hyacinthinum et purpura coelestia bona et vera, coccineum dibaphum et xylinum intertextum spiritualia bona et vera; quisque scire potest, qui Verbum sanctum credit, quod unumquodvis aliquid significet; et qui credit Verbum sanctum

N*

inde, quod a Domino per Coelum demissum fuerit, scire potest, quod coelestia et spiritualia quae Regni Ipsius significata sint. Similiter quod in mundationibus leprae adhiberetur „lignum cedri, *Coccinum*, et hyssopus" Levit: XIV: 4. 6. 52: et quod super combustionem vaccae rufae, ex qua aqua separationis, mitteretur „lignum cedri, et hyssopus et *dibaphus purpurae*" Num: XIX: 6. Prophanatio boni et veri etiam per similia describitur apud Johannem „Vidi mulierem sedentem super bestia *coccinea*, plenam nominibus blasphemiae; et habebat capita septem, et cornua decem: erat mulier induta purpura et *coccino*, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis; habens aureum poculum in manu sua plenum abominationibus et immunditie scortationum" Apoc: XVII: 3. 4: et dein „Vae vae urbs magna, quae induta [34] fuisti byssino, et purpureo, et *coccineo*, inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis" Apoc: XVIII: 16; ubi de Babele, per quam significatur prophanatio boni, n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326, ibi prophanatio et boni et veri, quae est Babylonica; apud prophetas Veteris Testamenti est Babel prophanatio boni, et Chaldaea prophanatio veri. Coccinum in opposito sensu significat malum quod oppositum est bono spirituali, ut apud Esaiam „Si fuerint peccata vestra sicut *coccinea*, sicut nix albescent, si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt" I: 18; quod coccineum id malum significet, est quia sanguis, etiam ex rubedine, significat in genuino sensu bonum spirituale seu charitatem erga proximum, at in opposito violentiam charitati illatam.

4923. Dicendo hic exivit prius, quod significet quod ei prioritas, constat ex significatione exire prior, seu primogenitus esse, quod sit prioritas et superioritas, de qua n: 3325: agitur hic et in sequentibus ad finem hujus Capitis de primogenitura: qui non sensum internum Verbi scit, autumare potest, quod solum sit primogenitura, de qua agitur, et consequenter de praerogativis quae primogenitus obtineret secundum leges; sed qui aliquid de sensu interno novit, is satis manifeste videre potest, quod sublimius quid etiam hic reconditum lateat, tam ex ipso facto, quod unus illorum exporrexerit manum et reduxerit illam, et quod tunc alter exivisset, quam ex eo quod inde nomi-

nati sint, et quod obstetrix ligaverit super manu prioris dibaphum; et porro ex paene similibus de Esavo et Jacobo, quod colliderint in utero, et cum exiret prius Esavus quod Jacobus teneret calcaneum ejus, Gen: XXV: 23. 24. 26; insuper etiam ex duobus filiis Josephi, quod Jacobus, cum benediceret illis, dextram manum imposuerit minori, et sinistram majori, Genes: XLVIII: 17. 18. 19. Judaei et quoque aliqui ex Christianis quidem credunt, quod in his, ut et in reliquis Verbi, sit quoddam reconditum, quod mysticum vocant, et hoc ex causa, quia sanctitas illis pro Verbo ab infantia est impressa; sed cum quaeritur, quodnam illud mysticum sit, hoc non sciunt; si illis dicitur, quod mysticum illud in Verbo, quia est Divinum, necessario erit tale, quod in coelo apud angelos est, et quod aliud mysticum in Verbo dari nequeat, et si aliud, id foret vel fabulosum, vel magicum, vel idololatricum, et porro, quod mysticum illud quod in coelo apud Angelos non aliud sit, quam id quod vocatur spirituale et coeleste, et agit unice de Domino, de Regno Ipsius, et de Ecclesia, consequenter de bono et vero, et si scirent quid bonum et verum, seu quid amor et fides, quod id mysticum etiam scire possent, sed cum hoc dicitur, vix aliquis credit, imo in tali ignorantia hodie sunt qui ab Ecclesia, ut id quod memoratur de coelesti et spirituali, vix comprehensibile sit: sed sit, usque quia ex Divina Domini Misericordia, concessum est mihi in Coelo simul esse sicut spiritus et in terra sicut homo, et inde loqui cum Angelis, et hoc nunc continue per plures annos, non possum aliter quam aperire illa quae mystica Verbi vocantur, hoc est, ejus interiora, quae sunt spiritualia et coelestia Regni Domini. Quid autem involvunt in sensu interno haec quae de binis filiis Thamaris memorantur, in nunc sequentibus dicetur.

4924. Et factum sicut reducit manum, quod significet quod potentiam suam occultaret, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387. 4920, quam occultare significatur per reducere.

4925. Et ecce exivit frater ejus, quod significet boni verum, constat ex significatione fratris, quod sit consanguineum ex bono, de qua n: 3815. 4267, ita boni verum; boni verum est id verum quod ex bono est, seu est illa fides quae ex chari-

tate. Agitur hic in sensu interno de primogenitura apud illos qui renascuntur seu regenerantur a Domino, proinde de primogenitura in Ecclesia; disceptatum fuit ab Antiquissimis temporibus quid primogenitum, num bonum quod est charitatis, vel num verum quod est fidei; et quia bonum, cum renascitur homo et fit Ecclesia, non apparet, sed se occultat in interiori homine, et solum se manifestat in quadam affectione quae non manifeste cadit in sensum externi seu naturalis hominis, prius quam renatus est, at verum se manifestat, hoc enim intrat per sensus, et se in memoria externi seu naturalis hominis reponit, idcirco plures lapsi sunt in illum errorem, quod verum sit primogenitum, et tandem etiam in illum, quod verum sit essentiale Ecclesiae, et tam essentiale, ut verum, quod vocatur fides, salvare possit absque bono quod est charitatis; ex uno hoc errore perplures alii derivati sunt, qui non solum doctrinam sed etiam vitam infectarunt, sicut quod utcunque homo vivit, modo fidem habeat, salvetur; quod etiam scelestissimi, si modo in ultima mortis hora confitentur talia quae sunt fidei, recipiantur in coelum; quod in coelum quisque recipi possit solum ex gratia, qualiscunque ei vita fuerit; et quia in illa doctrina sunt, etiam tandem non sciunt quid charitas, nec illam curant; et denique nec credunt dari, consequenter nec coelum nec infernum; causa est, quia fides absque charitate, seu verum absque bono, nihil docet, et quo magis recedit a bono, eo magis infatuat hominem; est enim bonum, in quod et per quod influit Dominus, et dat intelligentiam et sapientiam, proinde intuitionem superiorem, et quoque perceptionem num ita sit vel non ita sit. Ex his constare potest, quomodo se habet cum primogenitura, quod illa bono sit actualiter, et quod illa vero sit apparenter, hoc nunc est, quod in sensu interno hic per partum duorum filiorum Thamaris describitur; per dibaphum enim, quod obstetrix ligavit super manu, significatur bonum, ut n: 4922, ostensum est; per exire prius significatur prioritas, n: 4923, per reducere manum significatur quod bonum potentiam suam occultaret, ut mox supra dictum; per quod exivit frater ejus significatur verum; per quod rupisti super te rupturam significatur separatio veri a bono apparenter; per post exivit frater ejus significatur quod bonum actualiter prius; et per cujus super manu

dibaphum significatur agnitio quod bonum, non enim prius agnoscitur bonum quod prius sit, quam postquam renatus est homo, tunc enim homo agit ex bono, et ex illo spectat verum et ejus quale: haec sunt quae continentur in sensu interno, in quo docetur quomodo se habet cum bono et vero apud hominem qui e novo nascitur, quod nempe bonum actualiter primo loco sit, sed verum apparenter, et quod bonum non appareat quod primo loco sit quando homo regeneratur, sed tunc manifeste quando regeneratus est; sed haec ulterius explicare non opus est, sunt enim prius explicata, quae videantur n: 3324. 3325. 3539. 3548. 3494. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4243. 4244. 4247. 4337: et quod ab Antiquis temporibus controversum sit de primogenitura num bono vel vero, seu num charitati aut fidei, n: 2435. Quia Dominus in supremo sensu est Primogenitus, et inde amor in Ipsum et charitas erga proximum, idcirco in Ecclesia Repraesentativa lex lata est, quod Primogenita Jehovae essent, de qua apud Mosen „Sanctifica Mihi *omne Primogenitum*, *aperturam uteri* inter filios Israëlis, in homine et in bestia mea sunto," Exod: XIII: 2. „Transire facies *omnem aperturam uteri* Jehovae, et *omnem aperturam foetus bestiae*, quotquot erunt tibi masculi, Jehovae erunt," Exod: XIII: 12. „*Omnis apertura uteri* Mihi, ideo quoad omne pecus tuum, masculum dabis, *aperturam bovis et pecudis*," Exod: XXXIV: 19. „*Omnis apertura uteri* quoad omnem carnem, quam adducent Jehovae, de hominibus et de bestiis, tibi erit, sed tamen redimendo redimes *omnem primogenitum hominis*," Num: XVIII: 15. „Ego ecce accepi Levitas e medio filiorum Israëlis, loco *omnis Primogeniti*, *aperturae uteri* de filiis Israëlis, ut sint Mihi Levitae," Num: III: 12; quia id primogenitum est, quod aperit uterum, idcirco ubi nominatur ibi primogenitum etiam dicitur apertura uteri, ut sit bonum quod significatur; quod id bonum sit, patet a singulis in sensu interno, imprimis ab his quae memorantur de filiis Thamaris, quod Serach per manum aperuerit uterum, per quem quod bonum repraesentetur, constat etiam a dibapho super manu ejus, de quo n: 4922, uterus etiam, de quo dicitur apertura, est ubi bonum et verum, proinde Ecclesia, videatur n: 4918, quem aperire est potentiam dare ut nascatur verum. Quia Dominus

est solus Primogenitus, est enim Ipsum Bonum, et a Bono Ipsius est omne verum, ideo quoque, ut Jacobus, qui non primogenitus fuit, Ipsum repraesentaret, ei permissum fuit, ut primogenituram ab Esavo fratre suo emeret, et quia hoc non satis, appellatus est Israël, ut per id nomen repraesentaret bonum veri, nam Israël in sensu repraesentativo est bonum quod per verum, n: 3654. 4286. 4598.

4926. Et dixit, quid rupisti super te rupturam, quod significet separationem ejus a bono apparenter, constat a significatione rupturae, quod sit infractio et perversio veri per separationem a bono, de qua sequitur; quod rumpere rupturam, hic sit avellere e manu dibaphum, patet, ita separare bonum, nam per dibaphum significatur bonum, n: 4922; quod id apparenter, sequitur ex eo, quia ita apparuit obstetrici, non enim erat is cui dibaphum, sed frater ejus per quem repraesentatur verum; de his videantur quae mox supra ostensa sunt n: 4925, quod nempe bonum actualiter primogenitum sit, sed verum apparenter; illustrari hoc adhuc potest ab usibus et membris in corpore humano, apparet sicut membra et organa prius sint, et quod eorum usus dein, sistuntur enim illa prius coram oculo, et quoque prius noscuntur quam usus, sed usque est usus prius quam membra et organa, sunt enim haec ex usibus, at ita secundum usus formata, imo ipse usus format illa et adaptat illa sibi; nisi id foret, nusquam conspirarent omnia et singula apud hominem tam unanimiter ad unum: similiter se habet cum bono et vero, apparet sicut verum prius sit, sed est bonum, hoc format vera, et adaptat illa sibi; quapropter vera in se spectata non aliud sunt quam bona formata, seu formae boni; vera etiam respective ad bonum se habent sicut viscera et sicut fibrae in corpore ad usus, etiam bonum in se spectatum nec est nisi quam usus. Quod ruptura significet infractionem in verum et perversionem ejus, per separationem a bono, constat quoque ex aliis locis in Verbo, ut apud Davidem „Horrea nostra plena, depromentia de cibo ad cibum; greges nostri milleni, et decies milleni in plateis nostris, boves nostri onerati sunt, *non est ruptura*," Psalm: CXLIV: 13. 14, ibi agitur de Antiqua Ecclesia, qualis fuit in sua adolescentia, cibus quo horrea plena pro cibo spirituali, hoc est, vero et bono; greges et boves pro bo-

nis internis et externis; non est ruptura pro quod verum non est infractum seu perruptum per separationem a bono. Apud Amos „Erigam tentorium Davidis collapsum, et *sepiam rupturas eorum*, et destructa ejus restituam, aedificabo juxta dies aeternitatis," IX: 11, ibi de Ecclesia quae in bono, tentorium Davidis collapsum est bonum amoris et charitatis a Domino, quod tentorium sit bonum illud, videatur n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312. [35] 4128. 4391. 4599, et quod David sit Dominus, n: 1888; sepire rupturas, pro falsa emendare, quae intrarunt per separationem veri a bono; aedificare juxta dies aeternitatis, pro juxta statum Ecclesiae antiquis temporibus, ille status et illud tempus in Verbo vocantur dies aeternitatis, et dies saeculi, et quoque generationis et generationis. Apud Esaiam „Aedificat ex te vastitates saeculi, fundamenta generationis et generationis, et dicatur tibi *reparans rupturam*, reducens semitas ad habitandum," LVIII: 12, ibi de Ecclesia ubi charitas et vita est essentiale; reparare rupturam etiam pro emendare falsa, quae irrepserunt per separationem boni a vero, omne falsum inde est; reducere semitas ad habitandum pro vera quae sunt boni, semitae enim seu viae sunt vera n: 627. 2333, et habitare praedicatur de bono, n: 2268. 2451. 2712. 3613. Apud Eundem „*Rupturas urbis Davidis* vidistis quod *plurimae* sint, et congregastis aquas piscinae inferioris," XXII: [9.] 10; rupturae urbis Davidis pro falsis doctrinae; aquae piscinae inferioris pro traditionibus per quas infractiones fecerunt in vera quae in Verbo, Matth: XV: 1 ad 6. Marc: VII: 1 ad 14. Apud Ezechielem „*Non ascendistis in Rupturas*, nec sepivistis sepem pro domo Israëlis, ut staretis in bello in die Jehovae," XIII: 5: apud Eundem „Quaesivi ex illis virum sepientem sepem, et *stantem in ruptura* coram Me pro terra, ut non perderem eam, sed non inveni," XXII: 30; stare in ruptura, pro defendere et cavere ne irrumpant falsa. Apud Davidem „Jehovah dixit, perditurum populum, nisi Moses electus Ipsius *stetisset in ruptura ante* Ipsum," Psalm: CVI: 23, stare in ruptura etiam pro cavere ne falsa irrumpant, Moses est Verbum, Praef: ad Cap: XVIII Genes: et n: 4859 f. Apud Amos „Extrahent posteritatem vestram hamis piscationis, per *rupturas exibitis* quisque e regione sua, et dejicietis palatium," IV: 2. 3, per rupturas

exire pro per falsa ex ratiociniis, palatium est Verbum, proindè doctrinae verum quod ex bono. Et quia per rupturas significatur falsum quod existit per separationem boni a vero, etiam idem in sensu repraesentativo, significatur per firmare et reparare rupturas domus Jehovae, II Reg: XII: 6. 8. 9. 13. Cap: XXII: 5. In Libro II Samuelis „Doluit Davidi, quod *rupisset* Jehovah *rupturam* in Usa; unde vocavit locum illum *Perez* Usa," VI: 8, ubi de Usa, qui mortuus quia tetigit arcam; per arcam repraesentabatur coelum, in supremo sensu Dominus, proinde Divinum Bonum; per Usam autem repraesentabatur id quod ministrat, ita Verum, nam hoc ministrat bono, separatio illa significatur per rupturam in Usa.

4927. Et vocavit nomen ejus Perez, quod significet quale, nempe separationis veri a bono apparenter, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421, ipsum quale est Perez, nam in Lingua originali Perez est ruptura.

4928. Et postea exivit frater ejus, quod significet bonum actualiter prius, constat ex repraesentatione Serachi, qui hic frater, quod sit bonum, is enim fuit qui aperuit uterum, ita qui primogenitus fuit, et cujus super manu dibaphum; quod id bonum sit, videatur n: 4925: quod per postea exivit frater ejus, significetur quod bonum actualiter prius, est quia bonum, cum regeneratur homo, non appareat, quia se occultat in interiore homine, ac modo influit in verum per affectionem secundum gradus conjunctionis veri secum, cum itaque verum conjunctum est bono, quod fit cum homo regeneratus est, tunc bonum se manifestat, nam homo tunc ex bono agit, et spectat vera sicut a bono, plus enim tunc studet vitae quam doctrinae.

4929. Cujus super manu dibaphum, quod significet agnitionem quod bonum, constat ex eo quod nunc agnitus fuerit ex dibapho super manu, ita quod esset bonum quod aperuit uterum seu quod primogenitum erat: per quod obstetrix ligavit super manu dibaphum, significatur quod signaverit quis primogenitus esset, inde agnitio hic significatur.

4930. Et vocavit nomen ejus Serach, quod significet quale, constat a significatione vocare nomen, quod sit quale, ut supra n: 4927: quale quod significatur per Serach, est quale

illius rei, de qua in sensu interno hactenus actum est, nempe quod bonum actualiter primogenitum sit, et verum apparenter: ipsum quale in se innumerabilia continet, quae innumerabilia non videri possunt in luce mundi, sed in luce coeli, ita coram angelis; si homo unius rei quale videret sicut apparet coram angelis, obstupesceret et confiteretur quod nusquam id credidisset, et quod respective is paene nihil sciret. Serach in Lingua originali significat ortum, et tribuitur soli et primae apparitioni ejus lucis; inde nominatus est Serach, quia bonum similiter se habet apud hominem qui regeneratur, id enim primum oritur et dat lucem, ex qua luce illustrantur illa quae in naturali homine, ut videri, et agnosci, et denique credi possint; nisi lux foret ex bono intus in homine, nusquam ad agnitionem et fidem videre posset vera, sed modo vel sicut talia quae dicenda propter vulgus, vel sicut falsa.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, hic de Correspondentia Manuum, Brachiorum, Pedum et Lumborum cum illo.

4931. *Ostensum est prius, quod Universum Coelum referat unum Hominem cum singulis ejus Organis, Membris et Visceribus; et hoc quia Coelum refert Dominum, Dominus enim est omne in omnibus Coeli, usque adeo, ut Coelum in proprio sensu sit Divinum Bonum et Divinum Verum, quae a Domino; inde est, quod Coelum in tot quasi Provincias distinctum sit, quot sunt Viscera, Organa et Membra in homine, cum quibus etiam correspondentia est; nisi Correspondentia talis foret hominis cum coelo, et per coelum cum Domino, homo ne quidem uno momento subsisteret: omnia illa in connexu tenentur per influxum. Sed omnes illae Provinciae se referunt ad duo Regna, nempe ad Regnum coeleste et ad Regnum spirituale; illud Regnum, nempe Regnum coeleste, est Regnum cordis in Maximo Homine, et hoc nempe Regnum spirituale est Regnum Pulmonis ibi; similiter ac in Homine, in ejus omnibus et singulis regnat Cor et regnat Pulmo: duo illa*

Regna mirabiliter conjunguntur; conjunctio illa etiam repraesentatur in conjunctione cordis et Pulmonis apud hominem, et in conjunctione operationum utriusque in singulis membris et visceribus. Cum Homo est embryo, seu cum adhuc est in utero, tunc in Regno cordis est, at cum enixus est ab utero, tunc simul venit in Regnum pulmonis; et si is per vera fidei patitur se perduci in bonum amoris, tunc a Regno pulmonis redit in Regnum cordis, in Maximo Homine, sic enim iterum in uterum venit et renascitur; et tunc quoque apud illum conjunguntur duo illa Regna, sed inverso ordine, prius enim Regnum cordis apud eum sub imperio Pulmonum fuit, hoc est, prius dominatum est apud illum fidei verum, sed postea dominatur charitatis bonum: quod Cor correspondeat bono amoris, et Pulmo vero fidei, videatur n: 3635. 3883 *ad* 3896.

4932. *Qui in Maximo Homine correspondent Manibus et Brachiis, et quoque Humeris, sunt illi qui in Potentia sunt per fidei verum ex bono; qui enim in fidei vero ex bono sunt, illi in potentia Domini sunt, tribuunt enim Ipsi omnem potentiam, et nullam sibi, et quo magis nullam sibi tribuunt non ore sed corde, eo in majore Potentia sunt; Angeli inde vocantur Potentiae et Potestates.*

4933. *Quod Manus, Brachia, Humeri correspondeant Potentiae in Maximo Homine, est quia totius corporis, et omnium ejus Viscerum vires et potentiae se referunt ad illa, nam corpus vires et potentias suas exercet per brachia et manus: inde etiam est, quod in Verbo per manus, brachia, et humeros significentur potentiae; quod per manus, videatur n:* 878. 3387; *quod per Brachia, patet a pluribus locis, ut ab his* „*Esto* Brachium *in singulis matutis,*“ *Esai:* XXXIII: 2. „*Dominus Jehovih in forti venit, et* Brachium Ipsius *dominabitur Ipsi,*“ *Esai:* XL: 10. „*Operatur illud per* Brachium roboris sui,“ *Esai:* XLIV: 12. „Brachia mea *populos judicabunt*“ *Esai:* LI: 5. „*Indue robur,* Brachium Jehovae,“ *Esai:* LI: 9. „*Circumspexi et non auxilians, ideo salutem mihi praestitit* Brachium meum,“ *Esai:* LXIII: 5. „*Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem* Brachium suum,“ *Jerem:* XVII: 5. „*Feci terram, hominem, et bestiam, per virtutem meam magnam, et per* Brachium meum extensum,“ *Jerem:*

XXVII: 5. *Cap:* XXXII: 17. *„Excisum est cornu Moabi, et* Brachium *ejus confractum,"* *Jerem:* XLVIII: 25. *„Frango* Brachia *regis Aegypti, contra confortabo* Brachia *regis Babelis,"* Ezech: XXX: 22. 24. 25. *„Jehovah frange* Brachium *impii,"* *Psalm:* X: 15. *„Juxta magnitudinem* Brachii tui *fac residuos filios mortis,"* *Psalm:* LXXIX: 11. [36] *„Educti ex Aegypto* manu *forti et* brachio extenso," *Deut:* VII: 19. *Cap:* XI: 2. 3. *Cap:* XXVI: 8. *Jerem:* XXXII: 21. *Ps:* CXXXVI: 12. *Ex his etiam constare potest, quod per* Dextram *in Verbo significetur Potentia superior, et per sedere a* dextris Jehovae *Omnipotentia, Matth:* XXVI: 63. 64. *Luc:* XXII: 69. *Marc:* XIV: 61. 62. *Cap:* XVI: 19.

4934. *Visum mihi est Brachium nudum, inflexum antrorsum, quod secum tantam vim, et simul tantum terrorem habuit, ut non solum horrescerem, sed viderer quasi in minutissimum et quoad intima potuisse contundi, erat irresistibile; hoc Brachium bis mihi visum est; et inde scire datum, quod Brachia significent robur, et Manus potentiam: sentiebatur etiam ex Brachio illo calidum exhalans.*

4935. *Brachium illud nudum sistitur videndum in varia positione, et secundum illam incutit terrorem, et in tali positione, de qua mox supra, incredibilem, apparet enim confringere posse momento ossa et medullas: qui in vita corporis non timidi fuerunt, usque in altera vita a brachio illo in maximum terrorem adiguntur.*

4936. *Apparuerunt aliquoties qui baculos haberent, et dictum quod essent magi, sunt antrorsum ad dextrum longa via in cavernis profunde; qui magi perniciosiores fuerunt, profundius ibi reconduntur; illi sibi videntur cum baculis; etiam per phantasias plura baculorum genera formant, et credunt quod per illos possint miracula facere, putant enim vim baculis inesse, et hoc quoque inde, quia baculi sunt quibus innititur dextra et brachium, quae per correspondentiam robur et potentia sunt. Inde patuit mihi, cur Veteres attribuerunt Magis baculos; Veteres enim Gentiles id habuerunt ex Antiqua Ecclesia Repraesentativa, in qua baculi sicut manus significabant potentiam, videatur n:* 4876: *et quia significabant potentiam, mandatum erat Mosi, cum miracula fierent, quod*

extenderet baculum, aut manum, Exod: IV: 17. 20. *Cap:* VIII: 1 ad 11. 12 ad 16. *Cap:* IX: 23. *Cap:* X: 3 ad 21. *Cap:* XIV: 21. 26. 27. *Cap:* XVII: 5. 6. 11. 12. *Num:* XX: 7 ad 10. [37]

4937. *Infernales spiritus etiam quandoque Humerum ex phantasia sistunt, per quem faciunt, ut vires repercutiantur, transire etiam nequeunt, sed hoc solum pro illis qui in tali phantasia sunt, sciunt enim quod Humerus correspondeat omni potentiae in spirituali mundo; etiam per Humerum in Verbo significatur omnis potentia, ut patet in his locis, „Confregisti jugum oneris ejus, et* baculum humeri ejus," *Esai:* IX: 3. „*Latere et* Humero *impellitis, et cornibus vestris feritis,*" *Ezech:* XXXIV: 21. [38] „*Findes ei* omnem Humerum" *Ezech:* XXIX: 6. 7. „*Ut serviant Jehovae* Humero uno," *Zephan:* III: 9. „*Puer natus est nobis, et erit principatus super* Humero Ipsius," *Esai:* IX: 5. „*Dabo clavem domus Davidis super* Humero Ipsius," *Esai:* XXII: 22.

4938. *Qui in Maximo Homine correspondent Pedibus, Plantis et Calcaneis, sunt qui Naturales sunt, quapropter per Pedes in Verbo significantur Naturalia, n:* 2162. 3147. 3761. 3986. 4280; *per Plantas Naturalia inferiora; et per Calcaneos Naturalia infima: Coelestia enim in Maximo Homine constituunt Caput, Spiritualia Corpus, et Naturalia Pedes; eo ordine etiam consequuntur; coelestia etiam, quae sunt suprema, terminantur in spiritualibus, quae sunt media, et spiritualia in naturalibus, quae sunt ultima.*

4939. *Semel cum elevatus essem in coelum, apparuit mihi sicut capite ibi essem, et corpore infra, at pedibus adhuc inferius; et inde perceptum, quomodo superiora et inferiora apud hominem correspondent illis quae in Maximo Homine, et quomodo influit unum in alterum, quod nempe coeleste, quod est bonum amoris et primum ordinis, influat in spirituale, quod est verum inde, et est secundum ordinis, et denique in naturale, quod est tertium ordinis; inde patet, quod naturalia sint instar Pedum, quibus innituntur superiora: natura etiam est, in qua terminantur illa quae spiritualis mundi sunt, et quae coeli; inde est, quod universa natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini, et quod singula ibi repraesentent, n:*

2758. 3483; *et quod natura ex influxu secundum illum ordinem subsistat, et quod absque influxu illo ne quidem momento subsistere posset.*

4940. *Cum secundo columna Angelica circumdatus demitterer in loca inferiorum, tunc ad sensum percipere dabatur, quod illi qui in terra inferiorum erant, corresponderent Pedibus et Plantis; etiam loca illa sunt sub pedibus et plantis; ibi etiam cum illis loquutus sum; sunt tales, qui in naturali jucundo fuerunt, et non in spirituali. De Terra inferiori, videatur n:* 4728.

4941. *In locis illis etiam sunt illi qui naturae adscripserunt omnia, et parum Divino; cum illis ibi loquutus sum; et cum de Divina Providentia sermo fuit, tunc illi tribuebant omnia naturae; sed usque illi ibi qui vitam moralem bonam egerunt, cum ibi per moram temporis detenti sunt, successive exuunt principia illa, et induunt principia veri.*

4942. *Cum ibi eram, audivi etiam in una camera, sicut quod ab altera parte parietis quidam essent, qui se infringere vellent, a quibus perterriti illi qui ibi, credentes quod essent latrones; et dictum, quod illi qui ibi teneantur in tali timore, ex causa ut deterreantur a malis, quia timor aliquibus est medium emendationis.*

4943. *In inferiore terra sub pedibus et plantis, etiam sunt illi qui meritum posuerunt in beneactis et operibus; plures eorum sibi apparent ligna secare; locus ubi sunt est frigidior, et videntur sibi calorem acquirere per laborem suum; cum illis etiam loquutus sum, et illis dicere datum, numne vellent ex loco illo exire, dicebant quod adhuc per laborem non meruerint; at cum status ille transactus est, tunc inde eximuntur. Sunt etiam illi Naturales, quia velle mereri salutem, non est spirituale; et praeterea praeferunt se aliis, quidam etiam eorum contemnunt alios; illi si non gaudium prae reliquis in altera vita recipiunt, indignantur contra Dominum, quapropter cum secant ligna, quandoque apparet quasi quid Domini sub lignis, et hoc ex indignatione: sed quia vitam piam egerunt, et ex ignorantia ita fecerunt, in qua aliquid innocentiae fuit, ideo aliquoties angeli ad illos mittuntur, et illos consolantur;*

et praeterea apparet illis desuper a sinistro quandoque sicut Ovis, ex qua visa etiam consolationem accipiunt.

4944. *Qui e mundo ex Christiano orbe veniunt, et vitam moralem bonam egerunt, et aliquid charitatis erga proximum habuerunt, at spiritualia parum curaverunt, quoad plurimam partem mittuntur in loca sub pedibus et plantis, et ibi tenentur usque dum naturalia, in quibus fuerunt, exuant, ac spiritualia et coelestia, quantum possunt secundum vitam, imbuant; quae cum imbuerunt, elevantur abinde ad Societates coelestes; vidi aliquoties emergentes, et illorum laetitiam quod in lucem coelestem venirent.*

4945. *In quo situ loca sub pedibus sunt, nondum scire datum est; sunt permulta, et illa inter se distinctissima; in genere vocantur, Terra inferiorum.*

4946. *Sunt quidam, qui in vita corporis imbuerunt, quod homo non curare debeat illa quae Interni hominis sunt, proinde spiritualia, sed solum quae Externi hominis sunt seu naturalia, ex causa quod interiora perturbent jucunda vitae eorum, ac faciant injucundum: agebant illi in sinistrum genu, et paullum supra genu ab anteriori, et quoque in plantam pedis dextri: loquutus sum cum illis in mansione eorum, dicebant quod putaverint in vita corporis, solum externa vivere, et quod non intellexerint quid esset internum, proinde quod naturalia sciverint, non autem quid spirituale; sed dicere illis datum, quod innumerabilia per id sibi praecluserint, quae ex spirituali mundo potuissent influere, si interiora agnoverint, et sic in cogitationis suae ideas admiserint: et porro dicere datum, quod in unaquavis cogitationis idea innumerabilia sint, quae coram homine imprimis naturali, non apparent nisi sicut unum simplex, cum tamen indefinita sunt quae ex mundo spirituali influunt, quae faciunt apud hominem spiritualem, intuitionem superiorem, ex qua videre et quoque percipere potest, num verum sit vel non verum: et quia dubitabant de eo, ostendebatur id per vivam experientiam; repraesentabatur illis una idea, quam videbant ut unam simplicem, proinde sicut punctum obscurum, tale in luce coeli facile repraesentatur, illa idea cum recluderetur, et simul visus eorum interior aperiretur, tunc patuit sicut universum ad Dominum ducens, et di-*

ctum quod ita sit in unaquavis idea boni et veri, quod nempe sit imago totius coeli, quia est a Domino, Qui est omne coeli, seu ipsum illud quod vocatur Coelum.

4947. *Sub plantis pedum etiam sunt qui in vita corporis vixerunt mundo et genio, delectati talibus quae sunt mundi, et amaverunt vivere splendide, sed modo ex cupiditate externa seu corporis, non autem ab interna seu mentis; non enim superbiverunt animo, se aliis praeferendo, tametsi in dignitate constituti; quod ita vixerint, ex corpore egerunt; quare tales nec rejecerunt doctrinalia Ecclesiae, minus confirmarunt se contra illa; corde suo dixerunt de illis, quod ita sit, quia illi, qui student Verbo, id sciunt: apud quosdam, qui tales, interiora aperta sunt versus coelum, quibus successive inseminantur coelestia, nempe justitia, probitas, pietas, charitas, misericordia, et dein elevantur in coelum.*

4948. *Qui autem nihil aliud cogitarunt et studuerunt in vita corporis ex interiori suo, quam quae sunt sui et mundi, illi sibi praecluserunt omnem viam seu omnem influxum e coelo, nam amor sui et mundi est oppositus amori coelesti. Illi eorum, qui simul in voluptatibus, aut in vita delicata conjuncta cum astu interiori vixerunt, sub planta pedis dextri sunt, sed ibi profunde, ita sub terra inferiorum, ubi talium infernum est; in domiciliis eorum nihil nisi quam sordes sunt, videntur etiam sibi portare talia, correspondent enim vitae tali; sentitur ibi foetor sordium diversarum secundum vitae genera et species: ibi degunt plures, qui in mundo inter celebratiores fuerunt.*

4949. *Sunt plures qui mansiones habent sub plantis pedum, cum quibus quandoque loquutus sum; vidi quosdam eorum, quod conniterentur ascendere, et quoque connisum ascensus eorum sentire dabatur, et hoc usque ad genua, sed relapsi sunt; repraesentatur ita coram sensu, cum aliqui ex suis mansionibus cupiunt ad superiores, sicut hi quod ad illorum mansiones qui in provincia genuum et femorum sunt; dictum mihi, quod tales sint qui alios contemserunt prae se, quapropter etiam volunt emergere, et non solum per pedem in femur, sed etiam si possent supra caput, at usque relabuntur: sunt in quodam genere stupiditatis, nam talis arrogantia exstinguit et suffocat*

lucem coeli, proinde intelligentiam; quapropter sphaera quae circumfundit illos apparet sicut crassamentum.

4950. *Sub pede sinistro paulo sinistrorsum, sunt tales qui naturae omnia tribuerunt, at usque confessi Ens universi ex quo omnia quae naturae sunt; sed explorabatur num crediderint aliquod Ens universi seu Summum Numen, quod creaverat omnia, sed perceptum ex cogitatione eorum mecum communicata, quod esset sicut inanimatum quoddam quod crederent, in quo nihil vitae; ex quo constare potuit, quod non agnoverint creatorem universi, sed naturam; dicebant etiam quod Numinis vivi ideam non possent habere.*

4951. *Sub calcaneo aliquanto magis retrorsum, est profunde infernum, spatium intermedium apparet sicut vacuum; ibi sunt malitiosissimi, clandestine explorant animos nocendi causa, et clandestine insidiantur ut perdant, hoc illis jucundum vitae fuerat; saepius illos observavi; effundunt venenum malitiae suae ad illos qui in mundo spirituum sunt; et illos qui ibi variis dolis excitant; sunt interiores malitiosi; apparent ibi quasi in palliis, et quandoque aliter; saepe puniuntur, et tunc profundius demittuntur, et obvelantur quasi nube, quae est sphaera malitiae ex illis exhalans; ex profundo illo quandoque tumultus sicut internecinus auditur: possunt inducere alios ad lachrymandum, et quoque possunt incutere timorem; hoc imbuerunt in vita corporis per id quod apud aegrotos et simplices fuerint, opes obtinendi causa, quos adegerunt ad lachrymandum, et sic moverunt ad misericordiam, et si non ita obtinuerunt, incusserunt timorem: sunt plerique tales, qui ita pro Monasteriis depraedati sunt plures domos. Observati etiam quidam sunt in media distantia, sed hi apparent sibi sedere sicut in Camera, et consultare, sunt quoque malitiosi, sed non in illo gradu.*

4952. *Quidam ex illis, qui Naturales sunt, dixerunt, quod nesciant quid Crediturі, quia sors manet unumquemvis secundum vitam, et quoque secundum cogitationes ex confirmatis principiis; sed illis responsum, quod satis fuerit illis, si crediderint quod Deus sit qui gubernat omnia, et quod vita post mortem sit; et imprimis quod vixerint non sicut fera, sed sicut homo, nempe in amore in Deum, et in charitate erga pro-*

ximum, ita in vero et bono, non autem contra illa. At dixerunt, quod ita vixerint, sed iterum responsum, quod in externis apparuerint tales, sed nisi obstiterint leges, in cujusvis vitam et opes ruissent saevius quam ferae. Rursus dixerunt, quod non sciverint quid charitas erga proximum, et quid internum, sed illis responsum, quod illa non scire potuerint, quia amor sui et mundi et externa occupaverant omnia cogitationis et voluntatis eorum.

4953. *Continuatio ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

4954. In praemissis ante Caput praecedens, explicata sunt quae Dominus loquutus est de Judicio super bonos et malos apud Matthaeum Cap: XXV: Versibus 31. 32. 33, quae videantur n: 4807 ad 4810; veniunt nunc explicanda quae ordine ibi sequuntur, nempe haec verba „ *Tunc dicit Rex iis qui a dextris Ipsius, venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a fundatione mundi: esurivi enim et dedistis Mihi edere; sitivi et potastis Me; peregrinus fui et collegistis Me; nudus et circuminduistis Me; aegrotus fui et visitastis Me; in carcere fui et venistis ad me* " Vers: 34. 35. [1] 36.

4955. Quid haec in sensu interno involvunt, patebit ab illis quae sequuntur; sciendum prius, quod haec opera quae recensentur sint Ipsa Charitatis in suo ordine; hoc nemo videre potest, qui non sensum internum Verbi novit, hoc est, nisi sciat quid intelligitur per esurienti dare edere, sitientem potare, peregrinum colligere, nudum induere, aegrotum visitare, ad illos in carcere venire; qui de his cogitat solum ex sensu literae, is colligit inde, quod per illa intelligantur bona opera in externa forma, et nihil arcani praeterea illis inesse, cum tamen in singulis est arcanum, et hoc Divinum, quia a Domino: sed arcanum non hodie intelligitur, quia nulla hodie sunt doctrinalia charitatis; postquam enim separaverunt charitatem a fide, perierunt illa doctrinalia, et loco illorum recepta et inventa sunt doctrinalia fidei, quae doctrinalia prorsus nihil docent, quid charitas et quid proximus: doctrinalia apud antiquos docuerunt omnia genera et omnes species charitatis, et quoque quis proximus, erga quem Charitas exercenda, et quomodo unus in alio gradu et in alio respectu quam alter Proximus est, et consequen-

ter quomodo charitas erga unum aliter quam erga alterum applicata exercenda; redegerunt etiam illum in classes, et nomina indiderunt, et vocarunt quosdam pauperes, egenos, miseros, afflictos, quosdam caecos, claudos, mancos ut et pupillos et viduas, quosdam esurientes, sitientes, peregrinos, nudos, aegrotos, vinctos, et sic porro; inde sciebant in quo debito essent erga unum et erga alterum: sed haec doctrinalia, ut dictum, perierunt, et cum illis etiam intellectus Verbi, usque adeo, ut nemo hodie aliud sciat, quam [quod] per pauperes, viduas, pupillos, in Verbo, non alii intelligantur, quam qui ita vocantur; similiter hic per esurientes, sitientes, peregrinos, nudos, aegrotos, in carcere; cum tamen per hos describitur Charitas qualis est in sua essentia, et ejus exercitium quale erit in sua vita.

4956. Charitatis erga proximum essentia, est affectio boni et veri, et agnitio sui quod sit malum et falsum, imo proximus est ipsum bonum et verum, his affici est charitatem habere, oppositum proximo est malum et falsum, haec aversatur qui charitatem habet; qui itaque charitatem erga proximum habet, afficitur bono et vero, quia illa ex Domino, et aversatur malum et falsum quia illa ex se; et cum hoc facit, in humiliatione est ex agnitione sui, et cum in humiliatione in statu receptionis boni et veri est a Domino. Haec Charitatis sunt, quae in sensu interno involvunt haec Domini Verba, „*Esurivi et dedistis Mihi edere, sitivi et potastis Me, peregrinus fui et collegistis Mè, Nudus et circuminduistis Me, aegrotus fui et visitastis Me, in carcere fui et venistis ad Me.*" Quod haec verba illa involvant, nemo scire potest quam ex sensu interno; antiqui qui doctrinalia Charitatis habebant, illi haec sciebant; sed hodie haec tam remota apparent, ut quisque miraturus quod dicatur quod illa insint; et praeterea angeli apud hominem non aliter illa verba percipiunt, per Esurientem enim percipiunt illos qui ex affectione desiderant bonum, per Sitientem illos qui ex affectione desiderant verum, per Peregrinum illos qui instrui volunt, per Nudum illos qui agnoscunt quod nihil boni et veri in se sit, per Aegrotum illos qui agnoscunt in se nihil nisi malum esse, et per Vinctos seu in carcere qui agnoscunt in se nihil nisi falsum: haec si in unum sensum rediguntur, significant illa quae mox supra dicta sunt.

4957. Ex his constare potest, quod Divina fuerint intus in omnibus quae Dominus loquutus est, tametsi apparent coram illis qui in solis mundanis, et magis coram illis qui in corporeis sunt, sicut talia, quae unusquisque homo loqui posset, imo qui in corporeis sunt, ad illa et reliqua verba Domini dicturi, quod in illis non tanta gratia, proinde nec tantum pondus sit, quantum in sermone et praedicatione illorum hujus saeculi, qui ex eruditione cum eloquio loquuntur; cum tamen horum sermo et praedicatio est sicut squama et palea respective ad nuclearia.

4958. Quod *Esurire* sit ex affectione desiderare bonum, est quia panis in sensu interno est bonum amoris et charitatis, et cibus in genere est bonum, n: 2165. 2177. 3478. 4211. 4217. 4735; quod *Sitire* sit ex affectione desiderare verum, est quia vinum et quoque aqua sunt verum fidei, quod vinum, n: 1071. 1798, quod aqua, n: 2702; quod *Peregrinus* sit qui instrui vult, videatur n: 1463. 4444: quod *Nudus* sit qui agnoscit quod nihil boni et veri in se sit; quod *Aegrotus* qui in malo; et *vinctus seu in carcere* qui in falso, patet a pluribus locis in Verbo ubi nominantur.

4959. Quod Dominus de Se illa dicat, est quia Dominus est in illis qui tales sunt; quapropter etiam dicit, „Amen dico vobis, quantum fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, Mihi fecistis," Vers: 40. 45.

CAPUT XXXIX.

1. Et Joseph descendere factus Aegyptum, et emit eum Potiphar cubicularius Pharaonis, princeps satellitum, vir Aegyptius, e manu Jischmaëlitarum, qui descendere fecerunt eum illuc.

2. Et fuit Jehovah cum Josepho, et fuit vir prosperans, et fuit in domo domini sui Aegyptii.

3. Et vidit dominus ejus quod Jehovah cum eo, et omne quod is faciens, Jehovah prosperans in manu ejus.

4. Et invenit Joseph gratiam in oculis ejus, et ministravit illi, et praefecit eum super domum suam, et quicquid erat illi dedit in manum ejus.

5. Et factum, e quo praefecit eum in domo sua, et super

omne quod erat illi, et benedixit Jehovah domui Aegyptii propter Josephum; et fuit benedictio Jehovae in omni quod erat illi in domo et in agro.

6. Et reliquit omne quod illi, in manum Josephi, et non scivit cum eo quicquam, nisi panem quem ille edens. Et erat Josephus pulcher forma et pulcher aspectu.

7. Et factum post verba haec, et sustulit uxor domini ejus oculos suos ad Josephum, et dixit, cuba mecum.

8. Et renuit, et dixit ad uxorem domini sui, ecce dominus meus non scit cum me quid in domo, et omne quod est illi dedit in manum meam.

9. Non ipse magnus in domo hac prae me, et non prohibuit a me quicquam, nisi temet, eo quod tu uxor illius, et quomodo faciam malum magnum hoc, et peccarem Deo.

10. Et factum, ut loqui illam ad Josephum die die, et non audivit ad illam, ad cubandum apud illam, ad esse cum illa.

11. Et factum ut die quodam, et venit domum ad faciendum opus suum, et nullus vir e viris domus ibi in domo.

12. Et prehendit eum in veste ejus, dicendo, cuba mecum, et reliquit vestem suam in manu illius, et fugit, et exivit foras.

13. Et factum, ut videre illam quod reliquit vestem suam in manu sua, et fugit foras.

14. Et clamavit ad viros domus suae, et dixit illis, dicendo, videte, adduxit nobis virum Hebraeum ad illudendum nobis, venit ad me ad cubandum mecum, et clamavi voce magna.

15. Et factum, ut audire eum, quod sustuli vocem meam, et clamavi, et reliquit vestem suam apud me, et fugit, et exivit foras.

16. Et reposuit vestem ejus apud se, usque venire dominum ejus ad domum suam.

17. Et loquuta ad illum secundum verba haec, dicendo, venit ad me servus Hebraeus, quem adduxisti nobis, ad illudendum mihi.

18. Et factum, sicut tollere me vocem meam, et clamavi, et reliquit vestem suam apud me, et fugit foras.

19. Et factum, sicut audire dominus ejus verba uxoris suae, quae loquuta ad illum, dicendo, secundum verba haec fecit mihi servus tuus; et accensa ira illius.

20. Et accepit dominus Josephi eum, et dedit eum ad domum carceris, locum quo vincti Regis vincti, et fuit ibi in domo carceris.

21. Et fuit Jehovah cum Josepho, et inclinavit ad eum misericordiam, et dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris.

22. Et dedit princeps domus carceris in manum Josephi omnes vinctos, qui in domo carceris, et omne quod facientes ibi, is fuit faciens.

23. Nihil princeps domus carceris videns quicquam in manu ejus, eo quod Jehovah cum eo, et quod is faciens, Jehovah prosperans.

CONTENTA.

4960. In sensu interno agitur hic de Domino, quomodo Ipse Internum suum Hominem Divinum fecit: Jacobus fuit Externus Homo, de quo in praecedentibus actum est, Josephus est Internus, de quo hic et in sequentibus agitur.

4961. Et quia hoc factum secundum Divinum ordinem, describitur hic ille ordo; et quoque tentatio, quae est conjunctionis medium.

SENSUS INTERNUS.

4962. Vers: 1. *Et Joseph descendere factus Aegyptum, et emit eum Potiphar cubicularius Pharaonis, princeps satellitum, vir Aegyptius, e manu Jischmaëlitarum, qui descendere fecerunt eum illuc.* Et Joseph significat coeleste spiritualis ex rationali: descendere factus Aegyptum, significat ad scientifica quae Ecclesiae: et emit eum Potiphar cubicularius Pharaonis, significat quod apud interiora scientificorum: princeps satellitum, significat quae primaria interpretationi: vir Aegyptius, significat verum naturale: e manu Jischmaëlitarum, significat a simplici bono: qui descendere fecerunt eum illuc, significat quod ab illo bono ad illa scientifica.

4963. Et Josephus, quod significet coeleste spiritualis ex

rationali, constat a repraesentatione Josephi, quod sit coelestis spiritualis homo qui ex rationali, de qua n: 4286; hic itaque quia agitur de Domino, repraesentatur per illum Internus Homo Domini: unusquisque qui nascitur homo, est Externus et Internus, Externus ejus est qui oculis conspicitur, et per quem in consortio est cum hominibus, et per quem aguntur illa quae propria mundi naturalis sunt; Internus autem est, qui non oculis conspicitur, et per quem homo in consortio est cum spiritibus et angelis, et per quem peraguntur illa quae propria mundi spiritualis sunt; quod unusquisque homo Internum et Externum habeat, seu homo Internus et Externus sit, est ut per hominem conjunctio coeli sit cum mundo, influit enim coelum per Internum hominem in Externum, et inde percipit quid in mundo, et homo Externus, qui in mundo est, inde percipit quid in coelo, homo ut talis sit ita creatus est. Dominus etiam, quoad Humanum suum, Externum et Internum habuit, quia placuit Ipsi nasci sicut alius homo; Externum seu Externus Ipsius Homo repraesentatus est per Jacobum et postea per Israëlem, Internus autem homo repraesentatur per Josephum; hic seu Internus homo est, qui vocatur Coelestis spiritualis ex rationali, seu quod idem, Internum Domini, quod Humanum fuit, coeleste spiritualis ex rationali; de hoc et de ejus glorificatione agitur in sensu interno in hoc Capite et in sequentibus ubi de Josepho: quid autem coeleste spiritualis e rationali sit, prius n: 4286. 4585. 4592. 4594, explicatum est, quod nempe sit supra coeleste spiritualis e naturali, quod per Israëlem repraesentatur. Dominus quidem natus est sicut alius homo; sed notum est, quod homo qui nascitur, trahat suum tam ex patre quam ex matre, et quod intimum suum ex patre, at exteriora seu quae intimum illud investiunt a matre, utrumque nempe quod a patre et matre trahit, est conspurcatum malo haereditario; aliter vero apud Dominum, quod a matre traxit, hoc similiter in se habuit haereditarium quale alii homini, sed quod a Patre, Qui fuit Jehovah, hoc fuit Divinum; inde est, quod Internus homo Domini non similis fuerit interno alius hominis, Intimum enim Ipsius fuit Jehovah; hoc itaque intermedium est quod vocatur coeleste spiritualis e rationali. Sed de hoc in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, plura dicentur.

4964. [2] Descendere factus Aegyptum, quod significet ad scientifica quae Ecclesiae, constat ex significatione Aegypti, quod sit scientia, seu scientificum in communi, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462; sed quale id scientificum fuit, quod per Aegyptum proprie significatur, nondum explicatum est: in Antiqua Ecclesia fuerunt Doctrinalia, et fuerunt Scientifica; Doctrinalia agebant de Amore in Deum et de charitate erga proximum, Scientifica autem de Correspondentiis mundi naturalis cum mundo spirituali, et de Repraesentativis, spiritualium et coelestium in naturalibus et terrestribus; haec fuerunt Scientifica illorum qui in Ecclesia Antiqua: Aegyptus fuit inter illas regiones et inter illa regna, ubi etiam Antiqua Ecclesia fuit, n: 1238. 2385., sed quia ibi imprimis scientifica tradebantur, idcirco per Aegyptum significatur Scientificum in genere; et ideo quoque in Verbo prophetico toties de Aegypto agitur, et ibi tale scientificum per illam in specie intelligitur; ipsa magia Aegyptiaca etiam inde originem habuit, noverunt enim Correspondentias Naturalis mundi cum spirituali, quibus dein, postquam Ecclesia apud illos cessavit, ad magica abusi sunt. Quia nunc talia scientifica apud illos fuerunt, nempe quae docebant Correspondentias, et quoque Repraesentativa et Significativa, et quia haec inserviebant doctrinalibus Ecclesiae, imprimis ad intelligendum illa quae in Verbo illorum dicta fuerunt, (quod Verbum Antiquae Ecclesiae fuerit tam Propheticum quam Historicum, simile huic Verbo, sed aliud, videatur n: 2686) inde est, quod per descendere factus Aegyptum, significentur ad scientifica quae Ecclesiae. Quia Dominus per Josephum repraesentatur, et hic dicitur quod Josephus descendere factus sit Aegyptum, significatur, quod Dominus, cum Internum suum Hominem glorificaret, hoc est, Divinum faceret, primum imbuerit scientifica Ecclesiae, et ab illis et per illa progressum fecerit ad interiora magis et magis, et tandem usque ad Divina; placuit enim Ipsi secundum talem ordinem Se Ipsum glorificare seu Divinum facere, secundum qualem, hominem regenerat seu spiritualem facit, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402, nempe ab externis, quae sunt scientifica et vera fidei, successive ad interna, quae sunt charitatis erga proximum, et amoris in Ipsum. Inde patet, quid significatur per haec verba apud Hoscheam „Cum puer

Israël, tunc amavi illum, et *ex Aegypto vocavi filium meum* » XI: 1, quod haec de Domino, videatur Matth: II: 15.

4965. Et emit eum Potiphar cubicularius Pharaonis, quod significet quod apud interiora scientificorum, constat ex significatione cubicularii Pharaonis, quod sint interiora scientificorum, de qua n: 4789; per emere significatur, quod illa sibi addicaverit, n: 4397. 4487. Interiora scientificorum sunt illa quae propius accedunt ad spiritualia, et sunt applicationes scientificorum ad coelestia; haec enim sunt, quae Internus homo videt, cum Externus solum scientifica in forma externa.

4966. Princeps satellitum, quod significet quae primaria interpretationi, constat ex significatione principis satellitum, quod sint primaria interpretationi, de qua n: 4790; primaria interpretationi sunt illa, quae primario conducunt ad interpretandum Verbum; ac ita ad intelligendum doctrinalia amoris in Deum et charitatis erga proximum, quae ex Verbo. Sciendum, quod Scientifica veterum prorsus alia fuerint quam scientifica hodie; Scientifica veterum egerunt, ut supra dictum, de Correspondentiis rerum in mundo naturali cum rebus in mundo spirituali; scientifica, quae hodie vocantur Philosophica, qualia sunt Aristotelica ac similia, illis ignota fuerunt; hoc quoque patet a Libris vetustiorum, quorum plerique conscripti sunt per talia quae interiora significabant, repraesentabant, et illis correspondebant; ut constare potest solum ex his, ut taceantur reliqua; quod Heliconem in monte statuerint, et per illum intellexerint Coelum, quod Parnassum infra in colle, et per illum intellexerint scientifica, quod dixerint equum volantem, quem Pegasum vocarunt, rupisse ibi fontem ungula, quod scientias vocaverint virgines, et sic porro; sciverunt enim ex correspondentiis et repraesentativis, quod mons esset Coelum, quod collis esset id coelum quod infra est seu quod apud hominem, quod equus esset intellectuale, quod alae quibus volabat essent spiritualia, quod ungula esset naturale, quod fons esset intelligentia, et quod tres virgines quae charites dictae, essent affectiones boni, et quod virgines, quae Heliconides et Parnassides nominatae, essent affectiones veri. Similiter quod Soli attribuerint equos, quorum cibum vocabant ambrosiam, et potum nectarem, sciebant enim quod Sol significaret amorem coelestem,

equi intellectualia quae inde sunt, et quod cibi coelestia, et potus spiritualia. Ex Antiquis etiam manet, quod Reges, cum coronantur, sedebunt super throno argenteo, induendi chlamyde purpurea, ungendi oleo, portabunt capite coronam, manibus sceptrum, gladium, claves, equitabunt in regio ornatu super equo albo, sub cujus pedibus ungulae argenti, ad mensam tunc ministrabuntur ab optimatibus Regni, praeter plura; sciebant enim quod Rex repraesentaret Divinum Verum quod ex Divino Bono, et inde quid thronus argenteus, chlamys purpurea, oleum unctionis, corona, sceptrum, gladius, claves, equus albus, ungulae argenti, ministratio ab optimatibus; quis hodie illa novit, et ubi scientifica quae illa docent, emblemata vocant, prorsus non scientes aliquid de Correspondentia et Repraesentatione. Ex his patet, qualia fuerunt scientifica Antiquorum, et quod illa duxerint eos in cognitionem de spiritualibus et coelestibus, quae quoque hodie vix sciuntur quod sint. Scientifica, quae loco illorum successerunt, et proprie Philosophica dicuntur, abstrahunt potius mentem a sciendis talibus, quia applicari possunt etiam ad confirmanda falsa, et quoque mittunt mentem in tenebras cum per illa confirmantur vera, quia pleraque nudae voces sunt, per quas confirmationes fiunt, quae a paucis capiuntur, et de quibus etiam pauci illi disceptant: inde constare potest, quantum recessit genus humanum ab eruditione antiquorum, quae duxit ad sapientiam. Gentiles illa habuerunt ab Ecclesia Antiqua, cujus cultus externus constabat in repraesentativis et significativis, ac internus in illis quae repraesentabantur et significabantur. Haec erant scientifica, quae in genuino sensu per Aegyptum significantur.

4967. Vir Aegyptius, quod significet verum naturale, constat ex significatione viri, quod sit verum, de qua n: 3134; et ex significatione Aegypti, quod sit scientificum in genere, de qua mox supra n: 4964. 4966; et quia Aegyptus est scientificum, etiam est naturale, omne enim scientificum apud hominem est naturale, quia in naturali ejus homine, etiam scientificum de spiritualibus et coelestibus, causa est, quia homo in naturali et ex naturali videt illa, quae non ex naturali videt, non capit: sed aliter videt illa homo regeneratus, qui spiritualis vocatur, aliter homo non regeneratus qui mere naturalis, apud

illum scientifica illustrantur a luce coeli, apud hunc autem non ita, sed a luce quae influit per spiritus qui in falso et malo sunt, quae lux quidem est a luce coeli, sed facta apud illos opaca, sicut lux vesperae aut noctis, vident enim tales spiritus, et inde tales homines, sicut noctuae, clare noctu et obscure interdiu, hoc est, clare falsa et obscure vera, et inde clare quae mundi sunt, et obscure, si quicquam, illa quae coeli. Ex his constare potest, quod scientificum genuinum sit verum naturale; omne enim scientificum genuinum, quale per Aegyptum in bono sensu significatur, est verum naturale.

4968. E manu Jischmaëlitarum, quod significet a simplici bono, constat ex repraesentatione Jischmaëlitarum, quod sint qui in simplici bono, de qua n: 3263. 4747; hic itaque verum naturale quod a simplici bono. In Capite XXXVII, Vers: 36, dicitur, quod *Midianitae* vendiderint Josephum ad Aegyptum Potiphari cubiculario Pharaonis, principi satellitum; hic autem dicitur, quod Potiphar cubicularius Pharaonis, princeps satellitum, emerit illum e manu *Jischmaëlitarum*, qui descendere fecerunt eum illuc; quod ita dicatur, est propter sensum internum; ibi enim agitur de abalienatione Veri Divini, quae non fit ab illis qui in simplici bono sunt, sed ab illis qui in simplici vero, qui per Midianitas repraesentantur, videatur n: 4788; hic autem agitur de comparatione seu addicatione scientificorum et de vero naturali quod a simplici bono, quapropter dicitur ab Jischmaëlitis, per hos enim repraesentantur qui in simplici bono; inde patet, quod ita dictum sit propter sensum internum: historica [3] nec sibi contrariantur, de Midianitis enim dicitur, quod extraxerint Josephum e fovea, consequenter quod ab illis traditus sit Jischmaëlitis, a quibus in Aegyptum deductus est, ita quod Midianitae, quia tradiderunt illum Jischmaëlitis qui irent Aegyptum, vendiderint illum ad Aegyptum.

4969. Qui descendere fecerunt eum illuc, quod significet quod ab illo bono ad illa scientifica, constat ex repraesentatione Jischmaëlitarum, qui descendere fecerunt eum, quod sint qui in simplici bono, de qua mox supra n: 4968, et a significatione Aegypti, quae hic est illuc, quod sit scientificum in genere, de qua mox supra n: 4964. 4966: descendere dicitur, quia agitur de scientificis quae sunt exteriora; in Verbo enim ab interiori-

bus ad exteriora dicitur descendere, ab exterioribus vero ad interiora ascendere, videatur n: 3084. 4539.

4970. Vers: 2. 3. 4. 5. 6. *Et fuit Jehovah cum Josepho, et fuit vir prosperans, et fuit in domo domini sui Aegyptii. Et vidit dominus ejus, quod Jehovah cum eo, et omne quod is faciens Jehovah prosperans in manu ejus. Et invenit Joseph gratiam in oculis ejus, et ministravit illi, et praefecit eum super domum suam, et quicquid erat illi dedit in manum ejus. Et factum, e quo praefecit eum in domo sua, et super omne quod erat illi, et benedixit Jehovah domui Aegyptii propter Josephum, et fuit benedictio Jehovae in omni quod erat illi in domo et in agro. Et reliquit omne quod illi in manum Josephi, et non scivit cum eo quicquam, nisi panem quem ille edens: et erat Joseph pulcher forma, et pulcher aspectu.* Et fuit Jehovah cum Josepho, significat quod coelesti spiritualis inesset Divinum: et fuit vir prosperans, significat quod omnia provisa: et fuit in domo domini sui Aegyptii, significat ut initiaretur bono naturali: et vidit dominus ejus quod Jehovah cum eo, significat quod perceptum in bono naturali quod inesset Divinum: et omne quod is faciens Jehovah prosperans in manu ejus, significat quod omnia ex Providentia Divina: et invenit Joseph gratiam in oculis ejus, significat quod id acceptum: et ministravit illi, significat quod scientificum appropriaretur bono suo: et praefecit eum super domum suam, significat quod adplicuit se ei bonum: et quicquid erat illi dedit in manum ejus, significat quod omne suum sicut in ejus potestate: et factum, e quo praefecit eum in domo sua, et super omne quod erat illi, significat statum alterum postquam applicuit se ei bonum, et omne suum sicut in ejus potestate: et benedixit Jehovah domui Aegyptii propter Josephum, significat quod ex Divino tunc ei coeleste naturale: et fuit benedictio Jehovae, significat incrementa: in omni quod erat illi in domo et in agro, significat in vita et in doctrina: et reliquit omne quod illi in manum Josephi, significat quod appareret sicut omnia forent in ejus potestate: et non scivit cum eo quicquam nisi panem quem ille edens, significat quod bonum inde appropriaretur: et erat Joseph pulcher forma, significat bonum vitae inde: et pulcher aspectu, significat verum fidei inde.

4971. Et fuit Jehovah cum Josepho, quod significet quod coelesti spiritualis inesset Divinum, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis e rationali, de qua supra n: 4963; et quia de Domino agitur, hic de Interno Homine in Humano Ipsius, per fuit Jehovah cum illo, significatur quod inesset Divinum, inerat enim Divinum Humano Ipsius, quia a Jehovah conceptus fuit: apud Angelos non inest Divinum, sed adest, quia sunt modo formae recipientes Divini a Domino.

4972. Et fuit vir prosperans, quod significet quod omnia provisa, constat ex significatione prosperari, cum dicitur de Domino, quod sit provisum esse, ut nempe locupletaretur omni bono.

4973. Et fuit in domo domini sui Aegyptii, quod significet ut initiaretur bono naturali, constat ex significatione domini, quod sit bonum, de qua sequitur; et ex significatione Aegyptii, quod sit scientificum in genere, et inde naturale, de qua n: 4967; quod esse in domo, sit initiari, est quia domus est mens in qua bonum, n: 3538, hic mens naturalis, et praeterea domus praedicatur de bono, n: 3652. 3720; est apud hominem mens naturalis et mens rationalis, mens naturalis est in externo ejus homine, mens rationalis in interno; scientifica sunt vera mentis naturalis, quae dicuntur ibi in domo sua esse, cum ibi conjunguntur bono, nam bonum et verum constituunt simul unam domum, sicut maritus et uxor; sed bona et vera, de quibus hic agitur, sunt interiora, correspondent enim coelesti spiritualis e rationali, quod repraesentatur per Josephum; vera interiora correspondentia in naturali sunt applicationes ad usus, et bona interiora ibi sunt usus. Multoties in Verbo dicitur Dominus, sed qui sensum internum non scit, nihil aliud per dominum intellectum autumat, quam quod in communi sermone, cum dominus nominatur, intelligitur; sed Dominus in Verbo nullibi dicitur, ubi non agitur de bono, similiter cum Jehovah, cum autem agitur de Vero, dicitur Deus et quoque Rex; inde est quod per dominum significetur bonum; quod et ab his locis constare potest, apud Mosen „Jehovah Deus vester, Ipse Deus deorum, et *Dominus dominorum,*" Deut: X: 17: apud Davidem „Confitemini Jehovae, confitemini Deo deorum; confitemini *Domino dominorum,*" Psalm: CXXXVI: 1. 2. 3, ubi Je-

hovah seu Dominus dicitur Deus deorum a Divino Vero quod procedit ab Ipso, et Dominus dominorum a Divino Bono quod est in Ipso: similiter apud Johannem „Agnus vincet eos, quia *Dominus dominorum* est, et Rex regum," Apoc: XVII: 14: et apud Eundem „Sedens super equo albo habet super vestimento suo et super femore suo nomen scriptum, Rex regum et *Dominus dominorum*," Apoc: XIX: 16; quod Dominus Rex regum dicatur a Divino Vero, et Dominus dominorum a Divino Bono, patet a singulis ibi; nomen scriptum est quale Ipsius, n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006; vestimentum super quo id scriptum, est verum fidei, n: 1073. 2576. 4545. 4763; femur super quo etiam id quale scriptum, est bonum amoris, n: 3021. 4277. 4280. 4575; exinde quoque patet quod Dominus ex Divino Vero dicatur Rex regum, et ex Divino Bono Dominus dominorum; quod Dominus ex Divino Vero dicatur Rex, videatur n: 2015. 2069. 3009. 3670. 4581. Inde quoque liquet, quid intelligitur per Christum Domini, apud Lucam, „Simeoni responsum factum est a spiritu sancto, non visurum mortem antequam videret *Christum Domini*," II: 26, Christus Domini est Divinum Verum Divini Boni, Christus enim idem est ac Messias, et Messias est Unctus seu Rex, n: 3008. 3009, Dominus ibi est Jehovah; in Verbo Novi Testamenti nullibi Jehovah dicitur, sed pro Jehovah Dominus et Deus, videatur n: 2921; ut quoque apud Lucam „Jesus dixit, quomodo dicunt Christum filium Davidis, cum Ipse David dicit in Libro Psalmorum „Dixit *Dominus Domino meo*, sede a dextris meis" XX: 41. 42; [4] idem ita apud Davidem „Dictum *Jehovae* ad *Dominum meum*, sede ad dextram meam," Psalm: CX: 1, quod Jehovah apud Davidem dicatur Dominus apud Evangelistam, patet, Dominus ibi pro Divino Bono Divini Humani, omnipotentia significatur per sedere a dextris, n: 3387. 4592. 4933 f. Dominus cum fuit in mundo, fuit Divinum Verum, at cum glorificatus est, hoc est, cum Humanum in Se Divinum fecit, tunc factus est Divinum Bonum, a quo dein Divinum Verum procedit: inde est, quod discipuli post resurrectionem non appellaverint Ipsum Magistrum, ut prius, sed Dominum, ut patet apud Johannem Cap: XXI: 7. 12. 15. 16. 17. 20, et quoque apud reliquos Evangelistas. Divinum Verum, quod Dominus fuit cum in

mundo, et quod dein procedit ab Ipso, hoc est, a Divino Bono, etiam vocatur Angelus foederis, apud Malachiam „Subito veniet ad templum suum *Dominus* Quem vos quaerentes, et *Angelus foederis* quem vos desideratis," III: 1. Quia per Dominum intelligitur Divinum Bonum, et per Regem Divinum Verum, ideo ubi de Domino dicitur, quod Ipsi Dominium et Regnum, ibi dominium praedicatur de Divino Bono, et Regnum de Divino Vero; et ideo Dominus vocatur Dominus gentium et Rex populorum, per gentes enim significantur qui in bono, et per populos qui in vero, n: 1259. 1260. 1849. 3581. Bonum dicitur Dominus respective ad servum, et Bonum dicitur Pater respective ad filium, ut apud Malachiam „Filius honorabit Patrem, et *servus Dominum suum;* quod si Pater Ego, ubi honor meus, et si *Dominus* Ego, ubi timor mei" I: 6: et apud Davidem „In *servum* venditus est JOSEPHUS, sermo Jehovae probavit eum, misit *Rex* [et] solvit eum, *dominator gentium* aperuit eum, posuit eum *Dominum domui suae,* et *dominantem* in omnem possessionem suam," Psalm: CV: 17. 20. 21. 22; quod per Josephum ibi intelligatur Dominus, a singulis patet; Dominus ibi est Divinum Bonum Divini Humani.

4974. Et vidit dominus ejus quod Jehovah cum eo, quod significet quod perceptum in bono naturali quod inesset Divinum, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 3764. 4339. 4567. 4723; ex significatione domini, quod sit bonum, de qua mox supra n: 4973, hic bonum naturale, quia est Aegyptius qui hic dominus; quod inesset Divinum, significatur per quod Jehovah cum eo, ut supra n: 4971.

4975. Et omne quod is faciens Jehovah prosperans in manu ejus, quod significet quod omnia ex Providentia Divina, constat ex significatione prosperari, quod sit provideri, de qua supra n: 4972, inde Jehovah prosperans in manu ejus, est Providentia Divina.

Et invenit Joseph gratiam in oculis ejus, quod significet quod id acceptum esset, nempe bono naturali, quod per dominum ejus significatur, constat ex significatione invenire gratiam in oculis alicujus, quod sit acceptum esse; in oculis dicitur, quia

gratia praedicatur de intellectuali, et per oculos id significatur, n: 2701. 3820. 4526.

4976. Et ministravit illi, quod significet quod scientificum adpropriaretur bono suo, constat ex significatione ministrare, quod sit inservire suppeditando id cujus indiget alius, hic appropriari, quia agitur de bono naturali cui appropriandum scientificum; ministrare etiam praedicatur de scientificis, per ministrum enim et per servum in Verbo significatur scientificum seu verum naturale, quia hoc subordinatum est bono, ut suo domino: scientificum ad jucundum naturalis hominis, seu quod idem, verum naturale ad bonum ejus, se habet prorsus sicut aqua ad panem, seu potus ad cibum; aqua seu potus facit ut diluatur panis et cibus, et dilutus feratur in sanguinem, et inde in partes corporis circumquaque, et nutriat illas; absque enim aqua aut potu panis seu cibus non resolvitur in sua minuta, nec circumfertur ad usum: ita quoque est scientificum respective ad jucundum, seu verum respective ad bonum; quapropter bonum appetit et desiderat verum, et hoc propter usum ut sibi ministret et serviat; correspondent etiam similiter, homo in altera vita non nutritur per aliquem cibum et potum naturalem, sed per cibum et potum spiritualem, cibus spiritualis est bonum, et potus spiritualis est verum; quapropter ubi in Verbo panis aut cibus nominatur, angeli intelligunt panem seu cibum spiritualem, nempe bonum amoris et charitatis, et ubi aqua aut potus nominatur, intelligunt aquam seu potum spiritualem, nempe verum fidei: inde videri potest, quid verum fidei absque bono charitatis, tum quomodo illud absque hoc nutrire potest internum hominem, quod nempe sicut sola aqua seu solus potus absque pane et cibo; quod inde homo emacietur et pereat, notum est.

4977. Et praefecit eum super domum suam, quod significet quod adplicuit se ei bonum, constat ex significatione domini, qui praefecit, quod sit bonum, de qua supra n: 4973; et a significatione praeficere eum super domum suam, quod sit applicare se ei, nempe scientifico seu vero naturali; quod hic sensus sit, patet a sequentibus, ubi dicitur, quod quicquid erat illi, dederit in manum ejus, per quae significatur quod omne suum sicut in ejus potestate esset; bonum enim est dominus, et verum est minister, cum dicitur de domino quod praefecerit mini-

strum, seu de bono quod praefecerit verum, in sensu interno non significatur quod cesserit ei dominium, sed quod applicuerit se, nam in sensu interno percipitur res sicut illa in se est, sed in sensu literae exponitur res secundum apparentiam; bonum enim semper habet dominium, ast applicat se ut verum ei conjungatur: homo cum in vero est, quod fit antequam regeneratus est, tunc vix aliquid novit de bono; verum enim influit per viam externam seu sensualem, bonum autem per viam internam; quod influit per viam externam, hoc sentit homo, non autem quod per viam internam priusquam regeneratus est; quapropter nisi in priori statu daretur sicut dominium vero, seu nisi ita applicaret se bonum, nusquam bono appropriaretur verum: hoc idem est cum illis quae multoties prius ostensa sunt, quod nempe verum apparenter primo loco sit, seu quasi dominus, cum regeneratur homo, sed bonum manifeste primo loco et dominus, cum homo regeneratus est, de quibus videatur n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4925. 4926. 4928. 4930.

4978. Et quicquid erat illi, dedit in manum ejus, quod significet quod omne suum sicut in ejus potestate, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3091. 3387. 3563. 4931 ad 4937; ita dare in manum ejus, est in potestatem ejus; sed quia hoc apparenter fit, dicitur sicut in ejus potestate; quod sit apparenter seu sicut, videatur mox supra n: 4977.

4979. Et factum, e quo praefecit eum in domo sua, et super omne quod erat illi, quod significet statum alterum, postquam applicuit se ei bonum, et omne suum sicut in ejus potestate, constat ex significatione factum seu fuit, quod multoties in Verbo dicitur, quod involvat novum quid, proinde statum alterum, similiter in sequentibus, Versibus 7. 10. 11. 13. 15. 18. 19; ex significatione e quo praefecit eum in domo sua, quod sit postquam applicuit se ei bonum, de qua supra n: 4977; et ex significatione super omne quod erat illi, quod sit et omne suum sicut in ejus potestate, de qua etiam supra n: 4978.

4980. Et benedixit Jehovah domui Aegyptii propter Josephum, quod significet quod ex Divino tunc ei coeleste naturale,

constat ex significatione benedici, quod sit locupletari bono coelesti et spirituali; quod ex Divino, significatur per benedixit Jehovah; et ex significatione domus Aegyptii, quod sit bonum mentis naturalis, ut supra n: 4973; inde sequitur, quod per benedixit Jehovah domui Aegyptii, significetur quod ex Divino tunc ei coeleste naturale. Coeleste naturale est bonum in naturali quod correspondet bono rationalis, hoc est, quod correspondet coelesti spiritualis e rationali, quod est Josephus, n: 4963. Coeleste sicut spirituale praedicatur et de Rationali et de Naturali, hoc est de Interno homine, qui est Rationalis homo, et de Externo, qui est naturalis homo; spirituale enim in sua essentia est Divinum Verum quod procedit a Domino, et Coeleste est Divinum Bonum quod est in Divino illo Vero; Divinum Verum in quo Divinum Bonum, cum recipitur a Rationali seu ab Interno homine, dicitur spirituale in rationali, et cum recipitur a naturali seu ab Externo homine, dicitur spirituale in naturali; Divinum Bonum quod est in Divino Vero similiter, id cum recipitur a rationali seu Interno homine, vocatur coeleste in rationali, et cum recipitur a naturali seu Externo homine, vocatur coeleste in naturali: apud hominem influit utrumque a Domino tam immediate quam mediate per Angelos et spiritus; at apud Dominum, cum fuit in mundo, influebat ab Ipso, quia Divinum fuit in Ipso.

4981. Et fuit benedictio Jehovae, quod significet incrementa, constat ex significatione benedictionis Jehovae; benedictio Jehovae in genuino sensu significat amorem in Dominum et charitatem erga proximum, qui enim illis donantur, vocantur benedicti Jehovae, donantur enim tunc coelo et salute aeterna; inde benedictio Jehovae in sensu externo seu respectivo ad statum hominis in mundo, est contentus esse in Deo, et inde contentus esse honoris et opulentiae statu in quo est, sive inter honoratos et divites sit, sive inter minus honoratos et pauperes; qui enim contentus est in Deo, honores et divitias spectat ut media usuum, et cum cogitat de illis et simul de vita aeterna, tunc illa nihili facit, et hanc essentialem. Quia benedictio Jehovae seu Domini, illa in genuino sensu involvit, etiam benedictio innumerabilia in se continet, et inde significat varia quae sunt consequentia, sicut locupletari bono spirituali et coelesti, n:

981. 1781; fructificari ex affectione veri, n: 2846; disponi in ordinem coelestem, n: 3017; donari bono amoris, et sic conjungi Domino, n: 3406. [5] 3504. 3514. 3530. 3584; gaudium, n: 4216; quid itaque in specie significat, constare potest ex serie antecedentium et consequentium; quod hic benedictio Jehovae significet incrementa in bono et vero, seu in vita et doctrina, patet ab illis quae sequuntur, dicitur enim, fuit benedictio Jehovae in domo et in agro, et per domum significatur bonum quod est vitae, et per agrum verum quod est doctrinae; inde patet, quod incrementa in illis hic per benedictionem Jehovae significentur.

4982. In omni quod erat illi in domo et in agro, quod significet in vita et in doctrina, constat ex significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 2048. 2233. 2234. 2559. 3128. 3652. 3720, et quia domus est bonum, etiam est vita, omne enim bonum est vitae; et ex significatione agri, quod sit verum Ecclesiae, de qua n: 368. 3508. 3766. 4440, 4443, et quia est verum Ecclesiae, etiam est doctrina, omne enim verum est doctrinae. Alibi in Verbo aliquoties etiam domus et ager dicuntur, et cum ibi agitur de coelesti homine, per domum significatur bonum coeleste, et per agrum bonum spirituale; bonum coeleste est bonum amoris in Dominum, et bonum spirituale est bonum charitatis erga proximum; at cum de spirituali homine agitur, per domum significatur coeleste quod apud illum, quod est bonum charitatis erga proximum, et per agrum spirituale apud illum, quod est verum fidei: illa et haec significantur apud Matthaeum, „Qui super tecto *domus*, ne descendat ad tollendum quid *in domo sua;* et qui in *agro*, ne revertatur retro ad accipiendum vestem suam,“ XXIV: 17. 18. n: 3652.

4983. Et reliquit omne quod illi in manum Josephi, quod significet quod appareret sicut omnia forent in ejus potestate, constat ex illis quae supra n: 4978, explicata sunt, ubi similia paene verba, tum ab illis quae n: 4977, dicta.

4984. Et non scivit cum eo quicquam nisi panem quem ille edens, quod significet quod bonum inde appropriaretur, constat ex significatione panis, quod sit bonum, de qua n: 276. 680. 3478. 3735. 4211. 4217. 4735; et ex significatione edere, quod sit appropriari, de qua n: 3168. 3513 f. 3596. 3832.

4745; quod non scivit cum eo quicquam nisi panem, significat quod nihil aliud reciperet quam bonum. Credi potest, quod bonum, cum appropriat sibi verum, sit verum, quale verum fidei est, quod sibi appropriat, sed est bonum veri, vera quae non sunt usus, quidem accedunt, sed non intrant; omnes usus ex veris sunt bona veri; vera quae non sunt usui, separantur, et quaedam retinentur et quaedam rejiciuntur, quae retinentur, sunt quae introducunt ad bonum remotius vel propius, et sunt ipsi usus, quae rejiciuntur sunt quae non introducunt, nec se applicant: omnes usus in suo initio sunt vera doctrinae, at in progressu fiunt bona, et tunc fiunt bona, cum homo agit secundum illa; ipsa actio qualificat ita vera; omnis enim actio descendit ex voluntate, et ipsa voluntas facit ut id bonum fiat, quod prius fuit verum: inde patet, quod verum voluntate non amplius sit verum fidei, sed bonum fidei; et quod verum fidei nullum felicem faciat, sed bonum fidei, hoc enim afficit ipsum illud quod est vitae hominis, nempe ejus velle, et dat ei jucundum interius seu beatum, ac in altera vita felix, quod gaudium coeleste vocatur.

4985. Et erat Joseph pulcher forma, quod significet bonum vitae inde, et pulcher aspectu quod significet verum fidei inde, constat ex significatione pulchri forma et pulchri aspectu; forma enim est rei essentia, aspectus autem est existentia inde; et quia bonum est ipsa essentia, et verum est existentia inde, per pulchrum forma significatur bonum vitae, et per pulchrum aspectu verum fidei; nam bonum vitae est ipsum esse hominis, quia est voluntatis ejus, et verum fidei est existere inde, quia est intellectus; quicquid enim est intellectus, id existit a voluntate; esse vitae hominis est in ejus velle, et existere vitae ejus est in ejus intelligere, intellectus hominis non aliud est quam voluntas explicata, et formata ita ut appareat qualis est aspectu. Inde patet, unde pulchritudo, nempe interioris hominis, quod sit ex bono voluntatis per verum fidei; ipsum verum fidei sistit pulchritudinem in externa forma, sed bonum voluntatis indit illam et format illam: inde est, quod Angeli coeli sint pulchritudine ineffabili, sunt enim quasi amores et charitates in forma, quapropter cum apparent in sua pulchritudine, afficiunt intima, apud illos bonum amoris a Domino elucet per verum fidei, et pene-

trando afficit. Inde constare potest, quid in sensu interno per pulchrum forma et pulchrum aspectu significatur, ut quoque n: 3821.

4986. Vers: 7. 8. 9. *Et factum post verba haec, et sustulit uxor Domini ejus oculos suos ad Josephum, et dixit, cuba mecum. Et renuit, et dixit ad uxorem domini sui, ecce dominus meus non scit cum me quid in domo, et omne quod est illi dedit in manum meam. Non ipse magnus in domo hac prae me, et non prohibuit a me quicquam, nisi temet, eo quod tu uxor illius, et quomodo faciam malum magnum hoc, et peccarem Deo.* Et factum post verba haec, significat tertium statum: et sustulit uxor domini ejus oculos suos ad Josephum, significat verum naturale non spirituale adjunctum bono naturali, et ejus perceptionem: et dixit cuba mecum, significat quod cuperet conjunctionem: et renuit, significat aversationem: et dixit ad uxorem domini sui, significat perceptionem de illo vero: ecce dominus meus non scit cum me quid in domo, significat quod bonum naturale ne quidem appropriationem cuperet: et omne quod est illi dedit in manum meam, significat quod omne in ejus potestate; non ipse magnus in domo hac prae me, significat quod bonum illud tempore prius non statu: et non prohibuit a me quicquam nisi temet, significat quod vero boni illius vetitum conjungi: eo quod tu uxor illius, significat quia non alii bono conjungendum: et quomodo faciam malum magnum hoc et peccarem Deo, significat quod sic disjunctio et nulla conjunctio.

4987. Et factum post verba haec, quod significet tertium statum, constat ex significatione factum vel fuit, quod involvat novum quid, ut supra n: 4979, proinde hic statum tertium; et ex significatione post verba haec, quod sit post illas res transactas. In Lingua originali non distinguitur una series ab altera per signa interstitialia, ut in aliis linguis, sed apparet sicut continuum a principio ad finem: illa quae in sensu interno quidem similiter continua sunt, et fluentia ab uno statu rei in alterum, at cum unus status terminatur et alter succedit, qui insignis est, indicatur per *fuit* vel *factum;* et mutatio status minus insignis per *et*, quapropter illa tam frequenter occurrunt. Hic status, qui tertius est, de quo nunc agitur, est priori interior.

4988. Et sustulit uxor domini ejus oculos ad Josephum,

quod significet verum naturale non spirituale adjunctum bono naturali, et ejus perceptionem, constat ex significatione uxoris, quod sit verum adjunctum bono, de qua n: 1468. 2517. 3236. 4510. 4823, hic verum naturale non spirituale adjunctum bono naturali, quia de illo vero et hoc bono agitur; bonum illud cui conjunctum id verum, est hic dominus, n: 4973; et ex significatione tollere oculos, quod sit cogitatio, intentio, et quoque perceptio, de qua n: 2789. 2829. 3198. 3202. 4339. Per uxorem hic significatur verum naturale, sed non verum naturale spirituale, et per maritum, qui hic dominus, significatur bonum naturale, sed non bonum naturale spirituale; explicandum itaque est, quid bonum et verum naturale non spirituale, et quid bonum et verum naturale spirituale: bonum apud hominem est ex duplici origine, nempe ex haereditario et inde adscititio, et est ex doctrina fidei et charitatis, apud gentiles ex *religioso*; bonum et verum quod ex priore origine est, est bonum naturale non spirituale; bonum autem quod ex hac origine, est bonum naturale spirituale; ex simili origine est verum, quia omne bonum adjunctum sibi habet suum verum. Bonum naturale ex priore origine, hoc est, ex haereditario et inde adscititio, multa affinia habet cum bono naturali ex altera origine, hoc est, ex doctrina fidei et charitatis seu religioso, sed solum in externa forma, in interna prorsus differunt; bonum naturale ex priore origine comparari potest bono, quod etiam datur apud animalia quae mitia sunt, sed bonum naturale ex altera origine est proprium homini qui ex ratione agit, et inde novit dispensare bonum diversimode secundum usus; hanc dispensationem docet doctrina justi et aequi, et in superiori gradu doctrina fidei et charitatis, et haec quoque in multis confirmat ratio apud vere rationales: illi qui ex priore origine bonum agunt, feruntur sicut instinctu caece in charitatis exercitia, at qui ex altera origine bonum agunt, feruntur ex debito interno, et quasi visualiter ad illa: verbo, qui ex priori origine bonum agunt, non ex aliqua conscientia justi et aequi, minus veri et boni spiritualis bonum agunt, qui autem ex altera origine, ex conscientia agunt; videantur quae prius n: 3040. 3470. 3471. 3518, de his dicta sunt, et quae sequuntur n: 4992. Sed quomodo cum his se habet, nequaquam potest explicari ad captum, nam unusquisque

qui non spiritualis est seu qui non regeneratus est, bonum videt a forma ejus externa, et hoc ex causa, quia non scit quid charitas, nec quid proximus; et quod haec non sciat, etiam est causa, quia nulla doctrinalia charitatis sunt: in luce coeli illa apparent distinctissime, et inde quoque distincte apud spirituales seu regeneratos, quia hi in luce coeli sunt.

4989. Et dixit, cuba mecum, quod significet quod caperet conjunctionem, constat ex significatione cubare mecum, quod sit conjunctio, nempe boni naturalis spiritualis, quod nunc est Josephus, cum vero naturali non spirituali, quod est uxor domini ejus, sed conjunctio illegitima: conjunctiones boni cum vero et veri cum bono in Verbo describuntur per conjugia, videatur n: 2727 ad 2759. 3132. 3665. 4434. 4837; inde est, quod conjunctiones illegitimae describantur per meretricatus: hic itaque conjunctio veri naturalis non spiritualis cum bono naturali spirituali, per quod uxor domini ejus vellet cubare cum illo; conjunctio illorum nulla datur in internis, sed solum in externis, in quibus apparet sicut conjunctio, sed est solum affinitas; inde etiam est, quod illa prehenderit eum in veste ejus, et quod is reliquerit vestem in manu ejus, per vestem enim in sensu interno significatur externum, per quod quasi conjunctio, seu per quod est affinitas, ut videbitur infra ad Vers: 12. 13. Quod haec significentur, non videri potest, quamdiu mens seu cogitatio tenetur in historicis, tunc enim nihil cogitatur quam de Josepho, de uxore Potipharis, de fuga Josephi relicta veste; at si mens seu cogitatio teneretur in illis quae significantur per Josephum, uxorem Potipharis, et per vestem, tunc apperciperetur quod de conjunctione quadam spirituali illegitima quoque hic agatur; et tunc mens seu cogitatio teneri potest in illis quae significantur, si modo credatur, quod Verbum Historicum non sit Divinum ex mere historico, sed ex eo quod in historico sit spirituale et Divinum; et si hoc crederetur, sciretur quod spirituale et Divinum in illo sit de bono et vero quod est Ecclesiae et Regni Domini, et in supremo sensu quod sit de Ipso Domino: cum homo in alteram vitam venit, quod fit statim post mortem, si inter illos est, qui elevantur in coelum, sciturus est, quod nihil retineat ex historicis Verbi, et ne quidem sciat aliquid de Josepho, nec de Abrahamo, Jischako et Jacobo, sed solum de

spiritualibus et Divinis quae ex Verbo didicerat et vitae suae applicuerat; talia ideo sunt quae in Verbo intus sunt, et quae vocantur sensus ejus internus.

4990. Et renuit, quod significet aversationem, constat ex significatione renuere, quod sit aversari, nempe conjunctionem illam, nam qui renuit usque ut fugiat foras, is aversatur.

4991. Et dixit ad uxorem domini sui, quod significet perceptionem de illo vero, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius; et ex significatione uxoris Domini ejus, quod sit verum naturale non spirituale adjunctum bono naturali, de qua supra n: 4988.

4992. Ecce dominus non scit cum me quid in domo, quod significet quod bonum naturale ne quidem appropriationem cuperet, constat ex significatione domini ejus, quod sit bonum naturale, de qua n: 4973; et ex significatione non scire cum me quid in domo, quod sit non cupere appropriationem: quod ille sensus sit, non videri potest, quam ex serie rerum in sensu interno; agitur enim nunc de tertio statu, in quo coeleste spiritualis fuit in naturali; in illo statu separatur bonum et verum naturale quod spirituale est, a bono et vero naturali quod non spirituale est; consequenter per non scire quid in domo, significatur quod nulla cupiditas appropriationis sit: sed haec, quia arcana sunt, non illustrari possunt quam per exempla, sit itaque illustrationi hoc; conjungi cum uxore sua ex sola libidine, hoc naturale non spirituale est, at conjungi cum uxore sua ex amore conjugiali, hoc naturale spirituale est, cum maritus dein ex sola libidine conjungitur, tunc praevaricari se credit, sicut qui lascivum quid facit, quapropter non cupit amplius ut id ei approprietur: sit etiam illustrationi hoc, benefacere amico qualiscunque sit, modo amicus sit, est naturale non spirituale, at benefacere amico propter bonum apud illum, et magis ipsum bonum habere pro amico cui benefaciat, hoc naturale spirituale est, et tunc cum in hoc est, novit se praevaricari si amico qui malus est benefaciat, nam tunc per illum malefacit aliis; cum in hoc statu est, aversatur appropriationem boni naturalis non spiritualis, in quo prius fuit: similiter se habet in reliquis.

4993. Et omne quod illi dedit in manum meam, quod significet quod omne in ejus potestate, constat ex illis quae supra

n: 4978 dicta sunt, ubi similia verba; sed illa differentia est, quod ibi agatur de altero statu in quo fuit coeleste spiritualis in naturali, tunc enim bonum naturale applicuit se, et sibi appropriavit verum, n: 4976. 4977, in quo statu bonum dominium habuit actualiter, sed verum apparenter, quapropter tunc significabatur per illa verba, quod omne suum *sicut* in ejus potestate esset; hic autem agitur de tertio statu in quo est coeleste spiritualis, cum illud in naturali factum est spirituale, et [6] quia in hoc statu nulla appropriatio est, idcirco per illa verba significatur, quod omne in ejus potestate esset.

4994. Non ipse magnus in domo hac [7] prae me, quod significet quod bonum illud tempore prius non statu, constat ex significatione non magnus esse in domo prae me, seu non major esse, quod sit ex aequo esse dominia, proinde quod prius sit unum et alterum; ex serie in sensu interno patet, quod bonum naturale non spirituale tempore prius sit, et quod bonum naturale spirituale statu prius sit, ut quoque liquet ab illis quae supra n: 4992, ostensa sunt. Prius statu est eminentius esse quoad quale.

4995. Et non prohibuit a me quicquam nisi temet, quod significet quod vero boni illius vetitum sit conjungi, constat ex significatione prohibuisse a se, quod sit vetitum esse; et a significatione uxoris, quae est quam prohibuit, et hic per temet intelligitur, quod sit verum naturale non spirituale, de qua n: 4988.

4996. Eo quo tu uxor illius, quod significet quia non alii bono conjungendum, constat ex significatione uxoris, quod sit verum adjunctum suo bono, de qua n: 1468. 2517. 3236. 4510. 4823, hic verum naturale non spirituale cum bono naturali non spirituali, ut supra n: 4988.

4997. Et quomodo faciam malum magnum hoc, et peccarem Deo, quod sic disjunctio et nulla conjunctio, constat ex significatione mali, et quoque peccati, quod sit disjunctio et nulla conjunctio, nempe cum bonum naturale spirituale conjungitur cum vero naturali non spirituali, sunt enim dissimilia et imparia, quae se a mutuo distrahunt. Facere malum dicitur et peccare Deo, quia malum in se spectatum, et quoque peccatum non aliud est quam disjunctio a bono, ipsum malum etiam in

disunione consistit; hoc patet a bono, bonum est conjunctio, quia omne bonum est amoris in Dominum et amoris erga proximum, bonum amoris in Dominum conjungit illum Domino, et consequenter omni bono quod procedit a Domino, et bonum amoris erga proximum conjungit illum coelo et societatibus ibi, ita quoque per hunc amorem conjungitur Domino, nam coelum proprie dictum est Dominus, Ipse enim est omne in omnibus ibi. Contra vero malum; malum est amoris sui et amoris mundi, malum amoris sui disjungit illum non modo a Domino, sed etiam a coelo, nam neminem amat quam se, et alios solum quantum spectat illos in se, seu quantum unum faciunt cum se, inde derivat omnium intuitiones in se, et prorsus avertit ab aliis, et maxime a Domino, et cum plures hoc faciunt in una societate, sequitur quod omnes disjuncti sint, et quisque alterum ex interiori aspicit ut inimicum, et si quis contra illum quidquam facit, odio habet illum, et jucundum habet in ejus pernicie; nec dissimiliter malum amoris mundi, hoc enim cupit aliorum opes et aliorum bona, et cupit possidere omnia aliorum, inde quoque inimicitiae et odia, sed in minori gradu. Ut quis sciat quid malum, proinde quid peccatum, modo studeat scire quid amor sui et mundi; utque sciat quid bonum, modo studeat scire quid amor in Deum et amor erga proximum; inde sciet quid malum, et consequenter quid falsum, et inde sciet quid bonum, et consequenter quid verum.

4998. Vers: 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Et factum, ut loqui illam ad Josephum die die, et non audivit ad illam, ad cubandum apud illam, ad esse cum illa. Et factum ut die quodam, et venit domum ad faciendum opus suum, et nullus vir e viris domus ibi in domo. Et prehendit eum in veste ejus, dicendo, cuba mecum, et reliquit vestem suam in manu illius, et fugit, et exivit foras. Et factum, ut videre illam, quod reliquit vestem suam in manu sua, et fugit foras. Et clamavit ad viros domus suae et dixit illis, dicendo, videte, adduxit nobis virum Hebraeum ad illudendum nobis, venit ad me ad cubandum mecum, et clamavi voce magna. Et factum ut audire eum, quod sustuli vocem meam, et clamavi, et reliquit vestem suam apud me, et fugit, et exivit foras.* Et factum, significat quartum statum: ut loqui illam ad Josephum die die, significat co-

gitationem de illa re: et non audivit ad illam ad cubandum apud illam, significat quod aversaretur conjungi: ad esse cum illa, significat ne sic adunaretur: et factum ut die quodam, significat quintum statum: et venit domum ad faciendum opus suum, significat cum in opere conjunctionis esset cum bono spirituali in naturali: et nullus vir e viris domus ibi in domo, significat quod absque ullius auxilio: et prehendit eum in veste ejus, significat quod verum non spirituale applicaret se ad ultimum veri spiritualis: dicendo, cuba mecum, significat conjunctionis causa: et reliquit vestem suam in manu illius, significat quod abstraheret ultimum id verum: et fugit et exivit foras, significat quod sic non ei verum per quod se defenderet: et factum ut videre illam, significat perceptionem de illa re: quod reliquit vestem suam in manu sua, et fugit foras, significat de separatione veri ultimi: et clamavit ad viros domus, significat falsa: et dixit illis dicendo, significat exhortationem: videte, adduxit nobis virum Hebraeum, significat servum: ad illudendum nobis, significat quod insurgeret: venit ad me ad cubandum mecum, significat quod illud vellet se conjungere: et clamavi voce magna, significat quod aversaretur: et factum ut audire eum, significat cum apperceptum: quod sustuli vocem meam et clamavi, significat quod magna aversatio: et reliquit vestem suam apud me, significat testem quod accesserit: et fugit et exivit foras, significat quod usque se separaverit.

4999. Et factum, quod significet quartum statum, constare potest ex illis quae supra n: 4979. 4987, dicta sunt.

5000. Ut loqui illam ad Josephum die die, quod significet cogitationem de illa re, constat ex significatione loqui, quod sit cogitare, de qua n: 2271. 2287. 2619, nempe de Josepho, ita de illa re, de qua hic per Josephum agitur: die die, seu quovis die, est intense. Quod loqui in sensu interno sit cogitare, est quia cogitatio est loquela interior, et cum homo cogitat, tunc loquitur secum: interiora exprimuntur in sensu literae per exteriora quae correspondent.

5001. Et non audivit ad illam ad cubandum apud illam, quod significet quod aversaretur conjungi, constat ex significatione non audire, quod sit non auscultare seu non obedire, de qua n: 2542. 3869, hic aversari, quia usque eo non ausculta-

vit, ut fugeret relicta veste; et ex significatione cubare apud illam, quod sit conjungi illegitime, de qua n: 4989.

5002. Ad esse cum illa, quod significet ne sic adunaretur, constat ex significatione esse cum aliqua, quod sit arctius conjungi, seu uniri: quod esse sit uniri, est quia ipsum Esse rei est bonum, et omne bonum est amoris, qui est conjunctio spiritualis seu unitio: inde in supremo sensu vocatur Dominus Esse seu Jehovah, quia ab Ipso omne bonum quod est amoris seu conjunctionis spiritualis: Coelum quia unum facit per amorem ab Ipso, et reciprocum in Ipsum per receptionem, et per amorem mutuum, ideo vocatur conjugium, per quod est; similiter foret cum Ecclesia, si apud illam amor et charitas foret ejus Esse: ubi itaque non est conjunctio seu unio, ibi non est Esse, nam nisi aliquid foret quod redigeret ad unum seu uniret, dissolveretur et exstingueretur: ita in societate civili, ubi unusquisque pro se est, et nullus pro alio nisi propter se, nisi essent leges quae unirent, et essent timores jacturae lucri, honoris, famae, vitae, societas prorsus dissiparetur; quapropter Esse talis societatis etiam est conjunctio seu adunatio, sed solum in externis, at respective ad interna apud illam non est Esse; quapropter etiam tales in altera vita in inferno tenentur, et similiter ibi per externa continentur vincti, imprimis per timores, verum quoties relaxantur illa vincula, ruit unus in alterius perniciem, et nihil potius cupit quam alterum prorsus exstinguere: aliter in coelo, ubi conjunctio interna est per amorem in Dominum, et inde amorem mutuum; cum ibi relaxantur vincula externa, arctius mutuo conjunguntur; et quia sic propius ad Esse Divinum, quod a Domino, rediguntur, interius in affectione sunt et inde in libero, consequenter in beato, felici et gaudio.

5003. Et factum ut die quodam, quod significet quintum statum, constat ex significatione factum seu fuit, quod involvat novum quid, ut supra n: 4979. 4987. 4999, ita novum statum, hic quintum.

5004. Et venit domum ad faciendum opus suum, quod significet cum in opere conjunctionis esset cum bono spirituali in naturali, constare potest ex eo, quod conjunctio illa sit de qua in hoc Capite per Josephum agitur, quapropter cum dicitur, ve-

nit domum ad faciendum opus suum, significatur opus illius conjunctionis.

5005. Et nullus vir e viris domus ibi in domo, quod significet quod absque ullius auxilio, constare potest ex eo, quod per id significetur quod solus esset; et quia in sensu interno per Josephum agitur de Domino, quomodo Ipse Humanum Internum suum glorificavit seu Divinum fecit, intelligitur per illa verba, quod id fecerit absque ullius auxilio. Quod Dominus Humanum suum Divinum fecerit ex propria potentia, ita absque ullius auxilio, constare potest ex eo, quod, quia a Jehovah conceptus, Divinum esset in Ipso, et sic quod Divinum esset Ipsius; quapropter cum fuit in mundo, et Humanum in Se Divinum fecit, ex Divino suo seu ex Se Ipso fecit: id describitur ita apud Esaiam „Quis hic qui venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra; hic honorabilis in vestitu suo, *incedens in multitudine roboris sui.* Torcular *calcavi solus,* et de *populis non vir Mecum.* Circumspexi, sed *non auxilians,* et obstupui, sed *non suffulciens;* ideo *salutem praestitit Mihi brachium meum,"* LXIII: 1. 3. 5: et alibi apud Eundem „*Vidit quod non vir,* et quasi obstupuit, quod non esset intercedens; ideo *salutem praestitit Ipsi brachium Ipsius;* et Justitia Ipsius suscitavit Ipsum; unde induit Justitiam sicut loricam, et galeam salutis super caput suum," LIX: 16. Quod Dominus propria potentia Humanum in Se Divinum fecerit, videatur n: 1616. 1749. 1755. 1812. 1813. 1921. 1928. 1999. 2025. 2026. 2083. 2500. 2523. 2776. 3043. 3141. [3381.] 3382. 3637. 4286.

5006. Et prehendit eum in veste ejus, quod significet quod verum non spirituale applicaret se ad ultimum veri spiritualis, constat ex repraesentatione Uxoris Potiphari, de qua haec dicuntur, quod sit verum naturale non spirituale, de qua n: 4988; ex significatione prehendere hic, quod sit applicare se; et ex significatione vestis, quod sit verum, de qua n: 1073. 2576. 4545. 4763, hic ultimum veri spiritualis, quod in hoc statu est Josephi, Josephus enim hic est bonum naturale spirituale, n: 4988. 4992; quod hujus boni verum sit, cum quo verum naturale non spirituale voluit conjungi, a serie rerum in sensu interno patet. Sed quid sit, et quid involvat, quod verum naturale non spirituale vellet conjungi cum vero naturali spirituali,

est hodie arcanum, imprimis ex illa causa, quia pauci solliciti sunt et scire volunt, quid verum spirituale, et quid verum non spirituale, et usque adeo de eo non solliciti sunt, ut vix audire velint nominari spirituale, cum solum nominatur, illico tenebrosum quid obvenit, et tunc simul triste, et fit nauseabundum, et sic rejicitur; quod ita fiat, etiam mihi ostensum est; aderant spiritus ex Christiano orbe, cum mens in talibus esset, et illi tunc missi in eum statum in quo fuerunt in mundo, ii solum ad cogitationem de bono et vero spirituali non modo tristitia affecti sunt, sed etiam ex aversatione tali fastidio correpti, ut dicerent se sentire apud se simile quod in mundo excitat vomitum; sed illis dicere dabatur, quod hoc veniat ex eo, quod affectiones eorum fuerint modo in terrestribus, corporeis et mundanis, in quibus solis cum homo est, tunc ad illa quae sunt coeli nauseat; et quod templa frequentaverint ubi Verbum praedicatum, non ex quodam desiderio sciendi illa quae sunt coeli, sed ex alia cupidine attracta a tempore infantiae; inde patuit, qualis hodie orbis Christianus est: causa in genere est, quod Ecclesia Christiana hodie solam fidem praedicet, non autem charitatem, et sic doctrinam non autem vitam, et quando non vitam, homo in nullam affectionem boni venit, et quando in nulla affectione boni est, in nulla etiam veri est; inde est, quod contra jucundum vitae plerorumque sit, de rebus coeli aliquid amplius, quam quod ex infantia notum est, audire: cum tamen res se ita habeat, quod homo in mundo sit, ut initietur per exercitia ibi in illa quae sunt coeli, et quod vita ejus in mundo vix instar momenti sit respective ad vitam ejus post mortem, haec enim est aeterna; sed pauci sunt qui credunt, quod victuri post mortem, et ideo quoque coelestia illis nauci sunt; sed hoc asseverare possum, quod homo statim post mortem in altera vita sit, et quod ibi ejus vita in mundo prorsus continuetur, et talis sit qualis in mundo fuerat; hoc asseverare possum, quia id scio; loquutus enim sum cum paene omnibus quos notos habui in vita corporis postquam ex hac excesserunt; et inde per vivam experientiam scire datum, qualis sors unumquemvis manet, quod nempe sors secundum vitam cuivis; sed qui tales sunt, ne quidem haec credunt. Quid autem sit, et quid involvat, quod verum naturale non spirituale vellet conjungi cum vero naturali spirituali, quae

significantur per quod prehenderit Josephum in veste, in mox sequentibus dicetur.

5007. Dicendo, cuba mecum, quod significet conjunctionis causa, constat ex significatione cubare, quod sit conjunctio, de qua supra n: 4989. 5001, hic conjunctionis causa, seu propterea ut conjungeretur.

5008. Et reliquit vestem suam in manu illius, quod significet quod abstraheret ultimum id verum, constat a significatione relinquere in manu illius, quod sit in illius potestate, manus enim est potentia seu potestas, n: 878. 3091. 3387. 3563. 4931 ad 4937, et quia illa prehendit vestem ejus, est hic abstrahere; et ex significatione vestis, quod sit ultimum verum, de qua supra n: 5006. Quod verum naturale non spirituale se conjungere voluerit cum vero naturali spirituali, et quod hoc aversaretur conjunctionem, et ideo ultimum verum reliquerit, seu passum sit ut abstraheretur, a nemine comprehendi potest, nisi illustretur per exempla; sed primum videatur quid verum naturale non spirituale, et verum naturale spirituale, n: 4988. 4992, et quod in ultimis sit affinitas, non autem aliqua conjunctio: sed, ut dictum, res haec illustretur per exempla; sit hoc primo; Verum naturale non spirituale est intra Ecclesiam, quod Pauperes, Viduae, et Pupilli, benefaciendi, et quod illis benefacere sit charitas quae mandata in Verbo; sed Verum non spirituale, hoc est, illi qui in vero non spirituali sunt, per pauperes, viduas, pupillos, intelligunt illos qui ita nominantur; at verum naturale spirituale, hoc est, illi qui in illo vero sunt, hoc quidem confirmant, sed in ultimo loco ponunt quod intelligantur pauperes, viduae, pupilli, dicunt enim corde suo, quod non omnes sint pauperes qui se vocant pauperes, quod etiam inter illos sint qui pessime vivunt, quique nec Deum nec homines timent, et qui ruerent in omne nefas nisi timor detineret; et praeterea, quod per pauperes in Verbo intelligantur qui spiritualiter tales sunt, nempe qui sciunt et corde fatentur, quod nihil veri et boni a se habeant, sed quod omnia illis gratis donentur; similiter se habet cum viduis et pupillis, cum differentia respectus ad statum; ex hoc exemplo patet, quod pauperibus, viduis, pupillis benefacere, qui ita nominantur, sit ultimum veri illis qui in vero naturali spirituali sunt, et quod hoc verum sit

Q

instar vestis, quae investit interiora; etiam patet, quod hoc ultimum veri concurrat cum vero apud illos qui in vero naturali non spirituali sunt, sed quod usque non sit conjunctio sed affinitas. Sit exemplum, quod proximo benefaciendum; qui in vero naturali spirituali sunt, illi pro proximo habent unumquemvis, sed usque omnes in dissimili respectu et gradu, et corde dicunt, quod qui in bono sunt proximus sint prae aliis cui benefaciendum; qui autem in malo sunt, quod etiam proximus sint, sed quod tunc illis benefiat si secundum leges puniuntur, quia per punitiones emendantur, et quoque sic praecavetur ne malefiat bonis per eos et per exempla; qui in vero naturali non spirituali intra Ecclesiam sunt, etiam proximum dicunt unumquemvis, sed non admittunt gradus et respectus, quapropter si in bono naturali sunt, benefaciunt unicuique, qui miserationem movet, absque distinctione, ut plurimum malis prae bonis, quia illi ex malitia sciunt miserationes incutere; ex hoc quoque exemplo patet, quod in ultimo hoc vero conveniant illi qui in vero naturali non spirituali sunt, et qui in vero naturali spirituali sunt, sed quod usque non ibi conjunctio sit, sed modo affinitas, unus enim aliam ideam et alium sensum de proximo et de charitate erga illum habet, quam alter. Sit quoque exemplum, qui in vero naturali spirituali sunt in genere dicunt, quod pauperes et miseri haereditaturi sint regnum coeleste; sed hoc verum ultimum illis est, interius enim recondunt, quod illi pauperes sint et illi miseri, qui spiritualiter tales sunt, et quod illi sint qui in Verbo intellecti sunt, quibus regnum coeleste; at qui in vero naturali non spirituali sunt intra Ecclesiam, dicunt quod non alii haereditare possint regnum coeleste, quam qui in mundo in paupertatem redacti sunt, qui in miseriis vivunt, et qui prae caeteris in afflictione sunt, vocant etiam divitias, dignitates, gaudia mundana totidem avocamenta seu media removentia hominem a coelo; ex hoc exemplo etiam patet, quid ultimum verum, et quale, in quo conveniunt, sed quod non conjunctio sit, sed affinitas. Sit etiam exemplum, qui in Vero naturali spirituali sunt, pro ultimo vero habent, quod illa quae sancta vocantur in Verbo, fuerint sancta, sicut arca cum propitiatorio, cum candelabro, suffimentis, panibus, et reliquis, tum altare; et sicut templum; et quoque vestes Aharonis quae vestes sanctitatis vocantur, im-

primis ephodus cum pectorali ubi urim et thumim; sed usque de hoc ultimo vero illam ideam habent, quod illa non sancta fuerint in se, nec illis aliqua sanctitas infusa, sed quod sancta fuerint repraesentative, hoc est, quod repraesentaverint spiritualia et coelestia Regni Domini, ac in supremo sensu Ipsum Dominum; qui autem in vero naturali non spirituali sunt, illa similiter vocant sancta, sed sancta in se per infusionem; inde patet, quod conveniant, sed [8] quod se non conjungant, verum enim illud alius formae est quia alius ideae apud spiritualem quam apud mere naturalem. Sit quoque exemplum, Verum ultimum Spirituali homini est, quod omnia vera Divina possint confirmari ex Verbi sensu literali, et quoque per rationalia seu intellectualia apud illos qui illustrati sunt; hoc verum ultimum et commune etiam agnoscitur a naturali homine, sed hic credit simpliciter, quod omne id verum sit quod ex Verbo confirmari potest, et maxime id quod ipse inde confirmavit; in hoc itaque conveniunt, quod omne Verum Divinum confirmari possit, sed hoc verum commune aliter spectatur ab uno quam ab altero; qui mere naturalis homo est, is verum Divinum credit quicquid ipse apud se confirmavit, vel quod ab aliis audivit confirmatum, non sciens quod falsum aeque confirmari possit quam verum, et quod falsum confirmatum prorsus appareat sicut verum, et quoque plus quam ipsum verum, quia accedunt fallaciae sensuum, et sistunt id in luce mundi separata a luce coeli: inde quoque patet, quale est verum ultimum spirituale coram homine naturali, quod nempe sit instar vestis; et cum haec vestis abstrahitur, quod prorsus non conveniant, consequenter quod homo spiritualis non amplius aliquid habeat per quod se defendat contra hominem naturalem, quae significantur per quod Josephus relicta veste fugit et exivit foras; nam mere naturalis non agnoscit interiora, quapropter cum exteriora auferuntur seu abstrahuntur, tunc illico dissociantur: et porro, homo naturalis omnia vocat falsa, per quae homo spiritualis confirmat verum ultimum, nam non videre potest id quod confirmat num ita sit, e luce naturali videre illa quae lucis spiritualis sunt, impossibile est, hoc contra ordinem est, sed secundum ordinem est quod e luce spirituali videantur quae in luce naturali sunt.

5009. Et fugit et exivit foras, quod significet quod non ei

verum per quod se defenderet, constat ex significatione fugere et exire foras, postquam reliquit vestem, quod sit quod separatio facta sit, seu quod nihil commune amplius esset, consequenter quia vestis est verum ultimum, quod non ei verum per quod se defenderet, de qua re videantur quae mox supra n: 5008 ad fin: ostensa sunt.

5010. Et factum ut videre illam, quod significet perceptionem de illa re, constat ex significatione videre, quod sit perceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723; de illa re, est de separatione per quod ultimum verum non amplius agnosceretur, quae significantur per quod reliquerit vestem suam in manu ejus, et fugerit foras, ut patet ab illis quae supra n: 5008 et 5009, dicta sunt.

5011. Et clamavit ad viros domus, quod significet falsa, constat ex significatione clamoris, quod sit falsum, de qua n: 2240, inde clamare praedicatur de falso; viri domus in genuino sensu sunt vera boni, at in opposito sunt falsa mali: quod sint falsa quae nunc uxor Potiphari loquitur ad viros domus, et dein ad maritum, ab illis quae loquitur constat. Quod verum naturale, quod hic est Uxor Potiphari, non aliter possit, quam falsa seu contraria vero loqui, postquam ultimum verum spirituale, quod quoad extimam faciem quasi conjunctivum apparet, avulsum est, videatur supra n: 5008 ad fin:

5012. Et dixit illis dicendo, quod significet exhortationem, constat ex significatione dicere hic, quod sit exhortatio; est enim dicere in sensu interno perceptio, n: 2862. 3395. 3509, [?] et quoque communicatio, n: 3060. 4131; hic itaque, quia dicitur quod clamavit, et sequitur quod dixit dicendo, est vehemens communicatio, hoc est, exhortatio ad audiendum.

5013. Videte, adduxit nobis virum Hebraeum, quod significet servum, constat ex significatione viri Hebraei, quod praedicetur de servitio, de qua n: 1703; ut quoque liquet a sequentibus, vocatur enim ibi Josephus servus Hebraeus, et quoque simpliciter servus „Venit ad me *servus Hebraeus*, quem adduxisti nobis," Vers: 17; „secundum verba haec fecit mihi *servus tuus*," Vers: 19. Quod vir Hebraeus hic sit servus, est imprimis ex causa, quia illi qui in vero et bono naturali non spirituali sunt, qui hic per Potipharem et ejus uxorem repraesen-

tantur, non aliter spectent verum et bonum spirituale, quod per Josephum repraesentatur, quam servum; sunt enim et vita et doctrina in inverso ordine, naturale enim apud illos dominatur, et spirituale servit; cum tamen secundum ordinem sit, quod spirituale dominetur et naturale serviat, spirituale enim est prius, interius et superius, et propius Divino, naturale autem posterius, exterius et inferius, et remotius a Divino; ideo spirituale apud hominem et in Ecclesia comparatur coelo, et quoque vocatur coelum, et naturale comparatur terrae, et quoque vocatur terra; inde quoque est, quod spirituales, hoc est, apud quos spirituale dominatum est, appareant in altera vita in luce coeli capite sursum versus Dominum, et pedibus deorsum versus infernum; at naturales, hoc est, apud quos naturale dominatum est, apparent in luce coeli pedibus sursum et capite deorsum, quantumvis aliter in luce sua, quae est lux fatua resultans ex cupiditatibus et inde phantasiis, in quibus sunt, n: 1528. 3340. 4214.[10] 4418. 4531. 4532. Quod naturales homines considerent spiritualia sicut servitia, etiam repraesentatum est per quod Aegyptii non aliter spectaverint Hebraeos quam servos; per Aegyptios enim repraesentati sunt qui in naturali scientia sunt, ita naturales, per Hebraeos autem illi qui ab Ecclesia, ita respective spirituales; etiam Aegyptii Hebraeos tam viles habuerunt, sicut servos, usque adeo ut abominatio illis fuisset comedere cum Hebraeis, Genes: XLIII: 32, et quoque abominatio illis sacrificia, quae Hebraeis, Exod: VIII: 22.

5014. Ad illudendum nobis, quod significet quod insurgeret, constat ex ipsa serie in sensu interno, et quoque a significatione illudere, cum ex vehementia dicitur, quod sit insurgere.

5015. Venit ad me ad cubandum mecum, quod significet quod illud, nempe verum naturale spirituale, vellet se conjungere, constat ex significatione venire, quod hic sit velle, nam qui ex proposito venit, is vult; et ex significatione cubare, quod sit conjungere, de qua supra n: 4989. 5001. 5007.

5016. Et clamavi voce magna, quod significet quod aversaretur, constat ex significatione clamoris, quod sit falsiloquium, de qua n: 5011, inde clamare involvit tale, hic nempe, quia clamavit ad viros domus pro auxilio, quod id repugnaret ei, et quia dicitur, quod clamavit voce magna, quod aversaretur id.

5017. Et factum, ut audire eum, quod significet cum apperceptum, constat ex significatione audire, quod sit obedire, et quoque quod sit appercipere; quod sit obedire, videatur n: 2542. 3869; quod etiam sit appercipere, patet ex ipsa functione auris, et inde natura auditus; functio auris est, ut recipiat loquelam alterius, et auferat illam ad sensorium commune, ut hoc appercipiat inde quid alter cogitat, inde audire est appercipere; quare ejus natura est, ut illa quae alter ex sua cogitatione loquitur, transferat in alterius cogitationem, et ex hac in ejus voluntatem, et ex hac in actum, inde audire est obedire; haec bina officia sunt propria auditus; in linguis distinguuntur haec per audire aliquem, quod est appercipere, et audire alicui seu auscultare, quod est obedire: quod haec bina auditus sint, est quia homo illa quae sunt suae cogitationis, et quoque quae sunt suae voluntatis per aliam viam communicare non queat, nec quae sunt voluntatis aliter per rationes ad faciendum et obediendum persuadere et adducere. Ex his patet, per quem circulum communicationes fiunt, quod nempe a voluntate in cogitationem, et sic in loquelam, et a loquela per aurem in alterius cogitationem et voluntatem. Inde quoque est, quod spiritus et angeli, qui auri seu sensui auditus in Maximo Homine correspondent, sint non modo apperceptiones, sed etiam obedientiae, quod obedientiae sint, videatur n: 4652 ad 4660, et quia obedientiae etiam apperceptiones sunt, unum enim involvit alterum.

5018. Sustuli vocem meam et clamavi, quod significet quod magna aversatio, constat ex significatione clamare voce magna, quod sit aversatio, de qua supra n: 5016, hic itaque tollere vocem et clamare est magna aversatio.

5019. Et reliquit vestem suam apud me, quod significet testem quod accesserit, constat ex significatione relinquere vestem, quod sit abstrahere ultimum verum, de qua n: 5008, hic autem testis, quia vestis in manu ejus, quae ostensa, hoc est, verum ultimum per quod comprobavit quod voluerit conjungere se, esset testis quod accesserit: hic sensus quidem apparet remotior, sed usque est is qui involvitur loquente illa; videatur infra n: 5028.

5020. Et fugit et exivit foras, quod significet quod usque se separaverit, constat ex significatione fugere et exire foras,

quod sit se separare, ut supra n: 5009. [xx] Haec nunc sunt falsa, quae loquuta uxor Potiphari ad viros domus de Josepho, in sensu interno quae verum naturale non spirituale de vero naturali spirituali, seu quae homo naturalis non spiritualis de homine naturali spirituali; videatur n: 4988. 4992. 5008.

5021. Vers: 16. 17. 18. *Et reposuit vestem ejus apud se, usque venire dominum ejus ad domum suam. Et loquuta ad illum secundum verba haec, dicendo, venit ad me servus Hebraeus, quem adduxisti nobis, ad illudendum mihi. Et factum, sicut tollere me vocem meam, et clamavi, et reliquit vestem suam apud me, et fugit foras.* Et reposuit vestem ejus apud se, significat quod retinuerit ultimum verum: usque venire dominum ejus ad domum suam, significat ut communicaret cum bono naturali: et loquuta ad illum secundum verba haec, significat falsiloquium: dicendo, venit ad me servus Hebraeus, quem adduxisti nobis, significat servum illud: ad illudendum mihi, significat quod insurgeret: et factum, sicut tollere me vocem meam, et clamavi, significat cum appercepit magnam aversationem: et reliquit vestem suam apud me, significat testificationem: et fugit foras, significat quod tunc se separaret.

5022. Et reposuit vestem ejus apud se, quod significet quod retinuerit ultimum verum, constat ex significatione reponere apud se, quod sit retinere; et a significatione vestis, quod sit ultimum verum, de qua supra n: 5006. 5008, quo vero abstracto, spiritualis homo non amplius quid habet quo se defendat contra mere naturales, n: 5008 fin: 5009, et tunc injuria ei fit; quicquid enim tunc loquitur spiritualis homo, dicunt mere naturales quod non percipiant, et quoque quod non ita sit: et si modo nominatur internum vel spirituale, vel subsannant vel mysticum vocant; quapropter tunc inter illos omnis conjunctio rupta est, qua rupta spiritualis homo dura patitur apud mere naturales, quod etiam repraesentatur per id, quod Josephus postquam uxor testificata per vestem coram marito, in domum carceris conjectus sit.

5023. Usque venire dominum ejus ad domum suam, quod significet ut communicaret cum bono naturali, constat a significatione domini, quod sit bonum naturale non spirituale, de qua n: 4973. 4988; domus in sensu interno est mens naturalis,

mens enim naturalis sicut etiam mens rationalis, est instar domus, maritus ibi est bonum, uxor est verum, filiae et filii sunt affectiones boni et veri, tum quoque bona et vera quae sunt ex illis ut parentibus, ancillae et servi sunt voluptates et scientifica quae ministrant et confirmant; hic itaque per usque venire dominum ejus ad domum suam, significatur bonum naturale ad habitationem suam, ubi etiam est verum ei conjunctum, hic autem falsum persuadens bono quod verum sit; bonum enim naturale non spirituale facile persuadetur quod falsum sit verum et quod verum sit falsum: dominus ejus dicitur, quia naturale non spirituale considerat spirituale ut servum, n: 5013. Quod Mens naturalis et mens rationalis hominis dicatur domus, patet ab his locis; apud Lucam „Quando immundus spiritus exiverit ex homine, peragrat per sicca loca quaerens requiem, quam si non invenit, dicit, *revertar in domum meam* unde egressus sum, quam si veniens invenit scopis purgatam et ornatam, tunc abit et assumit septem alios spiritus se pejores, et ingressi habitant ibi," XI: 24. 25. 26; domus ibi pro mente naturali, quae dicitur domus vacua et scopis purgata, cum ibi non bona et vera quae maritus et uxor, non affectiones boni et veri quae filiae et filii, nec talia quae confirmant quae ancillae et servi; ipse homo est domus, quia mens rationalis et naturalis facit hominem, absque illis, hoc est, absque bonis et veris, et eorum affectionibus, et harum ministerio, non est homo, sed brutum. Mens hominis etiam intelligitur per domum, apud Eundem „Omne Regnum contra se ipsum divisum vastatur, et *domus super domum cadit*," XI: 17; et apud Marcum „Si regnum contra se ipsum dividitur, non potest consistere regnum hoc; etiam si *domus* contra se ipsam dividitur, non potest consistere *domus haec*. Non potest quisquam vasa fortis *ingressus in domum ejus*, diripere, nisi prius fortem vinciat, et tunc *domum* ejus diripiat," III: 24. 25. 27; per Regnum significatur verum, n: 1672. 2547. 4691, et per domum bonum, n: 2233. 2234. 3720. 4982, domus significat bonum ex potiori. Apud Lucam „Si nosset paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaturus utique esset, et *non permissurus perfodi domum suam*," XII: 39. Apud Eundem „Erunt ex nunc quinque *in domo una*, tres contra duos, et duo contra tres: dividetur pater contra filium,

et filius contra patrem; mater contra filiam, et filia contra matrem," XII: 52. 53; agitur ibi de pugnis spiritualibus, in quas venturi qui ab Ecclesia, postquam interna seu spiritualia Verbi aperta sunt, domus pro homine seu ejus mente, pater ibi, mater, filius, filia, sunt bona et vera cum affectionibus eorum, et in opposito sensu mala et falsa cum eorum affectionibus, a quibus et cum quibus pugna. Quod Dominus mandavit discipulis apud Lucam „In *quam domum* intraveritis, primo dicite, *pax domui huic*, et si quidem fuerit ibi filius pacis, requiescet super illo pax vestra; si vero non, super vos revertetur: *in eadem* vero *domo manete*, edite et bibite, quae apud eos, *ne transite e domo in domum*," X: 5. 6. 7, repraesentabat, quod manerent in ipso bono, nempe in bono amoris in Dominum et charitatis erga proximum, non autem transirent in aliud. Quod homo seu mens ejus sit domus, videatur etiam n: 3538. 4973.

5024. Et loquuta ad illum secundum verba haec, quod significet falsiloquium, constat ex illis quae sequuntur, sunt enim falsa quae ad maritum suum loquuta est.

5025. Dicendo, venit ad me servus Hebraeus quem adduxisti nobis, quod significet servum illud, constat ex illis quae supra n: 5013, dicta sunt, hic per servum illud intelligitur verum et bonum spirituale, quod hic jam est Josephus, hoc naturali non spirituali apparet ut servum: ut pro exemplo, verum et bonum spirituale vult, ut homo nihil voluptatis habeat in dignitatibus et in aliqua supereminentia super alios, sed in officiis ergà patriam, et erga societates in communi et particulari, ac ita voluptatem habeat in dignitatum usu; mere naturalis homo, prorsus ignorat quid sit haec voluptas, et negat quod sit, tametsi is ex hypocrisi etiam simile dicere potest, at usque voluptatem ex dignitatibus propter se dominum facit, et voluptatem ex dignitatibus propter societates in communi et particulari facit servum; se enim in singulis quae facit intuetur, et societates post se, quibus tantum favet quantum illae sibi. Sit quoque pro exemplo; si dicitur quod usus et finis faciat ut sit spirituale vel non spirituale, usus et finis propter commune bonum, Ecclesiam, et Regnum Dei quod sit spirituale, at usus et finis propter se et suos praevalens super priorem quod sit non spirituale; hoc quidem naturalis homo agnoscere potest ore, sed non corde,

ore ex intellectuali instructo, non corde ex intellectuali per cupiditates destructo; ex hoc facit usum et finem propter se dominum, ac usum et finem propter commune bonum, Ecclesiam, et Regnum Dei, servum, imo dicit corde, quis usquam aliter esse potest. Verbo, naturalis homo quicquid aspicit ut separatum a se, hoc prorsus vilipendit et rejicit, et quicquid aspicit ut sibi conjunctum, hoc aestimat et acceptat, non sciens nec scire volens, quod spirituale sit aspicere unumquemvis ut sibi conjunctum qui in bono est, sive ignotus sive notus sit; et aspicere unumquemvis ut a se separatum qui in malo est, sive notus sit sive ignotus; conjungitur enim tunc cum illis qui in coelo sunt, et disjungitur ab illis qui in inferno; sed quia naturalis homo voluptatem inde non sentit, non enim recipit influxum spiritualem, ideo spectat illud ut prorsus vile et servum, ita sicut nihili respective ad voluptatem quam sentit, quae influit per sensus corporis et per cupiditates amoris sui et mundi; sed haec voluptas est mortua quia ex inferno, at voluptas ex influxu spirituali est viva quia per coelum a Domino.

5026. Ad illudendum mihi, quod significet quod insurgeret, constat ex significatione illudere, quod sit insurgere, ut supra n: 5014.

5027. Et factum, sicut tollere me vocem meam et clamavi, quod significet cum appercepit magnam aversationem, constat ex significatione tollere vocem et clamare, quod sit magna aversatio, ut quoque supra n: 5018.

5028. Et reliquit vestem suam apud me, quod significet testificationem, constat a significatione relinquere vestem suam apud se, quod sit testis quod accesserit, de qua n: 5019; vestis in sensu interno significat verum, et relinquere vestem abstrahere verum ultimum, n: 5008; quod hic significet testem seu testificationem quod accesserit, est quia verum ultimum cum relinquitur seu abstrahitur testis est naturali homini contra spiritualem: quod naturalis [12] homo cum spirituali homine quasi conjungatur per verum ultimum, at quod usque non conjungatur, videatur n: 5009; cum enim spiritualis homo explicat illud verum, tunc apparet dissimilitudo; sed illustrationi sint exempla, quae prius n: 5008 allata sunt; Spiritualis homo aeque ac naturalis dicit, quod pauperibus, viduis et pupillis benefaciendum,

sed spiritualis homo cogitat quod non benefaciendum pauperibus, viduis, et pupillis, qui mali sunt, et qui se vocant tales et usque divites sunt, sic enim per sola nomina deciperent; et inde concludit, quod per pauperes, viduas et pupillos in Verbo intelligantur qui spiritualiter tales sunt; naturalis vero homo cogitat, quod benefaciendum pauperibus, viduis et pupillis qui ita nominantur, et quod illi non alii intelligantur in Verbo, et num mali sint vel boni non curat, quid spiritualiter talis esse non scit nec scire vult; inde patet, quod ultimum verum, nempe quod benefaciendum pauperibus, viduis et pupillis, utrique appareat simile, sed cum explicatur quod sit dissimile; et cum fit dissimile et inde disjunctio, inservit id naturali homini pro teste seu testificatione quod accesserit, inde falsum loquitur contra spiritualem hominem, qui non amplius quid habet per quod se defendat; liquet sic, unde et in quo respectu vestis etiam significat testem seu testificationem. Sit quoque exemplum; Spiritualis homo aeque ac naturalis homo dicit, quod proximo benefaciendum, et quoque dicit quod omnis homo sit proximus, sed cogitat quod unus in alio respectu et gradu proximus sit quam alter, et quod benefacere malo, quia se vocat proximum, sit malefacere proximo; naturalis homo se conjungit cum spirituali in ultimo illo vero, quod nempe benefaciendum proximo, et quoque in illo, quod omnis homo sit proximus, sed cogitat quod ille proximus sit qui ei favet, non curans sive bonus sit sive malus; inde quoque patet, quod in ultimo vero apparenter conjungantur, sed usque quod nulla conjunctio sit, et ut primum explicatur sit disjunctio; inservit tunc ultimum illud verum naturali homini pro teste contra spiritualem, quod sicut illuserit. Similiter in omnibus reliquis.

5029. Et fugit foras, quod significet quod tunc se separaret, constat ex significatione fugere foras, quod sit se separare, ut supra n: 5020; et consequenter quod non ei verum per quod se defendat, ut n: 5009.

5030. Vers: 19. 20. *Et factum, sicut audire dominus ejus verba uxoris suae, quae loquuta ad illum; dicendo, secundum verba haec fecit mihi servus tuus, et accensa ira illius. Et accepit dominus Josephi eum, et dedit eum ad domum carceris, locum quo vincti regis vincti; et fuit ibi in domo carce-*

ris. Et factum, significat statum novum: sicut audire dominus ejus verba uxoris suae, quae loquuta ad illum, significat communicationem falsi quod apparuit sicut verum: dicendo, secundum verba haec fecit mihi servus tuus, significat confirmationem: et accensa ira illius, significat aversionem a vero spirituali; et accepit dominus Josephi eum, significat tentationem a naturali: et dedit eum ad domum carceris, significat quoad falsiloquium contra bonum: locum in quo vincti regis vincti, significat statum ubi illi qui in falsis: et fuit ibi in domo carceris, significat durationem tentationis.

5031. Et factum, quod significet statum novum, constat ex significatione factum seu fuit, quod involvat novum quid, seu statum novum, de qua n: 4979. 4987. 4999, hic statum boni naturalis spiritualis, qui repraesentatur per Josephum, postquam ei ultimum veri abstractum est, ita postquam nulla amplius conjunctio erat cum vero et bono naturali non spirituali.

5032. Sicut audire dominus ejus verba uxoris suae quae loquuta ad illum, quod significet communicationem falsi quod apparuit sicut verum, constat ex significatione audire verba, quod sit communicatio, audire enim est appercipere, n: 5017, ita communicari; ex significatione uxoris, quod sit verum naturale non spirituale, de qua prius, hic autem falsum; ipsum falsiloquium significatur per quae loquuta ad illum, ut supra n: 5024; communicatio falsi est cum bono naturali non spirituali, quod hic significatur per dominum ejus, ut supra n: 5023; quod falsum apparuerit ei sicut verum, constat ab illis quae sequuntur. Agitur hic de bono [naturali non] spirituali, quod id facile persuadeatur, usque adeo ut falsum appareat ei prorsus ut verum: quid et quale est bonum naturale non spirituale, seu quinam et quales illi qui in eo bono sunt, videatur supra n: 4988. 4992. 5008. 5013. 5028; quod nempe sint illi qui ex haereditario et inde adscititio mites et probi sunt, ita qui bonum faciunt ex natura, non autem ex religione; aliud prorsus est bonum facere ex natura, et aliud ex religione; in mundo ab homine distingui non possunt; homo enim interiora non novit; sed in altera vita manifeste discernuntur, ibi enim interiora patent, cogitationes ibi, intentiones et fines ibi se manifestant, et patent sicut in clara die; quales itaque sunt illi qui in bono non spiri-

tuali, et quales qui in bono spirituali sunt, inde mihi scire datum est; qui in bono naturali non spirituali sunt, se persuaderi a quocunque patiuntur, et facile a malis, nam mali spiritus et genii in sua vita seu vitae jucundo sunt, cum intrare possunt in alicujus cupiditates, et cum in illas intrarunt, pelliciunt ad quodlibet malum, persuadent enim tunc quod falsum sit verum; hoc faciunt facile cum illis qui in bono naturali non spirituali sunt; cum illis qui in bono spirituali sunt, id nequeunt, nam hi sciunt ex interiori quid malum et falsum est; causa est, quia illi qui in bono spirituali sunt, cum vixerunt in mundo, receperunt praecepta ex doctrina, per quae imbuerunt internum hominem, in quem sic operari potest coelum; sed qui in bono naturali non spirituali sunt, cum vixerunt in mundo, non receperunt aliqua praecepta ex doctrina, per quae imbuerunt internum hominem, quare apud illos non est planum in quod operetur coelum, sed quicquid influit apud illos e coelo, hoc transfluit, et cum venit in naturalem hominem, ibi non recipitur, quia mali seu diabolica turba illico ibi aufert, suffocando, vel reflectendo, vel pervertendo: idcirco illi qui in solo naturali bono sunt, in altera vita dura patiuntur, et queruntur quandoque multum quod inter infernales sint, cum tamen, sicut credunt, fecerint bonum aeque ac alii, sed dictum illis, quod non aliter fecerint bonum quam sicut animalia mitia absque ratione, et quod non solliciti fuerint de aliquo bono et vero Ecclesiae, et quia inde illis in interno homine non est receptaculum boni et veri, quod tutari ab angelis nequeant; tum quod plura mala sub specie boni fecerint.

5033. Dicendo, secundum verba haec fecit mihi servus tuus, quod significet confirmationem, constare potest ex fide in qua fuit quod uxor ejus verum dixerit, et quod sic confirmatum apud se esset; uxor enim, quae persuasit, est verum naturale non spirituale, hic autem falsum: quod bonum naturale non spirituale se facile persuaderi patiatur a falso, videatur mox supra n: 5032. Notum est quod confirmari queant falsa, ut appareant prorsus sicut vera; hoc patet ex omni haeresi, et ex singulis in haeresi, quae tametsi falsa, usque per confirmationes illis qui in haeresi sunt, apparent ut vera: tum quoque ex illis qui nullius religionis sunt, qui prorsus confirmant se contra illa

quae Ecclesiae sunt, usque adeo ut videant sicut verum, quod Ecclesia sit modo propter vulgus, ut sit in aliquo vinculo; tum quod natura sit omne in omnibus, et Divinum tam remotum ut vix sit aliquid; ut et quod homo moriatur sicut bestia; de his et similibus illi qui in bono naturali non spirituali sunt, facilius se persuaderi et confirmari patiuntur quam alii, nam his nullum quasi speculum est ab interiori, sed solum ab exteriori, coram quo fallacia apparent sicut realia.

5034. Et accensa ira illius, quod significet aversionem a vero spirituali, constat ex significatione irae, quod sit recessio a bono charitatis, de qua n: 357, ita aversio, hic a vero spirituali, quia de hoc agitur: quod ira sit aversio, est quia homo, quamdiu est in ira contra aliquem, avertat animum ab illo; ira enim existit seu excitatur, cum aliquis seu aliquid contrariatur alicujus amori, per quem conjunctio est cum aliquo seu cum aliqua re; cum conjunctio illa rumpitur, tunc excandescit seu irascitur homo, sicut aliquid ex suae vitae jucundo, proinde aliquid ex sua vita amissum sit, hoc triste vertitur in dolorem, et dolor in iram.

5035. Et accepit dominus Josephi eum, quod significet tentationem a naturali, constat a nunc sequentibus, ibi enim agitur de Josepho quod missus in domum carceris, per quod tentatio boni spiritualis in naturali in sensu interno describitur; et quia illa verba, nempe accepit dominus Josephi eum, id involvunt, etiam significant. Tentationes sunt duplicis generis, nempe quoad vera et quoad bona; tentationes quoad vera fiunt a spiritibus, at tentationes quoad bona fiunt a geniis: spiritus et genii in altera vita distinguuntur per id, quod spiritus agant in intellectuale, proinde in illa quae sunt fidei, genii autem in voluntarium, proinde in illa quae sunt amoris; illi nempe spiritus se sistunt videndos, et quoque se manifestant per loquelam, genii autem se inconspicuos faciunt, nec se manifestant quam per influxum in desideria et cupiditates; separati etiam sunt in altera vita, mali seu infernales spiritus antrorsum et utrinque ad latera apparent sub terra inferiorum, mali autem seu infernales genii sub parte posteriore et post tergum profunde sub terra ibi: tentationes quoad vera fiunt, ut dictum, a malis spiritibus, et tentationes quoad bona fiunt a malis geniis: in sequentibus nunc

agitur de tentationibus, sed de illis quae fiunt a malis spiritibus, ita quae fiunt quoad falsiloquium contra bonum: hae tentationes mitiores sunt illis tentationibus quae fiunt a malis geniis; et quoque prius existunt.

5036. Et dedit eum in domum carceris, quod significet quoad falsiloquium contra bonum, constat ex significatione dari in domum carceris et ibi vinctus teneri, quod sit mitti in tentationes quoad falsiloquium contra bonum, de qua sequitur; prius aliquid de tentationibus dicendum: vix aliquis hodie in orbe Christiano novit, unde tentationes; qui illas subit, non aliter credit, quam quod sint angores qui irrepunt ex malis quae intus apud hominem sunt, quae illum primo irrequietum faciunt, dein anxium, et denique cruciant; sed prorsus nescit, quod fiant per spiritus malos qui apud eum sunt; quod hoc nesciat, est quia non credit, quod in consortio spirituum sit cum vivit in mundo, et vix quod aliquis spiritus apud illum sit; cum tamen homo quoad interiora continue in societate spirituum et angelorum est: quod tentationes attinet, illae consistunt quando homo in actu regenerationis est, nemo enim regenerari potest, nisi quoque subeat tentationes; et tunc existunt per malos spiritus qui circum illum sunt; mittitur enim tunc homo in statum mali in quo ipse est, hoc est, in quo ipsum illud quod ejus proprium est, in quem statum cum venit, spiritus mali seu infernales illum circumdant, et cum appercipiunt quod interius tutetur ab angelis, excitant mali spiritus falsa quae cogitaverat et mala quae egerat, sed angeli ab interiori defendunt illum; haec pugna est, quae apud hominem percipitur ut tentatio, sed ita obscure ut vix aliter sciat, quam quod solum anxietas sit; homo enim, imprimis qui nihil credit de influxu, in statu prorsus obscuro est, et vix millesimam partem appercipit de illis de quibus mali spiritus et angeli pugnant; agitur usque tunc de homine et ejus salute aeterna, et agitur ex homine, pugnant enim ex illis quae apud hominem sunt, et de illis: quod res ita se habeat, pro certissimo scire datum est; pugnam audivi, influxum percepi, spiritus et angelos vidi, ac tunc et postea cum illis loquutus sum, etiam de illa re. Tentationes, ut dictum, imprimis tunc existunt, quando homo spiritualis fit, tunc enim spiritualiter capit vera doctrinae; hoc saepe homo nescit, at usque angeli apud eum in

naturalibus ejus spiritualia vident, sunt enim interiora ejus tunc aperta versus coelum; inde etiam est, quod homo qui regeneratus est, post vitam in mundo inter angelos sit, et ibi spiritualia et videat et percipiat, quae prius ei sicut naturalia apparuerunt; cum itaque homo talis est, tunc in tentatione, cum impugnatur a malis spiritibus, defendi potest ab angelis, angeli enim tunc planum habent in quod operentur, influunt enim in spirituale apud illum, et per spirituale in naturale. Cum itaque ultimum verum abstractum est, et sic non habeat per quod se contra naturales Defendat, de qua re n: 5006. 5008. 5009. 5022. 5028, tunc venit in tentationes, et accusatur a malis spiritibus, qui omnes mere naturales sunt, imprimis falsiloquii contra bonum; ut pro exemplo, quod cogitaverit et dixerit quod proximo benefaciendum, et quoque actu comprobaverit, et tamen per proximum modo nunc intelligat illos qui in bono et vero sunt, non autem qui in malo et falso et emendari nequeunt; et consequenter quia malis non amplius benefacere vult, et si benefacturus quod velit ut puniantur causa emendationis eorum et causa aversionis mali a suo proximo, incusant quod falsum cogitaverit et loquutus sit, et quod non cogitet sicut loquitur: sit quoque pro exemplo, quia homo cum spiritualis factus, non amplius sanctum credit et ad pium usum, quod dat monasteriis, ne quidem templis ubi opes abundant, et quia prius quam spiritualis factus est cogitationem quod sanctum et pium esset, habuerat, incusant illum falsi, et excitant omnes ejus cogitationes, quas prius de illo sancto et pio foverat, et quoque opera ex illa cogitatione; similiter in innumerabilibus aliis; sed haec exempla sint modo alicui illustrationi; imprimis intrant in affectiones, quas prius habuit, et excitant illas, et quoque falsa et mala quae cogitaverat et fecerat, et sic in anxietatem inducunt, et saepius in dubitationem usque ad desperationem: inde nunc sunt anxietates spirituales, et inde sunt cruciatus qui conscientiae vocantur: apparent haec homini sicut in ipso per influxum et communicationem: qui illa novit et credit, comparari potest homini qui se videt in speculo et scit quod non ipse sit qui apparet in speculo seu ab altera ejus parte, sed modo imago ejus; at qui hoc non novit et non credit, comparari potest illi, qui se videt in speculo, et putat quod ipse sit qui apparet ibi, et non imago ejus.

5087. Quod dari in domum carceris, et ibi vinctus teneri, sit mitti in tentationes quoad falsiloquium contra bonum, est inde, quia domus carceris vocatur omnis ille locus proxime sub planta pedis et circumcirca, ubi illi tenentur qui in vastatione sunt, hoc est, illi qui in principiis falsi et in vita mali ex falso fuerunt, et tamen in bono quoad intentiones; tales non recipi in coelum possunt, priusquam principia falsi exuerunt, et quoque jucundum vitae quod fuit inde; illi qui ibi sunt, mittuntur in tentationes, nam principia falsi et jucunda vitae inde non nisi quam per tentationes ejici queunt: locus ubi illi sunt, seu potius status in quo sunt, significatur in genere per domum carceris, et ipsa loca per foveas: de vastationibus in altera vita, videantur n: 698. 699. 1106 ad 1113. 2699. 2701. 2704: illi qui in vastationibus sunt, vocantur vincti, non quod in aliquo vinculo sint, sed quod in non libero quoad cogitationes priores et inde affectiones; quod tales sint, qui in Verbo intelliguntur per vinctos, et qui in carcere, patet ex Verbo alibi; ut apud Esaiam, „Dabo Te in foedus populi, in lucem gentium, ad aperiendum oculos caecos, *ad educendum e carcere vinctum*, *e domo claustri* sedentes in tenebris," XLII: 7. 8; ubi de Domino ac Ipsius adventu; hic aperire oculos caecos et educere e carcere vinctum, et e domo claustri sedentes in tenebris, pro illis qui in ignorantia boni et veri sunt, qui usque in desiderio sunt sciendi et imbuendi illa; sed carcer hic in lingua originali alia voce exprimitur. Apud Eundem, „Juvenes omnes *in domibus carcerum* absconduntur, facti sunt in praedam, et non eripiens, *et non dicens educ*," XLII: 22; juvenes in sensu interno sunt vera fidei, quae in domibus carcerum abscondi et fieri in praedam dicuntur, cum non amplius agnoscuntur. Apud Eundem, „Erit in die illo, visitabit Jehovah super exercitum altitudinis in altitudine, et super reges humi super humo, et *colligentur vinctus super fovea*, et claudentur *super claustro*; post multitudinem dierum visitabuntur," XXIV: 21. 22; [13] vinctus super fovea pro illis qui in vastationibus, seu pro illis qui in tentationibus. Apud Eundem „Quid facietis die visitationis et vastationis, e longinquo venit, ad quem fugietis pro auxilio; qui non incurvarit se, *infra vinctum* et infra occisos cadent," X: 3. 4; infra vinctum pro inferno quod est sub locis vastationis; occisi pro illis qui

apud se per principia falsi exstinxerunt vera fidei, in minori gradu quam confossi, de quibus n: 4503. Apud Sachariam, „Loquetur pacem gentibus, et erit dominari Ipsius a mari usque ad mare, et a flumine usque ad fines terrae: etiam quod ad Te, per sanguinem foederis Tui, *emittam vinctos e fovea* in qua non aqua. Revertimini ad munimentum *Vincti spei*," IX: 10. 11. 12; emittere vinctos e fovea pro illos qui in vastatione sunt, et qui in tentatione; quod loca ubi illi qui in vastatione dicantur foveae, videatur n: 4728. 4744. Apud Davidem, „Exaudit egenos Jehovah, et *vinctos suos non spernit*," Psalm: LXIX: 34. Apud Eundem, „Veniat ante Te *gemitus vincti*," Psalm: LXXIX: 11. Apud Eundem, „Jehovah e coelis ad terram respexit, ad audiendum *gemitum vincti*, ad aperiendum filiis mortis," Psalm: CII: 20. 21; vincti pro illis qui in vastatione, et qui in tentationibus. Apud Esaiam, „In tempore *beneplaciti* respondi Tibi, et in die salutis audivi Te, custodivi etiam Te, et dedi in foedus populi, ad restituendum terram, ad partiendum haereditates vastatas, *ad dicendum Vinctis exite*, eisque qui in tenebris, revelamini, super viis pascent, et in omnibus clivis pascuum bonum; et *non esurient; neque sitient*," XLIX: 8. 9. Apud Eundem, „Spiritus Domini Jehovae super me, unxit Jehovah me, ad evangelizandum *pauperibus* misit me, et ad obligandum fractos corde, ad praedicandum *captivis* libertatem, et *vinctis*, *oculis capto*, ad proclamandum annum beneplaciti Jehovae," LXI: 1. 2. Apud Davidem, „Jehovah Qui facit judicium oppressis, Qui *dat panem esurientibus*, Jehovah Qui *solvit vinctos*, Jehovah Qui aperit *caecos*, Jehovah Qui erigit incurvatos, Jehovah Qui amat justos, Jehovah Qui custodit *peregrinos*, *pupillum* et *viduam* sustentat," Psalm: CXLVI: 7. 8. 9; vincti pro illis qui in vastatione et tentationibus sunt propter falsa; ex his locis etiam patet, quinam per vinctos seu illos qui in carcere, et similiter quinam per esurientes, sitientes, peregrinos intelliguntur apud Matthaeum, „Tunc dicet Rex iis qui a dextris Ipsius, *esurivi* et dedistis Mihi edere, *sitivi* et potastis Me, *peregrinus* fui et collegistis Me, nudus et circuminduistis Me, aegrotus et visitastis Me, in *carcere fui* et venistis ad Me," XXV: 34. 35. 36, de quibus videantur in praemissis ad hoc Caput, n: 4954. 4955. 4956. 4957. 4958.

5038. Locum in quo vincti regis vincti, quod significet statum ubi illi qui in falsis, constat a significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882; a significatione vinctorum regis, quod sint illi qui in falsis, et quia in falsis in vastatione sunt, et qui regenerantur in mundo in tentatione, tentatio enim est vastatio falsi, et simul confirmatio veri: vincti regis dicuntur, quia rex in sensu interno est verum, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4789. 4966; vincti itaque ejus sunt qui in falso sunt. Etiam loca ubi vincti regis, dicebantur foveae, quare dixit Josephus „Furto ablatus sum e terra Hebraeorum, et etiam hic non feci quicquam, quod posuerint me *in fovea*" Cap: seq: Vers: 15; de fovea, quod sit locus vastationis, videatur n: 4728. 4744.

5039. Et fuit ibi in domo carceris, quod significet durationem tentationis, constat ex significatione domus carceris, quod sit vastatio, et quoque tentatio, de qua mox supra n: 5036. 5037; et ex significatione esse in illa, quod sit morari ibi, ita duratio.

5040. Vers: 21. 22. 23. *Et fuit Jehovah cum Josepho, et inclinavit ad eum misericordiam, et dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris. Et dedit princeps domus carceris in manum Josephi omnes vinctos qui in domo carceris, et omne quod facientes ibi, is fuit faciens. Nihil princeps domus carceris videns quicquam in manu ejus, eo quod Jehovah cum eo, et quod is faciens Jehovah prosperans.* Et fuit Jehovah cum Josepho, significat quod Divinum inesset: et inclinavit ad eum misericordiam, significat amorem Divinum in singulis: et dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris, significat inde sublevationem in tentationibus: et dedit princeps domus carceris, significat verum gubernans in statu tentationum: in manum Josephi omnes vinctos qui in domo carceris, significat ab Ipso super omnia falsa: et omne quod facientes ibi, is fuit faciens, significat absolutam potestatem: nihil princeps domus carceris videns quicquam in manu ejus, significat quod Ipse gubernaret verum: et quod is faciens, Jehovah prosperans, significat quod Divina Providentia ab Ipso.

5041. Et fuit Jehovah cum Josepho, quod significet quod Divinum inesset, nempe Domino, Qui in supremo sensu per

Josephum repraesentatur, hic Divinum in tentationibus, de quibus hic agitur; Ipsum enim Divinum est Jehovah, Qui quod esset in Ipso seu inesset, significatur per quod Jehovah fuit cum Josepho; quia in sensu literae agitur de Josepho, dicitur cum illo, at in sensu interno ubi agitur de Domino, est in Illo: quod in Illo, constare potest unicuique intra Ecclesiam ex eo, quod a Jehovah conceptus sit, quapropter Ipsum toties patrem suum nominat: ipsum esse hominis et inde intimum ejus vitae est a patre, induitiones seu exteriora sunt a matre; ideo Esse Domini ac inde intimum vitae Ipsius fuit Divinum quia Ipse Jehovah, ac induitiones seu exteriora fecerunt humanum quod a matre per nativitatem suscepit; hoc humanum tale erat ut tentari posset, conspurcatum enim malo a matre haereditario fuit; sed quia intimum erat Divinum, potuit ex propria potentia malum illud a matre haereditarium expellere, quod factum successive per tentationes, et tandem per ultimam quae fuit crucis, tunc Humanum suum plene glorificavit, hoc est, Divinum fecit: inde constare potest, quid intelligitur per quod Divinum inesset.

5042. Et inclinavit ad eum misericordiam, quod significet amorem Divinum in singulis, constat ex significatione misericordiae, quod in supremo sensu sit Divinus Amor, de qua n: 1735. 3063. 3073. [14] 3120. 3875; Ipsum Divinum Esse est Amor in supremo sensu intellectus homini prorsus incomprehensibilis; ex Illo per Verum existunt et subsistunt omnia tam quae vitam habent quam quae vitam non habent. Divinus ille amor ab Ipso Esse per intimum vitae in Domino influebat, in singula quae ex humano a matre suscepto egit, et direxit ad fines, et hos ad ultimum ut salvaretur genus humanum; et quia Dominus ex Ipso Divino in se vidit humanum suum, quale esset, quod nempe ex haereditario in malo, ideo dicitur quod Jehovah inclinavit ad illum misericordiam, et per illa in sensu supremo intelligitur Divinus amor in singulis; Divina enim Misericordia non aliud est, quam Divinus amor erga illos qui in miseriis constituti sunt, n: 1049. 3063. 3875, hoc est, erga illos qui in tentationibus, hi enim in miseriis sunt, et per miseros in Verbo principaliter intelliguntur.

5043. Et dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris, quod significet inde sublevationem, constat ex significa-

tione dare gratiam, quod sit sublevatio, in tentationibus enim gratiam dare, est consolari et spe sublevare; ex significatione principis, quod sit primarium verum, de qua in sequente paragrapho; et ex significatione domus carceris, quod sit vastatio falsi, proinde tentatio, de qua supra n: 5038. 5039.

5044. Et dedit princeps domus carceris, quod significet verum gubernans in statu tentationum, constat ex significatione principis, quod sit verum primarium, ita gubernans, de qua sequitur; et ex significatione domus carceris, quod sit vastatio falsi, proinde tentatio, de qua supra n: 5038. 5039. 5043: [15] quid verum gubernans in statu tentationum primo dicendum; apud omnes qui in tentationibus sunt, influit verum a Domino, quod regit et gubernat cogitationes, id erigit illos quoties in dubitationes, et quoque in desperationes labuntur: verum illud gubernans est id verum et tale verum quod ex Verbo, vel ex doctrina didicerunt, et ipsi apud se confirmarunt; alia vera quidem etiam tunc revocantur, sed non gubernant interiora eorum; quandoque id verum quod gubernat non sistitur conspicue ante intellectum, sed latet in obscuro, et usque gubernat; influit enim Divinum Domini in illud, et sic tenet interiora mentis in illo, quapropter cum illud in lucem venit, accipit ille qui in tentatione est consolationem et sublevatur: non est ipsum illud verum, sed est affectio illius veri, per quam Dominus gubernat illos qui in tentationibus sunt; Divinum enim non influit nisi in illa quae sunt affectionis; verum quod in interioribus hominis implantatum et irradicatum est, implantatum [et] irradicatum est per affectionem, et prorsus nihil absque affectione; verum quod per affectionem implantatum et irradicatum est, hoc haeret, et revocatur per affectionem, et cum sic verum illud revocatur, sistit affectionem ei conjunctam, quae affectio est reciproca hominis. Quia ita cum homine, qui in tentationibus est, se habet, ideo nullus in tentationem aliquam spiritualem admittitur, priusquam in adulta aetate est, et imbuerat ita aliquod verum, per quod gubernari queat; si non id, succumbit, et tunc status ejus posterior fit pejor priori. Ex his constare potest, quid intelligitur per verum gubernans in statu tentationum, quod significatur per principem domus carceris. Quod princeps sit primarium verum, est quia Rex in sensu interno significat ipsum ve-

rum, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4789. 4966; inde principes, quia sunt Regis, significant primaria illius veri; quod principes illa significent, videatur n: 1482. 2089; sed quia ibi ex aliis locis in Verbo non ita ostensum est, licet hic aliqua afferre; apud Esaiam „Puer natus est nobis, filius datus est nobis, *super cujus humero principatus: princeps pacis*, multiplicans [16] *principatum*, et pacem, non erit finis" IX: 5. 6, ibi de Domino; principatus super humero, est omne Divinum verum in coelis ab Ipso, coeli enim distincti sunt in principatus secundum vera ex bono, inde quoque Angeli vocantur principatus; pax est status beatitudinis in coelis afficiens bonum et verum ab intimis, n: 3780, inde Dominus vocatur princeps pacis, et dicitur multiplicans principatum et pacem, quibus non finis. Apud Eundem „Stulti sunt *principes Zoanis*, sapientes, consiliarii Pharaonis: quomodo dicitis ad Pharaonem, filius sapientum ego, *filius regum antiquitatis*, infatuati *principes Zoanis*, decepti *principes Noph;* et seduxerunt Aegyptum angularem lapidem tribuum" XIX: 11. 13, ibi de Aegypto, per quam significatur scientificum Ecclesiae, n: 4749, ita verum naturale quod ultimum ordinis est, quare etiam Aegyptus hic vocatur angularis lapis tribuum, tribus enim sunt omnia veri in uno complexu, n: 3858. 3862. 3926. 3939. 4060, hic autem Aegyptus est scientificum quod pervertit vera Ecclesiae, ita vera in ultimo ordinis falsificata, quae sunt principes Zoanis et principes Noph; quod dicat se filium regum antiquitatis, est quia scientifica ibi fuerunt ex veris Antiquae Ecclesiae, ipsa vera significantur per reges, ut supra ostensum, et vera Ecclesiae Antiquae per reges antiquitatis. Apud Eundem „Aschur non rectum cogitat, et cor illius non rectum meditatur, nam ad perdendum cor ejus, et ad exscindendum gentes non paucas, nam dicit, *nonne principes mei sunt reges*" X: 7. 8; Aschur pro ratiocinatione de veris Divinis, unde falsitates, ita pro ratione perversa, n: 1186; vera inde falsificata seu falsa, quae per ratiocinationem fiunt et apparent sicut ipsissima vera, significantur per quod dicat, nonne principes mei sunt reges: quod Aschur sit ratiocinatio, et quod principes qui reges sint primaria falsa quae creduntur esse ipsissima vera, non videri potest et inde credi, quamdiu mens in sensu literae historico tenetur, et

adhuc minus si in negativo est quod sanctius quid et [17] universalius Verbo Divino insit, quam quod in litera apparet, cum tamen in sensu interno per Aschurem nihil aliud quam ratio et ratiocinatio in Verbo intelligitur, et per reges ipsa vera, perque principes primaria veri; ignoratur etiam in coelo quid Aschur, et quoque angeli a se rejiciunt ideam regis et principis, et cum appercipiunt illam apud hominem, transferunt illam ad Dominum, et percipiunt id quod procedit a Domino, et quod est Domini in coelo, nempe Divinum Verum a Divino Bono Ipsius. Apud Eundem „Cadit Aschur gladio non viri, et gladius non hominis comedet illum, etiam petra ejus prae formidine transibit, et consternabuntur a vexillo *principes ejus*" XXXI: 8. 9; ibi etiam de Aegypto, quae est scientificum Ecclesiae perversum, ratiocinatio a scientificis de veris Divinis unde perversio et falsificatio, est Aschur, vera illa perversa et falsificata sunt principes; gladius quo Aschur cadet, est falsum pugnans et vastans verum, n: 2799. 4499. Apud Eundem „Fiet vobis robur Pharaonis in pudorem, et fiducia in umbra Aegypti in ignominiam, cum fuerint *in Zoan principes ejus*," XXX: 3. 4; in Zoan principes pro veris falsificatis, ita pro falsis, ut supra. Apud Eundem „Possidebunt eam platea et anataria, ac noctua et corvus habitabunt in ea; extendet super eam lineam inanitatis et perpendicula vastitatis; nobiles ejus non ibi, regnum vocent, et *omnes principes ejus erunt nihil*," XXXIV: 11. 12; platea, anataria, noctua, corvus, pro generibus falsi, quae existunt, cum vera Divina quae in Verbo, nihili fiunt; desolatio et vastatio veri significatur per lineam inanitatis et perpendicula vastitatis, et falsa quae illis primaria vera per principes. Apud Eundem „Prophanos reddam *principes sanctitatis*, et dabo in devotionem Jacobum, et Israëlem in opprobria," XLIII: 28; prophanos reddere principes sanctitatis, pro sancta vera; exstirpatio veri Ecclesiae externae et internae significatur per dare in devotionem Jacobum, et Israëlem in opprobria, quod Jacob sit Ecclesia externa et Israël interna, videatur n: 4286. Apud Jeremiam „Intrabunt per portas civitatis hujus *Reges* et *Principes* sedentes super throno Davidis, equitantes in curru et super equis, *ipsi* et *principes* illorum," XVII: 25; qui Verbum in sensu historico hic intelligit, is non scire potest quod aliquid

altius et sanctius in his reconditum sit, quam quod reges et principes intrabunt per portas civitatis in curru et super equis, et colligit inde quod significetur regni duratio, sed qui novit quid in sensu interno significat civitas, quid reges, quid principes, quid thronus Davidis, et quid equitare in curru et super equis, is videt altiora et sanctiora ibi, civitas enim seu Hierosolyma significat Regnum Domini spirituale, n: 2117. 3654; reges Divina vera, ut supra ostensum; principes primaria veri, thronus Davidis coelum Domini, n: 1888, equitare in curru et super equis intellectuale spirituale Ecclesiae, n: 2760. 2761. 3217. Apud Eundem „Gladie contra Chaldaeos, et contra habitatores Babelis, et contra *principes ejus*, et contra sapientes ejus; gladie contra mendaces, gladie contra equos ejus, et contra currus ejus," L: 35. 36. 37; gladius pro vero pugnante contra falsum, et pro falso pugnante contra verum et id vastante, n: 2799. 4499; Chaldaei pro illis qui prophanant vera, et habitatores Babelis qui prophanant bonum, n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326. 1327 f; principes pro falsis quae illis primaria vera; equi pro intellectuali Ecclesiae, currus pro doctrinali ejus, quorum vastatio significatur per gladium contra equos et contra currus. Apud Eundem „Quomodo obnubilat in ira sua Dominus filiam Zionis, absorpsit Dominus, non pepercit omnibus habitaculis Jacobi, destruxit in excandescentia sua munimenta filiae Jehudae, projecit in terram, profanavit regnum *et principes ejus;* subsederunt in terram portae, et confregit vectes, *Rex* et *Principes* inter gentes," Thren: II: 1. 2. 9; filia Zionis et Jehudae pro Ecclesia coelesti, hic pro illa destructa; regnum pro veris doctrinae ibi, n: 2547. 4691; rex pro ipso vero, principes pro primariis ejus. Apud Eundem, „Cutes nostrae sicut clibanus denigratae sunt propter procellas famis, mulieres in Zione compresserunt, virgines in urbibus Jehudae, *principes manu eorum suspensi sunt*," Thren: V: 10. 11. 12; principes manu eorum suspensi pro quod vera prophanata, suspensio enim repraesentabat damnationem prophanationis; et quia suspensio illam repraesentabat, etiam mandatum est cum populus scortatus post baalpeorem et adorarent deos eorum, „*ut Principes suspenderentur* ante solem," Num: XXV: 1. 2. 3 [. 4]; scortari enim post Baalpeorem, et adorare deos eorum, erat prophanare cul-

tum. Apud Ezechielem „*Rex* lugebit, et *Princeps* induetur stupore, et manus populi terrae perterrebuntur, ex via illorum agam cum illis," VII: 27; Rex similiter pro vero in genere, et princeps pro primariis ejus. Apud Eundem „*Princeps* qui in medio eorum super humero portabitur sub tenebras et exibit, parietem perfodient ad educendum per eum, facies ejus obvelabit ut non videat ad oculum ille terram," XII: 12, quod princeps hic non sit princeps, manifeste patet, sed quod sit verum Ecclesiae, de quo cum dicitur quod super humero portabitur sub tenebras, est quod omni potentia deferatur inter falsa, tenebrae enim sunt falsa; facies obvelare est quod verum prorsus non videatur; ut non videat ad oculum terram, est quod nihil Ecclesiae, quod terra sit Ecclesia, videatur n: 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4447. 4535. Apud Hoscheam „Dies multos sedebunt filii Israëlis, *non rex* et *non princeps*, et non sacrificium, et non statua, et non ephodus, et non theraphim," III: 4: Et apud Davidem „Tota gloriosa *filia Regis* intus, et de implexis auri vestis ejus, in acupictis adducetur *Regi*, loco patrum tuorum erunt filii tui, *pones eos in principes in universa terra*," Psalm: XLV: 14. 15. 17; filia regis est Regnum Domini spirituale, Regnum Ipsius spirituale dicitur a Vero Divino Domini, quod ibi describitur per vestem ex implexis auri et ex acupictis, filii sunt vera illius Regni quae a Divino Domini, quae principes, hoc est, primaria erunt. Per Principem, de quo et de cujus possessione in Nova Hierosolyma et in Nova Terra agitur apud Ezechielem, Cap: XLIV: 3. Cap: XLV: 7. 8. 17. Cap: XLVI: 8. 10. 12. 16. 18. Cap: XLVIII: 21, significatur in genere Verum quod a Divino Domini; per novam enim Hierosolymam ibi, et per novum Templum, et per novam Terram, intelligitur Regnum Domini in coelis et in terris, quod ibi per repraesentativa, qualia alibi in Verbo, describitur.

5045. In manum Josephi omnes vinctos qui in domo carceris, quod significet ab Ipso super omnia falsa, nempe verum gubernans in statu tentationum, constat a significatione dare in manum Josephi, quod sit in ejus potestatem, manus enim est potestas, n: 5008, ita quod ab Ipso, ab Ipso enim fit quod ab Ipsius potestate, per Josephum in sensu interno intelligitur Dominus, ut supra saepius ostensum; et a significatione vinctorum

in domo carceris, quod sint falsa, de qua supra n: 5037. 5038; ita per dedit princeps domus carceris in manum Josephi omnes vinctos qui in domo carceris, significatur verum gubernans in statu tentationum ab Ipso super omnia falsa, hoc est, quod ab Ipso verum per quod gubernavit falsa in statu tentationum. Hic et in sequentibus ad finem hujus Capitis in sensu interno agitur de Domino, quod Ipse ex propria potentia in statu tentationum gubernaverit, hoc est, vicerit inferna quae in malis et falsis fuerunt, quae continue mala et falsa humano generi infuderunt: quod Dominus propria potentia illa vicerit et subjugaverit, et sic Humanum in Se glorificaverit seu Divinum fecerit, videatur n: 1616. 1749. 1755. 1813. 1904. 1914. 1921. 1985. 2025. 2026. 2083. 2159. 2574. 2786. 2795. 3036. [3381.] 3382. 4075. 4286. 5005; hoc a pluribus locis in Verbo constat, ut quoque ab hoc apud Johannem „Ego pono animam meam, ut rursus accipiam eam, nemo tollit eam a Me, sed Ego pono a Me Ipso; potestatem Ego habeo ponendi eam, et potestatem habeo rursus accipiendi eam," X: 17. 18: quod passio crucis fuerit ultimum tentationum, per quod Humanum in Se plene glorificavit, hoc est, Divinum fecit, patet quoque a pluribus locis in Verbo, ut quoque apud Johan: Cap: XIII: 31. 32. Cap: XVII: 1. 5. Luc: XXIV: 26.

5046. Et omne quod facientes ibi, is fuit faciens, quod significet absolutam potestatem, constare potest absque explicatione; involvunt enim verba, quod omnia ab Ipso, ita quod in absoluta potestate esset faciendi et omittendi.

5047. Nihil princeps domus carceris videns quicquam in manu ejus, quod significet quod Ipse gubernaret verum, constat ex significatione principis domus carceris, quod sit verum gubernans in statu tentationum, de qua supra n: 5044; et ex significatione non videre quicquam in manu ejus, quod sit ab Ipso, ita ex absoluta potestate, ut supra n: 5045. 5046.

5048. Eo quod Jehovah cum Ipso, quod significet a Divino quod in Ipso, constat ab illis supra n: 5041.

5049. Et quod is faciens Jehovah prosperans, quod significet quod Divina Providentia ab Ipso, constat a significatione prosperari, quod sit Providentia, de qua n: 4972. 4975; quod Divina sit, intelligitur per Jehovam, et quod ab Ipso per quod

is faciens. Quod prosperari in supremo sensu sit Providentia, est quia omne prosperum, quod in ultimis naturae apparet, fit in origine sua ex Divina Domini Providentia; quod ita sit, et quoque omne quod vocatur fortunae sit inde, alibi ex Divina Domini Misericordia, ab experientiis e spirituali mundo ostendetur.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, hic de Correspondentia Lumborum et Membrorum Generationis cum illo.

5050. *Quinam in Maximo Homine seu Coelo ad provinciam Manuum, Brachiorum, et Pedum, pertinent, ad finem Capitis praecedentis, n:* 4931 *ad* 4953, *ab experientia ostensum est; hic nunc dicendum, quaenam Societates in Coelo seu in Maximo Homine sunt, quibus correspondent Lumbi, et quoque Membra lumbis adhaerentia, quae Generationis vocantur. In genere sciendum, quod Lumbi et eis adhaerentia Membra, correspondeant amori conjugiali genuino, consequenter illis societatibus, ubi tales; illi qui ibi prae reliquis coelestes sunt, et prae reliquis in jucundo pacis vivunt.*

5051. *In somnio quieto vidi aliquot arbores in receptaculo ligneo plantatas, quarum una erat procera, altera humilior, et binae parvae; delectabat me maxime humilior illa arbor; ac interea amoenissima quies, quam effari nequeam, afficiebat mentem: excitatus e somno, loquebar cum illis, qui inducebant somnium, erant spiritus angelici, videatur n:* 1977. 1979, *qui dicebant quid per visum illud significabatur, quod nempe amor conjugialis, per arborem proceram maritus, per humiliorem uxor, per binas parvas liberi; dicebant porro, quod amoenissima quies quae afficiebat mentem, indicaret qualis amoenitas pacis illis est in altera vita, qui in amore conjugiali genuino vixerunt: addebant, quod tales sint, qui pertinent ad provinciam femorum proxime super genua, et quod qui in amoeniori adhuc statu sunt, pertineant ad provinciam Lumborum: ostendebatur etiam, quod communicatio intercedat per pedes*

cum plantis et calcaneis; quod communicatio sit, etiam patet a magno illo nervo in femore qui ramos suos emittit non modo per lumbos ad membra generationi dicata, quae sunt organa amoris conjugialis, sed etiam per pedes ad plantas et ad calcaneos: detegebatur etiam tunc, quid in Verbo intellectum est per acetabulum et nervum femoris qui luxatus est Jacobo cum luctaretur cum Angelo, Genes: XXXII: 25. 31. 32. [18] *de quo n:* 4280. 4281. 4814. 4315. 4316. 4317.' *Videbatur mihi dein magnus canis, qualis is qui Cerberus apud antiquissimos scriptores vocatur, erat rictu horrendo; dictum, quod talis Canis significet custodiam, ne homo ab amore conjugiali coelesti ad amorem adulterii qui est infernalis, transcendat; amor enim conjugialis coelestis est cum homo cum conjuge sua quam tenerrime amat, et cum liberis, contentus in Domino vivit, inde ei in mundo interius amoenum est, et in altera vita coeleste gaudium; cum autem ab illo amore transitur in oppositum, et in eo apparet illis jucundum quasi coeleste, et tamen est infernale, tunc talis Canis sistitur quasi custodiens ne jucunditates oppositae communicent.*

5052. *Intimum coelum est, per quod Dominus insinuat amorem conjugialem, sunt illi qui ibi prae reliquis in pace, pax in coelis est comparative sicut ver in mundo quod jucundat omnia, est ipsum coeleste in sua origine: angeli qui ibi omnium sapientissimi sunt, et ex innocentia apparent aliis sicut infantes; amant etiam infantes multo plus quam eorum parentes et matres: illi adsunt infantibus in utero, et per illos Dominus curam habet, ut infantes ibi nutriantur et perficiantur; ita praesunt utero gestantibus.*

5053. *Sunt coelestes societates, quibus correspondent omnia et singula membra et organa generationi dicata in utroque sexu: illae societates distinctae sunt ab aliis, sicut etiam est illa provincia in homine probe distincta et separata a reliquis. Quod Societates illae sint coelestes, est quia amor conjugialis est fundamentalis omnium amorum, n:* 686. 2733. 2737. 2738; *excellet etiam usu, et inde jucundo prae reliquis; nam conjugia sunt seminaria universi generis humani, et quoque seminaria Regni coelestis Domini, nam ex genere humano coelum.*

5054. *Qui tenerrime amaverunt infantes, prout tales ma-*

tres, sunt in provincia uteri et organorum circumcirca, nempe in cervicis uteri et ovariorum, et qui ibi sunt, in vita suavissima et dulcissima sunt, et in gaudio coelesti prae aliis.

5055. *Sed quaenam et quales illae societates sunt, quae ad singula organa generationis pertinent, non scire datum est, sunt enim interiores quam ut ab aliquo qui in inferiore sphaera est, comprehendi possint; referunt etiam usus illorum organorum qui absconditi sunt, et quoque remoti a scientia ex causa etiam quae est Providentiae, ne talia, quae in se coelestissima sunt, laedantur per cogitationes spurcas, quae sunt lasciviae, scortationis et adulterii, quae cogitationes excitantur apud perplurimos modo cum organa illa nominantur: quapropter licet aliqua remotiora, quae visa sunt, referre.*

5056. *Quidam spiritus ex alia Tellure apud me fuit, de Spiritibus ex aliis telluribus, alibi, ex Divina Domini Misericordia, dicetur; is sollicite petiit, ut intercederem pro eo ut venire posset in coelum; dicebat quod non sciat quod malum egerit, solum quod increpaverit incolas illius telluris, sunt enim increpatores et castigatores eorum qui non rite vivunt, de quibus etiam, quando de incolis aliarum tellurum, memorabitur; adjecit, quod, postquam increpavit, illos instruxerit; loquebatur tunc quasi bifide; is etiam potuit miserationem movere; sed non aliud potui ei respondere, quam quod nihil opis ferre possim, et quod id unice Domini sit, et si dignus quod posset sperare; sed tunc remissus est inter spiritus probos qui ex sua tellure; at hi dicebant quod non posset esse in eorum consortio, quia non talis: at quia usque ex intenso desiderio flagitabat ut intromitteretur in coelum, missus est in societatem proborum spirituum hujus telluris; verum etiam hi dicebant, quod cum illis non esse posset; erat etiam nigri coloris in luce coeli, sed dixit ipse quod non esset nigri sed murrhini coloris. Mihi dictum, quod tales sint principio, qui dein recipiuntur inter illos qui constituunt provinciam Vesicularum seminalium; in Vesiculis enim illis colligitur semen cum sero conveniente, cum quo combinatur, et per combinationem aptum redditur ut, postquam emissum est, in cervice uteri resolvatur, et sic conceptioni inserviat, estque in tali substantia conatus et quasi desiderium praestandi usum, ita exuendi serum quo in-*

vestitur: simile quid etiam apparuit apud illum spiritum; venit adhuc ad me, sed in vestitu vili, et dicebat, quod arderet venire in coelum, et quod nunc apperciperet se talem esse; dicere ei dabatur, quod forte id indicium sit, quod brevi recipiatur; dicebatur tunc ei [19] *ab angelis, ut rejiciat vestem, is ex desiderio tam cito illam rejecit, ut vix aliquid citius; per quod repraesentabatur, qualia illorum desideria sunt, qui in provincia, cui vesiculae seminales correspondent.*

5057. *Visum est mihi vas trituratorium, et ei adstitit vir quidam cum ferreo instrumento, qui ex phantasia sibi videbatur in vase illo triturare homines, cruciando illos diris modis; hoc vir ille faciebat cum magna jucunditate, ipsa jucunditas communicabatur ut scirem qualis et quanta esset illis qui tales sunt, erat jucunditas infernalis: dicebatur mihi ab angelis, quod talis jucunditas regnaverit apud Jacobi posteros, et quod illi nihil jucundius perceperint, quam crudeliter tractare gentes, illos occisos feris et avibus devorandos exponere, serris et securibus vivos secare, per fornacem lateritiam mittere,* II *Sam:* XII: 31, *infantes collidere et projicere; talia nusquam mandata fuerunt, nec usquam permissa nisi talibus, quibus nervus femoris luxatus est, n:* 5051: *habitant tales sub calcaneo dextro, ubi adulteri qui quoque crudeles. Mirum itaque est, quod usquam aliquis credat, quod gens illa prae aliis electa fuerit; inde etiam est, quod plures confirment se in eo, quod vita nihil faciat, sed quod electio sit, et inde receptio in coelum sit ex sola misericordia, qualiscunque vita fuerit; cum tamen quisque ex sana ratione videre potest, quod ita cogitare sit contra Divinum, Divinum enim est ipsa Misericordia, quapropter si coelum foret ex sola Misericordia, qualiscunque vita sit, omnes quotcunque sunt, reciperentur; detrudere aliquem in infernum, ut ibi crucietur, cum tamen recipi posset in coelum, foret immisericordia et non misericordia, ac eligere unum prae alio foret injustitia et non justitia. Quapropter qui crediderunt et se confirmarunt in eo, quod aliqui electi sint, et reliqui non electi, et quod in coelum sit solum admissio ex misericordia, utcunque vixerunt, illis dicitur, quod etiam aliquoties audivi et vidi, quod nusquam alicui negetur coelum a Domino, et si cupiunt, quod possint ab experientia id scire; qua-*

propter elevantur in societatem quandam coeli, ubi illi qui in affectione boni seu in charitate vitam egerunt; at cum illuc veniunt, tunc, quia mali, incipiunt angi, ac intus cruciari, quia vita illis contraria, et cum apparet lux coelestis, illi in luce illa apparent sicut diaboli, paene absque forma humana, quidam facie retracta, quidam sicut dentium crates, quidam aliter sicut monstra, ita semet abhorrent, et se dejiciunt praecipites in infernum, et quo profundius eo illis melius.

5058. *Erat etiam quidam, qui in mundo inter digniores fuerat, tunc mihi notus, sed non qualis esset intus, verum in altera vita post aliquas revolutiones status ejus vitae, manifestatus quod dolosus esset: is cum aliquantisper inter dolosos in altera vita fuerat, et ibi dura passus, voluit ab illis separari; audiebam illum tunc dicentem, quod vellet venire in coelum, is quoque crediderat quod solum esset receptio ex misericordia; sed dicebatur ei, si illuc veniret quod non posset ibi morari, et quod ibi cruciaretur sicut illi qui in mundo in agone mortis sunt; sed usque instabat; is quoque admissus est in societatem ubi simplices boni, qui antrorsum supra caput; at cum illuc venit, secundum vitam suam incepit agere per astus et dolos; inde post horulae tempus coeperunt boni ibi qui simplices erant, lamentari, quod iis perceptionem boni et veri adimeret, ac inde eorum jucundum, destruendo sic statum illorum; tunc aliquid lucis a coelo interiori admittebatur, in qua apparebat ibi sicut diabolus, et ejus nasi pars superior foede insulcata cum foedo vulnere; ac coepit quoque intus cruciari; quod cum sensit, projecit se inde in infernum. Inde patet, quod non electio et receptio sit ex Misericordia, sed quod vita sit quae facit coelum; ast omnia vitae boni et fidei veri ex Misericordia sunt illis in mundo qui misericordiam recipiunt, et illis est receptio ex Misericordia, et sunt illi qui electi vocantur, n:* 3755 *f.* 3900.

5059. *Qui in contrariis amori conjugiali vixerunt, nempe in adulteriis, illi cum ad me appropinquaverunt, dolorem infundebant lumbis, gravem secundum adulteriorum vitam quam egerunt; ex quo influxu etiam patuit, quod lumbi corresponderent amori conjugiali. Etiam infernum eorum est sub parte posteriore lumborum, sub natibus, ubi degunt in sordidis et*

excrementitiis; haec quoque illis oblectamenta sunt, nam talia correspondent voluptatibus illis in mundo spirituali: sed de his, ubi, ex Divina Domini Misericordia, de infernis in genere et in specie dicendum.

5060. *Quinam sunt qui Testibus correspondent, constare mihi potuit similiter ab illis qui in contrariis amori conjugiali sunt, et testibus dolorem incutiunt; Societates enim cum operantur, agunt in illas partes et in illa membra corporis, quibus correspondent, coelestes societates in illa per influxum lenem, dulcem, jucundum, infernales qui in contrariis sunt per influxum immitem et dolorificum; sed influxus illorum non percipitur quam ab illis, quibus interiora aperta sunt, et inde communicatio perceptibilis data est cum mundo spirituali. Qui in contrariis amori conjugiali sunt, et testibus dolorem incutiunt, sunt qui insidiantur per amorem, amicitiam, et officia; tales cum ad me venerunt, volebant in occulto mecum loqui, timentes valde ne quis adesset; tales enim in vita corporis eorum fuerunt, et quia tales tunc, etiam tales in altera vita sunt; unumquemvis enim sua vita sequitur. Assurgebat e regione circa Gehennam sicut quoddam aëreum inconspicuum, fuit cohors talium spirituum; sed apparuit dein mihi solum sicut unus, tametsi plures essent, cui objiciebantur fasciae, quas tamen removere sibi videbatur, quo significabatur quod removere vellent obstacula, taliter enim cogitationes et molimina mentis apparent repraesentative in mundo spirituum, et cum apparent, appercipitur illico quid significant: postea videbatur sicut exiret e corpore ejus quidam parvus niveus, qui accessit ad me, per quod repraesentabatur cogitatio et intentio eorum, quod induere vellent innocentiae statum, ut nemo quid tale de illis suspicari posset: is cum venit ad me, demisit se versus lumbos, et circum utrosque quasi se flectere videbatur, quo repraesentabatur quod in casto amore conjugiali se sistere vellent; dein circum pedes per flexus spirales, quo repraesentabatur quod se insinuare vellent per talia quae in natura sunt jucunda: tandem ille unus parvus paene inconspicuus factus est, quo repraesentabatur quod prorsus latere vellent. Dictum mihi ab angelis, quod talis insinuatio illis sit, qui insidiantur in amore conjugiali, nempe qui in mundo insinuaverunt se fine adul-*

terandi cum uxoribus, loquendo caste et sane de amore conjugiali, infantibus adblandiendo, laudando maritum quocunque modo, usque ut credatur amicus, castus, et insons, cum tamen est dolosus adulter. Quales itaque sunt, ostensum quoque est; illis enim peractis, niveus ille parvus conspicuus factus est, et apparuit furvus et nigerrimus, et praeterea deformissimus; ejectusque est in infernum suum, quod etiam erat profunde sub media parte lumborum; ibi degunt in excrementis foedissimis; suntque etiam ibi inter latrones qui referunt sensum communem involuntarium, de quibus n: 4327. *Loquutus sum cum talibus etiam dein, et mirati sunt quod aliquis conscientiam pro adulteriis habeat, nempe ut ex conscientia non concumbat cum alterius uxore cum licet; et cum loquutus sum cum illis de conscientia, negarunt quod alicui sit conscientia: dictum mihi, quod tales utplurimum sint ex orbe Christiano, ac raro aliqui ex aliis partibus.*

5061. *Corollarii loco, licet hoc memorandum adjicere; fuerunt aliqui spiritus qui latuerunt diu inclusi in peculiari inferno, e quo non potuerunt erumpere; miratus sum aliquoties quinam essent; quadam vespera emissi sunt, et tunc audiebatur ab illis sonitus murmurum satis tumultuosus, qui perstabat diu; et cum data copia, audivi ab illis dicteria contra me, et percepi conatum quod vellent ascendere et me perdere; quaerebam causam ab angelis, dicebant quod illi odio me habuerint cum vixerunt, tametsi illos nihil prorsus laeseram; et instruebar, quod tales cum modo percipiunt sphaeram illius quem odio habuerunt, perniciem ejus spirent; sed remissi sunt in infernum suum. Inde constare potuit, quod illi, qui odio se mutuo habuerunt in mundo, in altera vita conveniant, et sibi mutuo mala multa intentent, quod etiam ab aliis exemplis pluries scire datum est; odium enim est oppositum amori et charitati, et est aversatio et quasi antipathia spiritualis; quare illico cum in altera vita percipiunt sphaeram ejus, contra quem odium habuerunt, quasi in furorem veniunt. Inde patet, quid involvit quod Dominus dixit apud Matthaeum Cap:* V: *Vers:* 22. 23. 24. 25. 26.

5062. *Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine ad finem Capitis sequentis.*

S



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM.

5063. Ante Caput praecedens XXXIX, explicata sunt, quae Dominus loquutus est de judicio super bonos et malos, apud Matthaeum, Versibus 34. 35. 36, sequuntur nunc haec „*Tunc respondebunt Ipsi justi, dicentes, Domine, quando Te vidimus esurientem et aluimus Te, aut sitientem et potavimus, quando vero Te vidimus peregrinum et collegimus, aut nudum et amicivimus, quando vero Te vidimus aegrotum, aut in carcere, et venimus ad Te: sed respondens Rex dicet illis, amen dico vobis, quantum fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, Mihi fecistis. Tunc dicet etiam iis qui a sinistris, discedite a Me maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo et angelis ejus; esurivi enim et non dedistis Mihi edere, sitivi et non potastis Me, peregrinus fui et non collegistis Me, nudus et non amicivistis Me, aegrotus et in carcere et non visitastis Me; tunc respondebunt Ipsi etiam isti, dicentes, Domine, quando Te vidimus esurientem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut aegrotum, aut in carcere, et non ministravimus Tibi, tunc respondebit illis, dicens, amen dico vobis, quantum non fecistis uni istorum minimorum, neque Mihi fecistis: et abibunt hi in poenam aeternam, at justi in vitam aeternam*" Vers: 37 ad 46.

5064. In praemissis ad Caput praecedens, n: 4954 ad 4959, explicatum est, quid in sensu interno significatur per Esurienti dare edere, Sitientem potare, Peregrinum colligere, Nudum amicire, Aegrotum ac in Carcere visitare, quod nempe sit essentia Charitatis quae involvitur, ac ita describitur; per esurientem, sitientem et peregrinum, affectio boni et veri, et

per nudum, aegrotum, et in carcere, agnitio sui, videatur n: 4956. 4958.

5065. Quia ter repetuntur eadem in illis quae allata sunt, et quae prius, ut dictum, explicata, non opus est singillatim seu quoad singula verba, haec quid in sensu interno significant, exponere; hic modo dicetur, quid significat quod ita responderint illi qui a dextris et ita qui a sinistris, quod nempe non viderint Ipsum Esurientem, Sitientem, Peregrinum, Nudum, Aegrotum, et in Carcere; et postea quid significat Rex, tum quid justus et vita aeterna, et quid maledictus et ignis aeternus.

5066. Quod illi a dextris responderint, „Domine, quando Te vidimus esurientem et aluimus Te, aut sitientem et potavimus, quando Te vidimus peregrinum et collegimus, aut nudum et amicivimus, quando Te vidimus aegrotum, aut in carcere et venimus ad Te, significat si Ipsum Dominum vidissent, quod unusquisque fecisset officia illa, at non ex amore erga Ipsum, sed ex timore quia futurus judex universi, nec propter Ipsum sed propter se, ita non ex interiori seu corde sed ab exteriori et in gestu; se habet hoc sicut qui Regem videt, cujus gratiam mereri vult, ut magnus aut dives fiat, erga quem se ideo submisse gerit: similiter se habet cum illis qui in sancto cultu externo sunt, in quo quasi vident Dominum, ac Ipsi se submittunt, credentes sic quod accepturi vitam aeternam, et tamen nullam charitatem habent, nec alicui bonum quam propter se, ita solum sibi, faciunt; sunt hi similes illis, qui Regem suum in externa forma multa veneratione ambiunt, et tamen irrident mandata ejus, quia ipsum corde vilipendunt: haec et similia sunt, quae significantur, per quod illi a dextris ita responderint; et quia similia in externa forma etiam faciunt mali, idcirco illi a sinistris paene similiter responderunt.

5067. Quia itaque Dominus externa non curat sed interna, et interna testificatur homo non per solum cultum, sed per charitatem et ejus exercitia, idcirco Dominus respondit, „Amen dico vobis, quantum fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, Mihi fecistis.“ Qui fratres nominantur, sunt illi qui in bono charitatis et vitae sunt, nam Dominus apud illos est, quia in ipso bono; et sunt qui proprie intelliguntur per proximum; in his quoque Dominus se non manifestat, nam viles sunt

respective, sed homo se manifestat coram Domino, quod ex interiori Ipsum colat.

5068. Quod Dominus se Regem dicat, his verbis, „Quando venerit Filius hominis in gloria sua, sedebit super throno gloriae; tunc dicet Rex illis," est causa, quia Regium Domini est Divinum Verum, ex quo et secundum quod fit judicium: sed ex illo et secundum illud judicantur aliter boni et aliter mali, boni quia receperunt Divinum Verum, judicantur ex bono, ita ex misericordia, mali quia non receperunt Divinum verum, judicantur ex Vero ita non ex Misericordia, hanc enim rejecerunt et inde in altera vita continue rejiciunt. Recipere Divinum Verum, est non modo fidem habere sed etiam fidem agere, hoc est, quod doctrinae est facere ut sit vitae: inde est, quod Dominus Se Regem dicat: quod Regium Domini sit Divinum Verum, videatur n: 1728. 2015 f. 3009. 3670. 4581. 4966.

5069. Quod illi qui a dextris dicantur justi, „Respondebunt Ipsi *Justi*, dicentes, etc. Et ibunt *Justi* in vitam aeternam," significat quod in Justitia Domini sint; omnes, qui in bono charitatis sunt, vocantur Justi, non quod justi sint ex se, sed ex Domino, Cujus Justitia illis appropriatur: qui se credunt justos ex se, aut justificatos adeo, ut amplius nihil eis mali sit, non inter justos sed inter injustos sunt, nam sibi tribuunt bonum, et quoque in bono meritum ponunt, et tales nusquam ex vera humiliatione adorare Dominum possunt: quapropter qui in Verbo justi et sancti vocantur, sunt illi qui sciunt, et agnoscunt, quod omne bonum sit a Domino, et omne malum a se, hoc est, penes se ab inferno.

5070. Vita aeterna, quae justis, est vita ex bono, bonum in se vitam habet, quia est a Domino, Qui est ipsa vita; Vitae, quae a Domino, inest sapientia et intelligentia, nam bonum recipere a Domino, et inde bonum velle, est sapientia, ac verum recipere a Domino, et inde verum credere, est intelligentia, et qui eam sapientiam et intelligentiam, illi vitam habent, et quia felicitas tali vitae adjuncta est, est felicitas aeterna quae per vitam quoque significatur. Contrarium est illis qui in malo sunt, hi apparent quidem, imprimis sibi, sicut vitam habeant, sed est talis vita quae in Verbo vocatur mors, et quoque est mors spiritualis, nam nihil boni sapiunt, nec veri intelligunt; hoc con-

stare potest unicuivis qui expendit, cum enim bono et inde vero inest vita, non potest vita esse malo et inde falso, nam haec contraria sunt et exstinguunt vitam, quapropter his non alia vita est, quam qualis est insanis.

5071. Quod illi qui a sinistris, dicantur maledicti, ac poena eorum ignis aeternus, „Tunc dicet etiam iis qui a sinistris, discedite a Me *maledicti* in *ignem aeternum* paratum diabolo et angelis ejus; et abibunt hi in *poenam* aeternam," est quia se averterunt a bono et vero, et converterunt ad malum et falsum, maledictio in sensu Verbi interno significat aversionem, n: 245. 379. 1423. 3530. 3584. Ignis aeternus, in quem discederent, non est ignis elementaris, nec est conscientiae cruciatus, sed est concupiscentia mali; concupiscentiae enim apud hominem sunt ignes spirituales qui illum in vita corporis consumunt, et in altera vita cruciant, ex illis ignibus infernales se mutuo diris modis torquent. Quod ignis aeternus non sit ignis elementaris, constare potest; quod non sit conscientiae cruciatus, est quia omnes qui in malo sunt, nullam conscientiam habent, et qui nullam in vita corporis habuerant, nec ullam habere possunt in altera vita; at quod concupiscentia sit, est quia omne igneum vitale est ab amoribus apud hominem, igneum coeleste ab amore boni et veri, et igneum infernale ab amore mali et falsi, seu quod idem, igneum coeleste est ab amore in Dominum et amore erga proximum, et igneum infernale ab amore sui et amore mundi: quod omnis ignis seu calor intus in homine sit inde, quisque scire potest si attendat: inde quoque est, quod amor dicatur calor spiritualis, et quod per ignem et calorem in Verbo non aliud significetur, n: 934 f. 1297. 1527. 1528. 1861. 2446. 4906. Igneum vitale apud malos etiam tale est, ut cum in concupiscentiarum vehementia sunt, etiam in quodam igne sint, ex quo in ardore et furore cruciandi alios; sed igneum vitale apud bonos, tale est, ut cum in affectionis gradu superiori sunt, etiam in quodam quasi igne sint, sed ex illo in amore et zelo benefaciendi aliis.

CAPUT XL.

1. Et fuit post verba haec peccaverunt pincerna Regis Aegypti et pistor domino suo Regi Aegypti.

2. Et succensuit Pharao super binos ministros aulicos suos, super principem pincernarum, et super principem pistorum.

3. Et dedit illos in custodiam domus principis satellitum ad domum carceris, locum ubi Joseph vinctus.

4. Et praefecit princeps satellitum Josephum illis, et ministrabat illis, et fuerunt diebus in custodia.

5. Et somniarunt somnium bini illi, quisque somnium suum, in nocte una, quisque secundum interpretationem somnii sui, pincerna et pistor, qui Regi Aegypti, qui vincti in domo carceris.

6. Et venit ad illos Joseph in matutino, et vidit illos, et ecce illi perturbati.

7. Et interrogabat ministros aulicos Pharaonis, qui cum eo in custodia domus domini sui, dicendo, quare facies vestrae malae hodie.

8. Et dixerunt ad eum, somnium somniavimus, et interpretator nullus illi; et dixit ad illos Joseph, nonne Deo interpretationes, narrate quaeso mihi.

9. Et narravit princeps pincernarum somnium suum Josepho, et dixit ei, in somnio meo, et ecce vitis coram me.

10. Et in vite tres propagines, et illa sicut germinans, ascendit flos illius et maturuerunt botri illius, uvas.

11. Et scyphus Pharaonis in manu mea, et accepi uvas, et expressi illas ad scyphum Pharaonis, et dedi scyphum super volam Pharaonis.

12. Et dixit illi Joseph, haec interpretatio illius; tres propagines tres dies illae.

13. In adhuc tribus diebus extollet Pharao caput tuum, et reducet te super stationem tuam, et dabis scyphum Pharaonis in manum illius, secundum morem priorem, quo fuisti pincerna illius.

14. Verum memento mei tecum, quando bene est tibi, et

facias quaeso mecum misericordiam, et meminisse facias mei ad Pharaonem, et educas me e domo hac.

15. Quia furto auferendo ablatus sum e terra Hebraeorum, et etiam hic non feci quicquam quod posuerint me in fovea.

16. Et vidit princeps pistorum, quod bonum interpretatus, et dixit ad Josephum, etiam ego in somnio meo, et ecce tria canistra perforata super capite meo.

17. Et in canistro supremo ab omni cibo Pharaonis, opere pistoris, et avis edens ea e canistro de super capite meo.

18. Et respondit Joseph, et dixit, haec interpretatio ejus, tria canistra tres dies, illa.

19. In adhuc tribus diebus, extollet Pharao caput tuum e super te, et suspendet temet super ligno, et edet avis carnem tuam e super te.

20. Et factum in die tertio, die nasci Pharaonis, et fecit convivium omnibus servis suis, et extulit caput principis pincernarum, et caput principis pistorum, in medio servorum suorum.

21. Et reduxit principem pincernarum super propinationem suam, et dedit scyphum super volam Pharaonis.

22. Et principem pistorum suspendit, quemadmodum interpretatus illis Josephus.

23. Et non recordatus princeps pincernarum Josephi, et oblitus ejus.

CONTENTA.

5072. In sensu interno in hoc Capite continuatur de statu Tentationum, per quas ipsa corporea in correspondentiam redigerentur; corporea proprie dicta sunt Sensualia, quae duplicis generis sunt, quaedam parti intellectuali subordinata sunt, et quaedam parti voluntariae; quae subordinata sunt parti intellectuali repraesentantur per Pincernam regis Aegypti, et quae parti voluntariae per Pistorem; quod illa quoad tempus retenta sint, haec autem ejecta, repraesentatur per quod pincerna rediit in stationem suam, et pistor suspensus: reliqua ex serie in sensu interno patebunt.

SENSUS INTERNUS.

5073. Vers: 1. 2. 3. 4. *Et fuit post verba haec peccarunt pincerna regis Aegypti, et pistor, domino suo regi Aegypti. Et succensuit Pharao super binos ministros aulicos suos, super principem pincernarum, et super principem pistorum, et dedit illos in custodiam domus principis satellitum, ad domum carceris locum ubi Joseph vinctus. Et praefecit princeps satellitum Josephum illis, et ministrabat illis, et fuerunt diebus in custodia.* Et fuit, significat statum novum, et sequentia: post verba haec, significat post illa quae praecedunt: peccarunt, significat inversum ordinem: pincerna regis Aegypti, significat apud illa in corpore quae subjecta sunt parti intellectuali: et pistor, significat apud illa in corpore quae subjecta sunt parti voluntariae: domino suo regi Aegypti, significat quod essent contra naturalis hominis statum novum: et succensuit Pharao, significat quod naturalis homo novus se averteret: super binos ministros aulicos suos, significat a sensualibus corporis utriusque generis: super principem pincernarum et super principem pistorum, significat in genere a sensualibus subordinatis parti intellectuali et parti voluntariae: et dedit illos in custodiam, significat rejectionem: domus principis satellitum, significat ab illis quae primaria interpretatione: ad domum carceris, significat inter falsa: locum ubi Joseph vinctus, significat statum coelestis naturalis nunc quoad illa: et praefecit princeps satellitum Josephum illis, significat quod coeleste naturalis ex primariis interpretationi illa doceret: et ministrabat illis, significat quod instrueret: et fuerunt diebus in custodia, significat quod in statu rejectionis diu essent.

5074. Et fuit, quod significet statum novum, et sequentia, constat ex eo, quod fuit et factum in Verbo involvat statum novum, videatur n: 4979. 4999; et quod in lingua originali sit loco distinctionis inter series rerum quae praecedunt et quae sequuntur, n: 4987, inde etiam significat sequentia.

5075. Post verba illa, quod significet post illa quae praecedunt, constat ex significatione verborum in Lingua originali, quod etiam sint res; hic itaque post verba illa, est post res illas,

ita post illa quae praecedunt. Quod verba in Lingua originali etiam significent res, est quia verba in sensu interno significant vera doctrinae, quapropter omne Divinum Verum in genere vocatur Verbum, ac Ipse Dominus, a Quo omne Divinum Verum in sensu supremo est Verbum, n: 1288; et quia nihil quod in universo existit, est aliquid, hoc est, est res, nisi sit ex Divino Bono per Divinum Verum; ideo verba in Lingua Hebraea etiam sunt res: quod nihil in universo sit aliquid, hoc est, res, nisi sit ex Divino Bono per Divinum Verum, hoc est, per Verbum, patet, apud Johannem „ In principio erat *Verbum*, et *Verbum erat apud Deum*, et Deus erat *Verbum;* omnia per ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est " I: 1. 3. Significativa interiora vocum trahunt quoad plurimam partem originem ex interiori homine, qui cum spiritibus et angelis est; quilibet enim homo, quoad spiritum suum, seu quoad ipsum illum hominem qui vivit post obitum corporis, est cum angelis et spiritibus in societate, tametsi homo externus hoc nescit, et quia in societate cum illis est, etiam est cum illis in Lingua universali, ita in originibus vocum; inde est, quod plura significativa vocibus indita sint, quae apparent in externa forma nòn congruentia, et usque in interna congruunt, ut hic, verba quod significent res; similiter in perpluribus aliis, sicut quod intellectus dicatur visus internus, et ei tribuatur lux, quod animadvertentia et obedientia auditus et auscultatio, apperceptio rei odoratus; et sic porro.

5076. Peccarunt quod significet inversum ordinem, constat ex significatione peccare, quod sit agere contra ordinem Divinum, quicquid contra illum est, est peccatum; ipse ordo Divinus est Divinum Verum ex Divino Bono; in illo ordine sunt omnes qui in Vero sunt ex Bono, hoc est, qui in fide ex charitate, nam Verum est fidei, et bonum est charitatis; at contra illum ordinem sunt, qui non in vero ex Bono sunt, consequenter qui in vero ex malo, vel in falso ex malo; per peccatum non aliud significatur: hic per peccarunt, nempe pincerna et pistor, significatur quod in inverso ordine essent sensualia externa ad interiora, sic ut non concordarent seu non corresponderent.

5077. Pincerna regis Aegypti, quod significet apud illa in corpore quae subjecta sunt parti intellectuali, constat ex signifi-

catione pincernae, quod sit sensuale externum seu sensuale corporis, quod subordinatum seu subjectum est parti intellectuali Interni hominis, de qua sequitur; et ex significatione regis Aegypti quod sit naturalis homo, de qua infra n: 5079. Quia in sequentibus agitur de Pincerna et Pistore, et per illos significantur sensualia externa, quae corporis, primum aliquid de sensualibus his dicendum est: quod sensus externi seu corporis, sint quinque, nempe Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, et Tactus, notum est, et quoque quod hi constituant omne vitale corporis, corpus enim absque illis sensibus prorsus non vivit, quapropter etiam quando privatur illis, moritur et fit cadaver, ipsum itaque corporeum hominis non aliud est, quam receptaculum sensationum, consequenter vitae ex illis; principale est sensitivum, et instrumentale est corporeum, instrumentale absque *suo principali* cui adaptatum est, ne quidem dici potest *corporeum quale* circumfert homo cum vivit in mundo, sed instrumentale simul cum principali, quando haec unum agunt; hoc itaque est corporeum. Sensualia externa hominis, omnia se referunt ad sensualia interna ejus, data enim sunt homini et posita in corpore, ut interno homini inserviant dum est in mundo, et ejus sensualibus subjecta sint; quapropter cum sensualia hominis externa incipiunt dominari super sensualia hominis interna, actum est cum homine; tunc enim sensualia interna non aliter considerantur quam famulitia, quae inserviant confirmandis illis quae sensualia externa ex imperio jubent; cum in hoc statu sunt sensualia externa, tunc in inverso ordine sunt, de quo mox supra n: 5076. Sensualia externa hominis se referunt, ut dictum, ad interna, in genere ad intellectuale et ad voluntarium; quapropter sensualia externa sunt, quae subjecta seu subordinata sunt parti hominis intellectuali, et quae subjecta sunt parti ejus voluntariae; sensuale quod subjectum est parti intellectuali est imprimis visus, quod parti intellectuali et dein voluntariae est auditus, quod utrique simul est odoratus, et adhuc magis gustus, quod autem parti voluntariae est tactus; quod sensualia externa illis partibus subjecta sint, multis ostendi potest, et quoque quomodo subjecta sunt; sed nimis prolixum est illuc explicationem hic extendere; aliquatenus scire potest ab illis quae de correspondentia illorum sensuum ad finem Capitum praecedentium osten-

sa sunt. Porro sciendum, quod omnia vera, quae fidei dicuntur, pertineant ad partem intellectualem, et quod bona, quae amoris et charitatis sunt, sint partis voluntariae; consequenter partis intellectualis est credere, agnoscere, scire et videre verum et quoque bonum, sed partis voluntariae est affici illo et amare illud, et quo homo afficitur et quod amat, est bonum; sed quomodo intellectuale influit in voluntarium, cum verum transit in bonum, et quomodo voluntarium influit in intellectuale, cum agit illud, est adhuc altioris indaginis, de quibus, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus passim dicetur. Quod Pincerna sit sensuale quod subjectum seu subordinatum est parti intellectuali interni hominis, est quia omne quod Potui inservit, seu quod propinatur, sicut vinum, lac, aqua, se refert ad verum, quod est partis intellectualis, ita ad partem intellectualem, et quia sensuale externum seu corporis est, quod subministrat, idcirco per pincernam id sensuale seu id sensualium significatur; quod potare et bibere in genere praedicetur de veris quae partis intellectualis, videatur n: 3069. 3071. 3168. 3772. 4017. 4018; quod in specie etiam [1] sit verum quod ex bono, seu fides quae ex charitate, n: 1071. 1798; et quod aqua sit verum, n: 680. 2702. 3058. 3424. 4976: ex his nunc constare potest quid pincerna.

5078. Et pistor, quod significet apud illa in corpore quae subjecta sunt parti voluntariae, constat ex significatione pistoris, quod sit sensuale externum seu sensuale corporis, quod subordinatum seu subjectum est parti voluntariae Interni hominis; quod pistor id significet, est quia omne quod esui inservit, seu quod editur, sicut panis, cibus in genere, et omne opus pistoris, praedicatur de bono, et sic se refert ad partem voluntariam; omne enim bonum est illius partis, sicut omne verum est partis intellectualis, ut mox supra n: 5077, [2] dictum est: quod panis sit coeleste seu bonum, videatur n: 1798. 2165. 2177. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. Quod hic et in sequentibus hujus Capitis de sensualibus externis utriusque generis in sensu interno agatur, est quia in priori Capite actum est de Domino, quomodo Ipse interiora naturalis sui glorificavit seu Divina fecit, hic igitur agitur de Domino quomodo Ipse Exteriora naturalis glorificavit seu Divina fecit; exteriora naturalis

sunt quae proprie corporea vocantur, seu sensualia utriusque generis una cum recipientibus, haec enim cum illis constituunt id quod corpus vocatur, videatur supra n: 5077: Dominus Ipsum corporeum in Se Divinum fecit, tam sensualia ejus quam recipientia, quapropter etiam e sepulchro corpore resurrexit; et quoque post resurrectionem dixit discipulis „Videte manus meas et pedes meas, quod Ipse Ego sim, palpate Me et videte; nam Spiritus non carnem et ossa habet, sicut Me videtis habentem," Luc: XXIV: 39. Credunt plerique hodie qui ab Ecclesia, quod unusquisque resurrecturus sit ultimo die et tunc corpore; quae opinio tam universalis est, ut vix aliquis ex doctrinali aliter credat; sed illa opinio ideo invaluit, quia homo naturalis putat quod solum corpus sit quod vivit; quapropter nisi illud vitam denuo recepturum crederet, negaret prorsus resurrectionem: sed ita se res habet, homo statim post mortem resurgit, et tunc apparet sibi in corpore prorsus sicut in mundo, cum tali facie, cum talibus membris, brachiis, manibus, pedibus, pectore, ventre, lumbis; imo etiam cum se videt et se tangit, dicit quod homo sit sicut in mundo; at usque non est externum ejus quod circumtulit in mundo quod videt [et] tangit, sed est internum, quod constituit ipsum illud humanum quod vivit, et quod externum circum se seu extra singula sui habuit, per quod esse potuit in mundo et convenienter ibi agere et functiones obire; ipsum corporeum terrestre non amplius ei alicui usui est, est in alio mundo, ubi aliae functiones, et aliae vires et potentiae, quibus corpus ejus quale ibi habet, adaptatum est; hoc videt oculis suis, non illis quos habuit in mundo, sed illis quos ibi habet, qui sunt Interni ejus hominis, et e quibus per oculos corporis viderat prius mundana et terrestria; id quoque tactu sentit, non manibus seu sensu tactus quo gavisus in mundo, sed manibus et sensu tactus quo gaudet ibi, qui est ex quo sensus ejus tactus in mundo exstitit; omnis etiam sensus ibi est exquisitior et perfectior, quia est Interni hominis soluti ab Externo, Internum enim est in perfectiori statu quia dat Externo sentire, sed cum in Externum agit, ut in mundo, tunc sensatio hebetatur et obscuratur; praeterea internum est quod sentit Internum, et Externum quod Externum; inde est quod homines post mortem se mutuo videant, et in societate simul sint secundum interiora; ut cer-

tus de illa re essem, etiam mihi datum est ipsos spiritus tangere, et cum illis multoties de illa re loqui, videatur n: 322. 1630. 4622. Mirantur valde homines post mortem, qui tunc spiritus vocantur, et qui in bono vixerunt Angeli, quod homo Ecclesiae credat se non prius visurum vitam aeternam quam ultimo die cum interiturus mundus, et quod tunc reinduiturus pulverem rejectum, cum tamen homo Ecclesiae novit, quod post mortem resurgat, quis enim non dicit, quando homo moritur, postea quod anima vel spiritus ejus sit vel in coelo vel in inferno; et quis non dicit de infantibus suis qui mortui, quod in coelo sint; et quis non consolatur aegrotum, vel quoque morti judicatum, quod brevi venturus sit in alteram vitam; ac qui in agone mortis est et praeparatus nec aliter credit; imo etiam ex illa fide multi vindicant sibi potestatem eximendi a locis damnationis, et intromittendi in coelum, et missas faciendi pro illis: quis non novit, quae Dominus dixit ad latronem „Hodie Mecum eris in paradiso," Luc: XXIII: 43, et quae Dominus dixit de divite et Lazaro, quod ille in infernum translatus sit, hic autem ab angelis in coelum, Luc: XVI: 22. 23; et quis non novit, quae Dominus docuit de resurrectione, quod non Deus sit mortuorum sed viventium, Luc: XX: 38; haec novit homo, et quoque ita cogitat et ita loquitur, cum ex spiritu cogitat et loquitur, at quando ex doctrinali, prorsus aliter dicit, quod nempe non prius resurrecturus sit quam ultimo die; cum tamen ultimus dies cuique sit cum moritur, et quoque tunc ei judicium, sicut etiam plures loquuntur: quid per cute circumdari, et ex carne videre Deum, apud Hiobum Cap: XIX: 25. 26, intelligitur, videatur n: 3540 ad fin: Haec dicta sunt, ob causam ut sciatur, quod nullus homo corpore, quo circumdatus fuit in mundo, resurgat, sed quod Solus Dominus, et hoc quia Ipse Corpus suum, dum fuit in mundo, glorificavit seu Divinum fecit.

5079. Domino suo regi Aegypti, quod significet quod essent contra naturalis hominis statum novum, nempe sensualia externa seu corporis, quae per pincernam et pistorem significantur, constat ex significatione regis Aegypti, quod sit scientificum in genere, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966; simile enim significatur per regem Aegypti, quod per Aegyptum, est enim rex caput gentis, pariter alibi ubi ali-

cujus gentis rex dicitur vel nominatur, n: 4789: quia est scientificum in genere, quod significatur per regem Aegypti, est quoque naturalis homo, nam omne scientificum est verum naturalis hominis, n: 4967, ipsum bonum ibi significatur per dominum, n: 4973. Quod ejus status novus significetur, est quia in Capite praecedente actum est de interioribus naturalis quod nova facta, in supremo sensu in quo de Domino, quod glorificata, nunc autem agitur de exterioribus naturalis, quae ad concordantiam seu correspondentiam cum interioribus redigenda; interiora illa naturalis quae nova, seu quod idem, naturalis illius hominis status novus, est qui significatur per dominum regem Aegypti, et exteriora quae non in ordinem redacta, et inde contra illum, per pincernam et pistorem. Sunt interiora et sunt exteriora naturalis, interiora naturalis sunt scientifica et affectiones illorum, exteriora vero sunt sensualia utriusque generis, de quibus supra n: 5077; haec, nempe exteriora naturalis, homo relinquit cum moritur, sed illa, nempe interiora naturalis secum fert in alteram vitam, ubi inserviunt pro plano spiritualibus et coelestibus: homo enim, cum moritur, nihil amittit praeter ossa et carnem, secum habet memoriam omnium quae egerat, loquutus est, et cogitaverat, et secum habet omnes affectiones et cupiditates naturales, ita omnia interiora naturalis; exterioribus ejus non opus habet, nam non videt quid in mundo, nec audit quae in mundo, nec odorat, gustat, et tangit quae in mundo, sed quae in altera vita; quae quidem quoad multam partem similia apparent iis quae in mundo, sed usque non sunt similia, in se enim vivum habent, quod non habent illa quae proprie sunt mundi naturalis; omnia enim et singula ibi existunt et subsistunt a Sole qui est Dominus, inde vivum in se habent; at omnia et singula, quae in mundo naturali, existunt et subsistunt a sole, qui est ignis elementaris, inde vivum in se non habent; vivum quod in his apparet, non aliunde est quam ex mundo spirituali, hoc est, per mundum spiritualem a Domino.

5080. Et succensuit Pharao, quod significet quod naturalis homo novus se averteret, constat ex repraesentatione Pharaonis seu regis Aegypti, quod sit naturalis homo novus, seu naturalis hominis status novus, de qua mox supra n: 5079; et ex significatione succensere seu irasci, quod sit se avertere, de

qua n: 5034, hic itaque quod naturale interius, quod novum factum, averteret se a naturali exteriori seu sensuali corporeo, quia hoc cum illo non corresponderet.

5081. Super binos ministros aulicos suos, quod significet a sensualibus corporis utriusque generis, quod nempe se averteret, constat ex significatione ministrorum aulicorum, qui hic sunt pincerna et pistor, quod sint sensualia utriusque generis, de qua supra n: 5077. 5078; sensualia quae corporis, nempe visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus, etiam sunt ministri sicut aulici, respective ad interiorem hominem, qui est dominus rex, ministrant enim ei, ut in documenta experientiae veniat ab illis quae sunt in mundo aspectabili et in societate humana, et sic ut intelligat et sapiat: homo enim in nullam scientiam, minus in aliquam intelligentiam et sapientiam nascitur, sed modo in facultatem recipiendi et imbuendi illa; id fit per duplicem viam, nempe per viam internam et per viam externam, per viam internam influit Divinum, per viam externam influit mundanum, haec intus in homine concurrunt; et tunc quantum homo se patitur illustrari a Divino, tantum venit in sapientiam: quae per viam externam, per sensualia corporis, influunt, sed non influunt ex se, verum evocantur per Internum hominem, ut inserviant pro plano coelestibus et spiritualibus quae per viam internam a Divino influunt: inde constare potest, quod sensualia corporis sint sicut ministri aulici: in genere omnia exteriora sunt ministri respective ad interiora; totus naturalis homo non aliud est respective ad spiritualem. Vox illa in Lingua originali significat ministrum, aulicum, cubicularium, eunuchum; in sensu interno per illum significatur naturalis homo quoad bonum et quoad verum, ut hic; in specie autem naturalis homo quoad bonum, ut apud Esaiam „Ne dicat filius alienigenae qui adhaeret Jehovae, dicendo, separando separat me Jehovah a cum populo suo: nec *Eunuchus* dicat, ecce ego lignum aridum; nam sic dixit Jehovah *Eunuchis*, qui custodiunt sabbatha mea, et eligunt quo delector, ac tenentes foedus meum; dabo illis in domo mea, et intra muros meos locum et nomen, bonum prae filiis et filiabus, nomen aeternitatis dabo illis quod non exscindetur,” LVI: 3. 4. 5: [3] Eunuchus ibi pro naturali homine quoad bonum, et filius alienigenae pro naturali homine quoad ve-

rum; Ecclesia enim Domini est externa et interna, qui ab Ecclesia externa, sunt naturales, qui ab interna spirituales; qui naturales et tamen in bono, sunt Eunuchi, et qui in vero, sunt filii alienigenae; et quia vere spirituales seu interni non dari possunt quam intra Ecclesiam, ideo quoque per filios alienigenae significantur qui extra Ecclesiam sunt seu gentiles, et tamen in vero secundum religiosum suum, n: 2049. 2593. 2599. 2600. 2602. 2603. 2861. 2863. 3263; et per Eunuchos qui in bono.

5082. Super principem pincernarum et super principem pistorum, quod significet in genere a sensualibus subordinatis parti intellectuali et parti voluntariae, constat a significatione pincernae, quod sit sensuale subordinatum et subjectum parti intellectuali, de qua supra n: 5077; a significatione pistoris, quod sit sensuale subordinatum et subjectum parti voluntariae, de qua etiam supra n: 5078; et a significatione principis, quod sit primarium, de qua n: 1482. 2089. 5044, hic in genere seu in communi, quod enim primarium est etiam commune est, nam id in reliquis regnat; ad primaria enim sicut ad communia referuntur particularia, ut unum faciant, et ne contradictio appareat.

5083. Et dedit illos in custodiam, quod significet rejectionem, constat ex significatione dare in custodiam, quod sit rejectio; qui enim in custodiam datur, is rejicitur.

5084. Domus principis satellitum, quod significet ab illis quae primaria interpretationi, constat ex significatione *principis satellitum*, quod sint primaria interpretationi, de qua n: 4790. 4966; hic itaque quod sensualia utriusque generis rejecta sint a primariis interpretationi, quae nempe sunt Verbi quoad sensum internum, quae tunc rejici dicuntur, quando non illis fides habetur in talibus; sunt enim sensualia, et illa quae per sensualia immediate intrant in cogitationem, fallacia, omnes fallaciae, quae regnant apud hominem, sunt inde; ex illis est, quod pauci credant veris fidei, et quod naturalis homo sit contra spiritualem, hoc est, externus homo contra internum; quapropter si naturalis seu externus homo dominari incipit super spiritualem seu internum, nihil amplius creduntur quae sunt fidei, fallaciae enim obumbrant et cupiditates suffocant. Quia pauci sciunt,

quid fallaciae sensuum, et pauci credunt quod illae tantam umbram inducant rationalibus, et maxime spiritualibus fidei, usque ut ea exstinguant, imprimis quando homo simul in jucundo cupiditatum ex amore sui et mundi est, licet rem exemplis illustrare, primum quid fallaciae sensuum mere naturales seu in illis quae sunt in natura, dein de fallaciis sensuum in spiritualibus; I. Fallacia sensus mere naturalis seu quae in natura, est, quod credatur quod sol semel quovis die circum hanc tellurem feratur, et simul etiam coelum cum omnibus astris; et tametsi dicitur, quod incredibile sit quia impossibile, quod tantus oceanus igneus qualis est Sol, et non solum Sol sed etiam innumerabilia astra absque ulla mutatione loci a se invicem, quovis die semel circumvolvantur; et si adjicitur, quod videri possit a planetis, quod tellus faciat motum diurnum et annuum per circumrotationes et circumgyrationes, ex eo quod planetae etiam sint tellures, et quidem etiam quod circum se habeant lunas, et observatum quod illi pariter ac nostra tellus tales motus, nempe diurnos et annuos faciant; usque tamen apud perplures fallacia sensus obtinet, quod ita sit prout oculus videt. II. Fallacia sensus mere naturalis, seu in natura, est, quod solum unica atmosphaera sit, et modo ea purior in partibus successive; et quod ubi illa desinit, sit vacuum; sensuale externum hominis non aliter capit, cum solum hoc consulitur. III. Fallacia sensus mere naturalis est, quod a prima creatione impressa sit seminibus qualitas excrescendi in arbores et flores, et se prolificandi, et quod inde omnium existentia et subsistentia; et si illis dicitur, quod subsistere aliquid nequeat nisi perpetuo existat, secundum canonem, quod subsistentia sit perpetua existentia, tum quod omne inconnexum a priori se cadat in nihilum, usque tamen sensuale corporis et cogitatio ex illo sensuali, non capit illud, nec quod omnia et singula subsistant sicut exstiterant, per influxum a mundo spirituali, hoc est, per mundum spiritualem a Divino. IV. Fallacia sensus mere naturalis est inde, quod sint substantiae simplices, quae monades et atomi; quicquid enim intra sensuale externum est, hoc credit naturalis homo, quod tale sit, vel nihil. V. Fallacia sensus mere naturalis est, quod omnia naturae sint, et ex natura, et quod quidem in puriori seu interiori natura aliquid sit quod non capitur, sed si dicitur quod intra seu

supra naturam sit spirituale ac coeleste, hoc rejicitur, et creditur, nisi id naturale sit, quod nihil sit. VI. Fallacia sensus est, quod solum corpus vivat, et quod vita ejus pereat cum moritur; sensuale prorsus non capit, quod Internus homo sit in singulis Externi, et quod is sit intra naturam in mundo spirituali; inde nec credit quia non capit, quod post mortem victurus, nisi corpore rursus circuminduatur, n: 5078. 5079. VII. Fallacia sensus est inde, quod homo non magis vivere possit post mortem, quam bestiae, ex causa quia hae quoque vitam habent in multis similem vitae hominis, modo quod homo animal perfectius sit; sensuale non capit, hoc est, homo qui ex sensuali cogitat et concludit, quod homo in eo supra bestias sit, et ei vita superior, quia cogitare potest, non modo de causis rerum, sed etiam de Divino, ac Divino per fidem et amorem conjungi, ut et *recipere* influxum inde et sibi appropriare, ita quod in homine, *quia datur reciprocum*, detur receptio, quod nequaquam apud bestias. VIII. Fallacia est inde, quod ipsum vivum apud hominem, quod anima vocatur, sit modo aliquod aethereum, vel flammeum, quod dissipatur cum homo moritur; et quod id resideat vel in corde, vel in cerebro, vel in aliqua parte ejus, et quod inde regat corpus sicut machinam; quod Internus homo sit in singulis Externi, quod oculus non videat ex se sed ex illo, nec auris audiat ex se sed ex illo, homo sensualis non capit. IX. Fallacia sensus est, quod non aliunde lux dari queat quam ex sole aut igne elementari, nec aliunde calor quam inde; quod sit Lux in qua intelligentia, et calor in quo amor coelestis, et *quod in illa* luce et in illo calore sint omnes angeli, sensuale non capit. X. Fallacia sensus est, quod homo credat se vivere ex se, seu quod ei indita sit vita, non enim aliter apparet coram sensuali; quod solum Divinum sit cui vita ex se, et sic quod unica vita sit, et quod vitae in mundo sint modo formae recipientes, sensuale prorsus non capit, videatur n: 1954. 2706. 2886 ad 2889. 2893. 3001. 3318. 3337. 3338. 3484. 3742. 3743. 4151. 4249. 4318. 4319. 4320. 4417. 4523. 4524. 4882. XI. Homo sensualis ex fallacia credit, quod adulteria sint licita, ex sensuali enim concludit, quod conjugia sint modo *ordinis* causa propter educationem sobolis, et si non ordo ille destruitur quod perinde sit a quonam soboles; tum quod conjugiale sit

sicut aliud lascivum sed concessum; ita quoque, quod contra ordinem non foret plures uxores ducere, si non Christianus orbis ex Scriptura Sacra id prohiberet; si illis dicitur, quod correspondentia sit inter conjugium coeleste et conjugia in terris, et quod conjugiale nemo in se habere possit nisi sit in vero et bono spirituali, tum quod genuinum conjugiale nequaquam dari queat inter maritum et plures uxores, et inde quod conjugia in se sancta sint, haec sensualis homo rejicit sicut nihil. XII. Fallacia sensus est, quod Regnum Domini seu coelum sit quale regnum terrestre, in eo quod ibi gaudium et felicitas sit, ut unus major sit altero, et inde in gloria prae altero; sensuale enim prorsus non capit, quid sit, quod minimus sit maximus, seu ultimus primus; si eis dicatur, quod gaudium in coelo seu angelis sit aliis servire benefaciendo, absque ulla reflexione meriti et retributionis, hoc sicut triste obvenit. XIII. Fallacia sensus est, quod bona opera mereantur: et quod facere alicui bene sui causa, sit bonum opus. XIV. Etiam fallacia sensus est, quod salvetur homo per solam fidem; et quod fides dari queat apud quem non est charitas; tum quod fides maneat, non vita post mortem. Similiter in perpluribus aliis; quapropter cum sensuale apud hominem dominatur, tunc rationale illustratum a Divino nihil videt, est in densa caligine, et tunc creditur quod omne id rationale sit, quod ex sensuali concluditur.

5085. Ad domum carceris, quod significet inter falsa, constat ex significatione domus carceris, quod sit vastatio falsi, et inde falsum, de qua n: 4958. 5037. 5038.

5086. Locum, ubi Joseph vinctus, quod significet statum coelestis naturalis nunc quoad illa, constat ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis e rationali, de qua n: 4286. 4585. 4592. 4594. 4963, hic coeleste naturalis, quia nunc in naturali a quo tentationes, n: 5035. 5039; et ex significatione vinctus, quod sit status tentationum, de qua n: 5037; in capite priori actum est de statu tentationum coelestis spiritualis in naturali quoad illa quae fuerunt interioris naturalis, hic nunc quoad illa quae sunt exterioris.

5087. Et praefecit princeps satellitum Josephum illis, quod significet quod coeleste naturalis ex primariis interpretationi illa

doceret, constat ex significatione principis satellitum, quod sint primaria interpretationi, de qua n: 4790. 4966. 5084; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste naturalis, de qua mox supra n: 5086; [4] et ex significatione praefici, quod hic sit docere, qui enim praeficitur illis quae rejiciuntur explorationis seu emendationis causa, ille munere docendi fungitur.

5088. Et ministrabat illis, quod significet quod instrueret, constat ex significatione ministrare, quod sit instruere; quod ministrare hic non sit ministrare ut servus, constat ex eo quod Joseph illis praefectus sit, quare ministrare hic est subministrare quae illis conducerent; et quia agitur hic de novo naturali sensuali seu externo, per praefici significatur docere, et per ministrare instruere; praefici praedicatur de bono quod vitae, et ministrare de vero quod doctrinae, n: 4976.

5089. Et fuerunt diebus in custodia, quod significet quod in statu rejectionis diu essent, constat ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; hic itaque diebus, quod in statu diu, nempe rejectionis, quae per custodiam significatur, n: 5083. Singula haec, quae in sensu interno continentur, fusius explicare non licet, quia talia sunt, de quibus formari nequit idea ab illis quae in mundo sunt, sicut de coelesti spiritualis homine, de statu ejus in naturali cum naturale interius novum fit, ac postea cum novum factum, ac naturale exterius rejectum, sed de his et similibus formari potest idea ab illis quae in coelo, quae talis est ut non cadat in aliquam ideam formatam ab illis quae in mundo, nisi apud illos, qui dum in cogitatione sunt, abduci a sensualibus possunt; nisi cogitatio apud hominem elevari potest supra sensualia, sic [5] ut haec spectentur sicut infra, nequaquam sapere potest aliquid interius in Verbo, minus talia quae sunt coeli abstracta ab illis quae sunt mundi, sensualia enim absorbent illa et suffocant; inde est, quod, qui sensuales sunt, et studio incubuerunt scientificis, raro aliquid capiant de illis quae sunt coeli; immerserunt enim cogitationes talibus quae sunt mundi, hoc est, terminis et distinctionibus ab illis, ita sensualibus, a quibus elevari non amplius possunt, et sic teneri in intuitione supra illa; ita nec amplius potest cogitatio eorum libere extendi circum omnem campum rerum memoriae, et eligere

quae conveniunt, ac rejicere quae repugnant, et applicare quae in aliquo nexu sunt; clausa enim et immersa tenetur terminis, ut dictum, et inde sensualibus, ut circumspicere non possit: haec causa est, quod eruditi minus credant, quam simplices, imo etiam quod in coelestibus minus sapiant; simplices enim intueri rem possunt supra terminos et supra scientifica, ita supra sensualia, eruditi vero non ita, intuentur ex terminis et scientificis, est enim mens in illis, ita vincta sicut in claustro seu in carcere.

5090. Vers: 5. 6. 7. 8. *Et somniarunt somnium bini illi, quisque somnium suum, in nocte una, quisque secundum interpretationem somnii sui, pincerna et pistor, qui Regi Aegypti, qui vincti in domo carceris. Et venit ad illos Joseph in matutino, et vidit illos, et ecce illi perturbati. Et interrogabat ministros aulicos Pharaonis, qui cum eo in custodia domus domini sui, dicendo, quare facies vestrae malae hodie. Et dixerunt ad eum, somnium somniavimus, et interpretator nullus illi, et dixit ad illos Joseph, nonne Deo interpretationes, narrate quaeso mihi.* Et somniarunt somnium bini illi, significat praevidentiam de illis: quisque somnium suum in nocte una, significat de eventu qui illis in obscuro: quisque secundum interpretationem somnii sui, significat quem in se haberent: pincerna et pistor, significat de sensualibus utriusque generis: qui Regi Aegypti, significat quae subordinata interiori naturali: qui vincti in domo carceris, significat quae inter falsa: et venit ad illos Joseph in matutino, significat revelatum et clarum coelesti naturalis: et vidit illos, significat perceptionem: et ecce illi perturbati, significat quod in statu tristi: et interrogabat ministros aulicos Pharaonis, significat sensualia illa: qui cum eo in custodia domus domini sui, significat quae rejecta: dicendo, quare facies vestrae malae hodie, significat ex qua affectione tristitia: et dixerunt ad illum, significat perceptionem de illis: somnium somniavimus, significat praedictionem: et interpretator nullus illi, significat quod nemo sciat quid in illis: et dixit illis Joseph, significat coeleste naturalis: nonne Deo interpretationes, significat quod Divinum in illis: narrate quaeso mihi, significat quod sciretur.

5091. Et somniarunt somnium bini illi, quod significet praevidentiam de illis, constat ex significatione somnii, quod

sit praevidentia, de qua n: 3698; bini illi sunt sensualia utriusque generis significata per pincernam et pistorem; quod de illis somnia, a sequentibus patet. Quod somnium sit in supremo sensu Praevidentia, est quia somnia quae immediate per coelum a Domino influunt futura praenuntiant, qualia fuerunt somnia Josephi, somnia pincernae et pistoris, somnium Pharaonis, somnium Nebuchadnezaris, et in genere somnia prophetica; futura, quae per illa praenuntiantur, non aliunde sunt quam ex Praevidentia Divina Domini: inde quoque sciri potest, quod omnia et singula praevideantur.

5092. Quisque somnium suum in nocte una, quod significet de eventu qui illis in obscuro, constat ex significatione somnii, quod sit praevidentia, et inde praedictio, et quia est praedictio, etiam est eventus, nam de illo est praedictio; et ex significatione noctis, quod sit obscurum: nox in spirituali sensu significat statum umbrae inductum per falsum ex malo, n: 1712. 2353, ita quoque obscurum, nempe mentis. Obscurum quod est noctis in mundo, est obscurum naturale, sed obscurum quod est noctis in altera vita, est obscurum spirituale; illud existit ex absentia solis mundi et privatione lucis inde, hoc autem ex absentia solis coeli qui est Dominus, et privatione lucis, hoc est, intelligentiae inde; haec privatio non existit per quod sol coeli sicut sol mundi occidat, sed quia homo aut spiritus in falso ex malo est, et ipse se removet, et sibi obscurum inducit. Ex solum noctis et inde obscuri idea in utroque sensu, patere potest, quomodo se habet sensus spiritualis respective ad ejusdem rei sensum naturalem. Praeterea obscurum spirituale est triplex, unum quod est ex falso mali, alterum quod est ex ignorantia veri, tertium quod est exteriorum respective ad interiora, ita sensualium quae sunt externi hominis respective ad rationalia quae sunt interni; omnia haec genera usque existunt ex eo, quod lux coeli, seu intelligentia et sapientia quae a Domino, non recipiatur, haec enim continue influit, sed a falso mali vel rejicitur, vel suffocatur vel pervertitur, ab ignorantia veri parum recipitur, et a sensualibus quae sunt externi hominis, hebescit quia fit communis.

5093. Quisque secundum interpretationem somnii sui, quod significet quem in se haberent, nempe eventum, constat ex si-

gnificatione interpretationis somnii, quod sit explicatio, et inde cognitio eventus, ita eventus quem in se haberent; quod somnium sit eventus, videatur mox supra n: 5092.

5094. Pincerna et pistor, quod significet de sensualibus utriusque generis, constat ex significatione pincernae, quod sit sensuale subordinatum parti intellectuali, de qua n: 5077; et ex significatione pistoris, quod sit sensuale subordinatum parti voluntariae, de qua n: 5078; quod haec rejecta sint ab interiori naturali, supra n: 5088. 5089, dictum: at sciendum, quod ipsa sensualia non rejecta sint, nempe quae sunt visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, nam ex his vivit corpus, sed intuitiones seu cogitationes ex illis, tum affectiones ac cupidines ex illis: in memoriam externam seu naturalem hominis intrant objecta e mundo per sensualia illa ab una parte, et in illam intrant objecta per rationalia ab altera parte; haec se in memoria illa separant; quae intrarunt per rationalia, se locant interius, quae autem intrarunt per sensualia, se locant exterius; inde naturale fit duplex, nempe interius et exterius, ut quoque supra dictum; Naturale interius est quod repraesentatur per Pharaonem regem Aegypti, naturale autem exterius per pincernam et pistorem: qualis differentia sit, constare potest ex intuitionibus rerum seu cogitationibus et inde conclusionibus; qui cogitat et concludit ex interiori naturali, is quantum per rationale hausit, tantum est rationalis, at qui cogitat et concludit ab exteriori naturali, is quantum ex sensualibus hausit, tantum est sensualis, talis homo etiam vocatur sensualis homo, alter vero rationalis naturalis; Homo, cum moritur, omne naturale secum habet, et quale in mundo apud illum formatum est, tale quoque manet; quantum imbuerat ex rationali, tantum quoque rationalis est, et quantum ex sensuali tantum est sensualis; differentia est, quod naturale quantum hauserat et appropriaverat sibi ex rationali, tantum spectet sensualia quae sunt naturalis exterioris infra se, et tantum dominetur his, vilipendendo [6] et rejiciendo fallacias quae inde; at naturale quantum hauserat et appropriaverat sibi ex sensualibus corporis, quod tantum spectet rationalia sicut infra se, illa vilipendendo et rejiciendo: sicut pro exemplo; rationalis naturalis homo potest comprehendere, quod homo non vivat ex se, sed per influxum vitae per coelum a Domino; at

sensualis homo hoc non potest comprehendere, dicit enim quod sentiat et appercipiat manifeste quod vita sit in se, et quod contra sensum loqui sit vanum: Sit etiam pro exemplo, rationalis naturalis homo comprehendit, quod coelum et infernum sit, at sensualis homo illa negat, quia non capit quod purior mundus, quam quem oculis videt, detur; rationalis naturalis homo comprehendit quod sint spiritus et angeli qui inconspicui; at sensualis homo non comprehendit, putando nihil esse quod non videt et tangit. Sit quoque pro exemplo; rationalis naturalis homo comprehendit, quod intelligentis sit intueri fines, ac praevidere et disponere media ad finem quendam ultimum, is cum spectat naturam ex ordine rerum, videt quod natura sit complexus mediorum, et tunc appercipit quod Supremum Ens intelligens disposuerit illa; sed ad quem finem ultimum, non videt nisi spiritualis fiat; at sensualis homo non comprehendit, *quod aliquid* distinctum a natura dari queat, ita nec quod aliquod Ens quod supra naturam; quid intelligere, quid sapere, quid intueri fines, et disponere media, non capit, nisi dicatur naturale, et cum dicitur naturale, ideam de illis habet qualem artifex de automato. Ex his paucis constare potest, quid intelligitur per interius naturale et exterius naturale; et per quod sensualia rejecta sint, quod nempe non illa quae sunt visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, in corpore, sed quod conclusiones inde de interioribus.

5095. Qui regi Aegypti, quod significet quae subordinata interiori naturali, constat ex repraesentatione Pharaonis seu regis Aegypti in hoc Capite, quod sit status naturalis novus, de qua n: 5079. 5080, consequenter interius naturale, nam hoc novum factum; quid interius naturale, et exterius, mox supra n: 5094, videatur. Qualis sensus Verbi internus in historicis et in propheticis est, paucis dicendum; ubi in sensu historico memorantur plures personae, sicut hic Josephus, Pharao, princeps satellitum, pincerna, pistor, in sensu interno quidem significant varia, sed solum in una persona; [7] causa est, quia nomina significant res; sicut hic Josephus repraesentat Dominum quoad coeleste spirituale e rationali, et quoque in naturali, Pharao Ipsum quoad statum naturalis novum, seu quoad interius naturale, pincerna et pistor quoad illa quae sunt Externi natu-

ralis; talis est sensus internus; similiter alibi, ut ubi nominantur Abrahamus, Jischakus et Jacobus, in sensu literae sunt tres personae, at in sensu supremo omnes tres Dominum repraesentant, nempe Abrahamus Ipsum Divinum, Jischakus Divinum Intellectuale, et Jacobus Divinum Naturale Ipsius: etiam apud Prophetas, ubi quandoque loquutio fit per mera nomina, sive personarum, sive regnorum, sive urbium, et usque simul unam rem sistunt et describunt in sensu interno: qui hoc non novit, facile potest a sensu literae auferri in varia, et sic dissipari idea rei unius.

5096. Qui vincti in domo carceris, quod significet quae inter falsa, constat ex significatione vinctus esse in domo carceris, quod sit esse inter falsa, de qua n: 4958. 5037. 5038. 5085: qui in falsis sunt, et magis qui in malis, dicuntur vincti et in carcere, non quod in aliquo vinculo sint, sed quia non in libero, qui enim non in libero sunt, ii sunt interius vincti; nam qui in falso se confirmaverunt, non amplius in aliquo libero sunt eligendi et acceptandi verum, et qui multum se confirmaverunt, ne quidem in libero sunt videndi illud, minus agnoscendi et credendi, sunt enim in persuasione quod falsum sit verum et verum falsum; persuasio talis est, ut auferat omne liberum cogitandi aliud, consequenter ut ipsam cogitationem in vinculo et quasi in carcere teneat: hoc constare mihi potuit ex pluri experientia apud illos in altera vita, qui in persuasione falsi fuerunt per confirmationes apud se, sunt tales ut nequaquam admittant vera, reflectunt seu repercutiunt illa, et hoc duriter secundum persuasionis gradum; imprimis cum falsum est ex malo, seu cum malum persuasit; sunt illi qui in parabola Domini intelliguntur apud Matthaeum „Alia semina ceciderunt super viam duram, et venerunt aves et comederunt ea," XIII: 4; semina sunt vera Divina, petra dura est persuasio, aves sunt principia falsi. Qui tales sunt, ne quidem sciunt quod in vinculo sint seu in carcere, afficiuntur enim falso suo, et amant illud propter malum ex quo; inde in libero se putant esse, quicquid enim est affectionis seu amoris, apparet liberum. At qui non in falso confirmato, hoc est, in persuasione falsi sunt, illi admittunt facile vera, et vident illa, et eligunt illa, et afficiuntur illis, et dein vident falsa sicut infra se, et quoque quomodo illi qui in

persuasione falsi vincti sunt; in tanto libero sunt, ut possint intuitione et cogitatione exspatiari quasi per totum coelum, ad innumerabilia vera; sed in hoc libero nemo potest esse, nisi qui est in bono, ex bono enim est in coelo, et ex bono in coelo apparent vera.

5097. Et venit ad illos Joseph in matutino, quod significet revelatum et clarum coelesti spiritualis, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4592. 4963; et ex significatione mane, quod sit status illustrationis, de qua n: 3458, ita revelatum et clarum: quod mane seu matutinum illa significet, est quia omnia tempora diei, sicut omnia tempora anni, varios status secundum variationes lucis coeli significant; variationes lucis coeli, non sunt variationes sicut lucis in mundo quovis die et quovis anno, sed sunt variationes intelligentiae et amoris; nam lux coeli non aliud est quam Divina Intelligentia a Domino, quae quoque coram oculis lucet, et calor illius lucis est Divinus Domini Amor, qui quoque coram sensu calet, est illa lux quae facit intellectuale hominis, et ille calor qui facit calidum ejus vitale et voluntarium boni: mane seu matutinum ibi est status illustrationis, nempe quoad illa quae sunt boni et veri, qui tunc existit, cum agnoscitur, et magis cum percipitur quod bonum sit bonum et verum sit verum; perceptio est revelatio interna, inde per mane significatur revelatum, et quia tunc clarum fit quod prius fuit obscurum, inde quoque per mane significatur clarum. Praeterea per Mane in supremo sensu significatur Ipse Dominus, ex causa quia Dominus est Sol ex quo omnis lux in coelo, et Ipse semper est in ortivo, ita in matutino; oritur etiam semper apud unumquemvis, qui verum quod est fidei, et bonum quod est amoris, recipit, at occidit apud unumquemvis qui non recipit; non quod sol ibi occidat, quia, ut dictum, semper est in ortivo, sed quod, qui non recipit, faciat apud se sicut occidat: comparari hoc aliquatenus potest cum vicibus, quas sol mundi respective ad incolas telluris facit, sol ibi nec occidit, quia semper manet in suo loco et inde semper lucet, sed apparet sicut occidat, quia tellus circum axem semel quovis die volvitur, et tunc simul removet incolam ab aspectu solis, videatur n: 5084, p: 1; ita quoque non in sole est occiduum, sed in remotione incolae telluris a lu-

ce ejus; hoc comparativum illustrat, et quia repraesentativum Regni Domini est in singulis naturae, etiam instruit, quod privatio lucis coeli, hoc est, intelligentiae et sapientiae, non sit ex eo, quod Dominus, Qui est Sol intelligentiae et sapientiae, apud aliquem occidat, sed quod incola Regni Ipsius semet ipsum removeat, hoc est, patiatur se duci ab inferno a quo removetur.

5098. Et vidit illos, quod significet perceptionem, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723.

5099. Et ecce illi perturbati, quod significet quod in statu tristi, constat absque explicatione.

5100. Et interrogabat ministros aulicos Pharaonis, quod significet sensualia illa, constat ex significatione ministrorum aulicorum Pharaonis, quod sint sensualia utriusque generis, quae nempe subordinata sunt parti intellectuali, et quae subordinata parti voluntariae, de qua supra n: 5081.

5101. Qui cum eo in custodia domini sui, quod significet quae rejecta, constat ex significatione dari in custodiam, ita esse in custodia, quod sit in statu rejectionis, de qua etiam supra n: 5083.

5102. Dicendo, quare facies vestrae malae hodie, quod significet ex qua affectione tristitia, constat ex significatione facierum, quod sint interiora, de qua n: 358. 1999. 2434. 3527. 4066. 4796. 4797, ita affectiones, nam interiora hominis, ex quibus cogitationes quae etiam sunt interiora, sunt affectiones, hae enim, quia sunt amoris, sunt ejus vitae; notum est, quod affectiones conspicuae sistantur in facie apud illos qui in innocentia sunt, et cum affectiones, etiam cogitationes in communi, nam hae sunt formae affectionum; inde facies in se spectata non aliud est quam interiorum imago repraesentativa; omnes facies non aliter apparent angelis, angeli enim non vident facies hominis in forma materiali, sed in forma spirituali, hoc est, in forma quam affectiones et inde cogitationes sistunt; hae quoque sunt quae faciunt ipsam faciem apud hominem, quod sciri potest ex eo, quod facies illis privata sit nihil nisi quam mortuum quid, et quod facies vivat ex illis, et placeat secundum illas: tristitia affectionis, seu ex qua affectione, significatur per quod dixerit, cur facies vestrae malae hodie.

5103. Et dixerunt ad eum, quod significet perceptionem de illis, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius prius.

5104. Somnium somniavimus, quod significet praedictionem, constat ex significatione somnii, quod sit praevidentia, et inde praedictio, de qua supra n: 5091.

5105. Et interpretator nullus illi, quod significet quod nemo sciat quid in illis, constat ex significatione interpretationis, quod sit explicatio quid in se habeat, de qua supra n: 5093, ita quid in illis.

5106. Et dixit illis Joseph, quod significet coeleste naturalis, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste naturalis, de qua supra n: 5086.

5107. Nonne Deo interpretationes, quod significet quod Divinum in illis, constat ex significatione interpretationis, cum praedicatur de somniis, quod sit id quod in illis, ut mox supra n: 5105; Divinum significatur per Deum.

5108. Narrate quaeso mihi, quod significet quod sciretur, constat ex significatione narrate quaeso, quod involvat quod sciretur; ut quoque patet a sequentibus.

5109. Vers: 9. 10. 11. 12. 13. *Et narravit princeps pincernarum somnium suum Josepho, et dixit ei, in somnio meo, et ecce vitis coram me. Et in vite tres propagines, et illa sicut germinans, ascendit flos illius, et maturuerunt botri illius, uvas. Et scyphus Pharaonis in manu mea, et accepi uvas, et expressi illas ad scyphum Pharaonis, et dedi scyphum super volam Pharaonis. Et dixit illi Joseph, haec interpretatio illius, tres propagines tres dies, illae. In adhuc tribus diebus, extollet Pharao caput tuum, et reducet te super stationem tuam, et dabis scyphum Pharaonis in manum illius, secundum morem priorem, quo fuisti pincerna illius.* Et narravit princeps princernarum somnium suum Josepho, significat quod coeleste spiritualis apperciperet eventum de illis quae fuerunt sensualis parti intellectuali subjecti, quae hactenus rejecta: et dixit ei, significat revelationem ex perceptione: in somnio meo, significat praedictionem: et ecce vitis coram me, significat intellectuale: et in vite tres propagines, significat derivationes inde usque ad ultimam: et illa sicut germinans, significat influ-

xum per quem renascentia: ascendit flos illius, significat statum prope regenerationem: et maturuerunt botri illius uvas, significat conjunctionem veri spiritualis cum bono coelesti: et scyphus Pharaonis in manu mea, significat influxum interioris naturalis in exterius, et receptionis initium: et accepi uvas, et expressi illas ad scyphum Pharaonis, significat influxum reciprocum in bona ex origine spirituali ibi: et dedi scyphum supra volam Pharaonis, significat appropriationem ab interiori naturali: et dixit illi Joseph, haec interpretatio illius, significat revelationem a perceptione a coelesti in naturali, quid in se haberet: tres propagines, tres dies, illae, significat derivationes continuas usque ad ultimam: in adhuc tribus diebus, significat quod tunc novum: extollet Pharao caput tuum, significat provisum et inde conclusum: et reducet te super stationem tuam, significat quod illa quae sunt sensualis parti intellectuali subjecti redigerentur in ordinem, ut ultimo loco sint: et dabis scyphum Pharaonis in manum illius, significat ut inde inserviant interiori naturali: secundum morem priorem, significat ex lege ordinis: quo fuisti pincerna illius, significat sicut sensualia illius generis solent.

5110. Et narravit princeps pincernarum somnium suum Josepho, quod significat quod coeleste spiritualis apperciperet eventum de illis quae fuerunt sensualis parti intellectuali subjecti, quae hactenus rejecta, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4585. 4592. 4594. 4963; ex significatione somnii, quod sit praevidentia, et inde eventus, de qua supra n: 5091. 5092. 5104, ita eventus praevisus seu apperceptus; et ex significatione principis pincernarum, quod sit sensuale parti intellectuali subjectum in genere, de qua n: 5077. 5082; quod rejectum, intelligitur per quod in custodia, n: 5083. 5101; ex his patet, quod istorum verborum ille sensus internus sit; quod etiam Josephus, per quem coeleste spiritualis repraesentatur, eventum apperceperit, a sequentibus constat. Coeleste spiritualis dicitur, et intelligitur Dominus, abstracte de Ipso quoque dici potest, quia est ipsum coeleste ac ipsum spirituale, hoc est, est Ipsum Bonum ac Ipsum Verum; quae quidem apud hominem non concipi possunt abstracte a persona, quia naturale in singulis cogitationis ejus

adjunctum est; at usque cum cogitatur, quod omne quod in Domino, Divinum sit, et quod Divinum sit supra omne cogitationis, et prorsus incomprehensibile etiam angelis, consequenter si tunc abstrahitur id quod comprehensibile est, remanet Ipsum Esse et Existere, quod nempe sit Ipsum Coeleste ac Ipsum Spirituale, hoc est, Ipsum Bonum et Ipsum Verum. At usque quia homo talis est, ut prorsus nullam cogitationis ideam habere possit de abstractis, nisi adjungat aliquod naturale quod intraverat e mundo per sensualia, absque tali enim cogitatio ejus perit sicut in abysso et dissipatur; idcirco ne Divinum apud hominem corporeis et terrestribus prorsus immersum periret, et apud quem maneret, conspurcaretur idea immunda, et una omne coeleste et spirituale quod a Divino, idcirco placuit Jehovae se sistere actualiter qualis est et qualis apparet in coelo, nempe sicut Divinus Homo; omne enim coeli conspirat ad formam humanam, ut constare potest ab illis quae ad finem Capitum de Correspondentia omnium hominis cum Maximo Homine, quod est Coelum, ostensa sunt; Hoc Divinum, seu Hoc Jehovae in Coelo, est Dominus ab aeterno; idem quoque suscepit Dominus cum glorificavit seu Divinum fecit in Se Humanum; quod etiam manifeste patet ex forma in qua apparuit coram Petro, Jacobo, et Johanne, cum transformatus, Matth: XVII: 1. 2; et quoque in qua aliquoties apparuit Prophetis; inde nunc est, quod unusquisque de Ipso Divino cogitare possit ut de Homine, et tunc de Domino, in quo omne Divinum, et Trinum perfectum est; in Domino enim Ipsum Divinum est Pater, Divinum *illud* in coelo est Filius, et Divinum inde procedens est Spiritus Sanctus, Qui quod unum sint, ut Ipse docet, exinde constat.

5111. Et dixit ei, quod significet revelationem ex perceptione, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3395. 3509, ita quoque est revelatio, nam haec est interna perceptio, et ex perceptione.

5112. In somnio meo, quod significet praedictionem, constat ex significatione somnii, quod sit praevidentia, et ex *illa* praedictio, de qua supra n: 5091. 5092. 5104.

5113. Et ecce vitis coram me, quod significet intellectuale, constat ex significatione vitis, quod sit intellectuale quod Eccle-

siae spiritualis, de qua sequitur. Quia per pincernam significatur sensuale parti intellectuali subjectum, et hic agitur de influxu intellectualis in sensuale sibi subordinatum, ideo in somnio apparuit vitis cum propaginibus, flore, botris, et uvis, per quae influxus et renascentia sensualis illius describitur. Quod intellectuale Ecclesiae spiritualis attinet, sciendum, quod in Verbo, ubi de illa Ecclesia, passim etiam de intellectuali ejus agatur, ex causa, quia est pars intellectualis, quae apud hominem illius Ecclesiae, regeneratur et fit Ecclesia; sunt enim binae Ecclesiae in genere, nempe coelestis et spiritualis, Ecclesia coelestis est apud hominem qui quoad partem voluntariam regenerari potest seu fieri Ecclesia, at Ecclesia spiritualis apud hominem, qui solum quoad partem intellectualem, ut dictum, regenerari potest; Antiquissima Ecclesia, quae ante diluvium, fuit coelestis, quia apud eos qui ab illa fuerunt, in parte voluntaria aliquid integrum fuit, sed Antiqua Ecclesia, quae post diluvium, spiritualis fuit, quia apud eos qui ab illa, non aliquid in parte voluntaria, sed in parte intellectuali, integrum fuit; inde nunc est, quod in Verbo, ubi de Ecclesia Spirituali, partim etiam de intellectuali ejus agatur; de his videantur n: 640. 641. 765. 863. 875. 895. 927. 928. 1023. 1043. 1044. 1555. 2124. 2256. 2669. 4328. 4493; quod intellectualis pars apud illos, qui ab Ecclesia spirituali, regeneretur, constare potest etiam ex eo, quod homo Ecclesiae illius nullam perceptionem veri ex bono habeat, prout habuerunt qui a coelesti Ecclesia, sed verum quod fidei primum addiscet, et imbuet intellectuale, et sic ex vero cognoscet quid bonum, et postquam id inde cognoverit, id cogitare potest, dein velle, et tandem facere, et tunc nova voluntas apud illum in parte intellectuali a Domino formatur, per hanc a Domino elevatur spiritualis homo in coelum, remanente usque malo in propria ejus voluntate, quae tunc miraculose separatur, et hoc per vim superiorem, qua detinetur a malo et tenetur in bono. Coelestis autem Ecclesiae homo regeneratus fuit quoad partem voluntariam, ab infantia imbuendo bonum charitatis, et cum ejus perceptionem adeptus est, ducebatur in perceptionem amoris in Dominum; inde omnia vera fidei ei in intellectuali sicut in speculo apparuerunt; intellectus et voluntas apud illum prorsus unam mentem fecerunt,

nam perceptum illis in intellectu quod erat in voluntate; in his consistebat integritas primi hominis, per quem Ecclesia coelestis significatur. Quod vitis sit intellectuale Ecclesiae spiritualis, ex Verbo pluries alibi constat, ut apud Jeremiam „Quid tibi cum via Aegypti ut bibas aquas Schichoris, aut quid tibi cum via Assyriae ut bibas aquas fluvii: atqui Ego *plantaveram te Vitem nobilem totam*, semen veritatis: quomodo ergo conversa es Mihi *in palmites degeneres Vitis alienae*" II: 18. 21; *ibi* de Israële, per quem significatur Ecclesia spiritualis, n: 3654. 4286; Aegyptus et aquae Schichoris pro scientificis quae pervertunt, n: 1164. 1165. 1186. 1462; Assyria et aquae fluvii pro ratiocinatione ex illis nempe scientificis contra bonum vitae et verum fidei, n: 119. 1186; Vitis nobilis pro Ecclesiae spiritualis homine, qui vitis dicitur ex intellectuali; palmites degeneres vitis alienae pro Ecclesiae perversae homine. Apud Ezechielem „Aenigma et parabola de domo Israëlis; Aquila magna sumsit de semine terrae, et posuit in agro sementis, germinavit, et factum est *in Vitem luxuriantem*, humilem proceritate; ita ut respicerent *palmites ejus* ad illam, et radices ejus sub illa essent; sic facta est *in vitem* quae fecit *palmites*, et emisit *propagines* ad Aquilam; *Vitis haec* applicuit radices suas et *palmites suos* misit ad illam, in agro bono apud aquas multas; illa plantata ad faciendum ramum, [8] ut esset *in vitem magnificentiae*" XVII: 3. 5. 6. 7. 8; Aquila pro rationali, n: 3901; semen terrae pro vero Ecclesiae, n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3310. 3373, quod factum in vitem luxuriantem et in vitem magnificentiae, pro in Ecclesiam spiritualem, quae vitis vocatur ex vino quod inde, quod significat bonum spirituale seu bonum charitatis ex quo verum fidei, implantatum parti intellectuali. Apud Eundem „Mater tua, [9] sicut *Vitis* in similitudine tui, juxta aquas plantata, frugifera, et ramosa facta ab aquis multis; unde fuerunt illi virgae roboris in sceptra dominantium; et elevavit se statura ejus super inter implexos ramos, ut apparuerit altitudine sua in multitudine palmitum" XIX: 10; ibi etiam de Israële, per quem Ecclesia spiritualis significatur, quae Viti comparatur ex simili causa de qua mox supra; describuntur ibi ejus derivationes usque ad ultimas in naturali homine, nempe ad scientifica ex sensualibus, quae sunt implexi rami, n: 2831. Apud Ho-

scheam „Ero [10] sicut ros *Israëli*, ibunt rami ejus, et erit sicut olivae honor ejus, et odor [11] illi sicut Libani, revertentur habitantes in umbra ejus, vivificabunt frumentum, et efflorebunt sicut *Vitis*, memoria ejus sicut *vinum Libani;* Ephraim quid Mihi amplius cum idolis" XIV: 6. 7. 8. 9; Israël pro Ecclesia spirituali, cujus efflorescentia comparatur Viti, et memoria vino Libani, ex bono fidei implantato intellectuali; Ephraim est intellectuale Ecclesiae spiritualis, n: 3969. Apud Sachariam „Reliquiae populi, semen pacis, *Vitis dabit fructum suum*, et terra dabit proventum, et coeli dabunt rorem suum" VIII: 11. 12; reliquiae populi pro veris reconditis a Domino in interiori homine, n: 468. 530. 560. 561. 660. 798. 1050. 1738. 1906. 2284; semen pacis pro bono ibi; vitis pro intellectuali. Apud Malachiam „Increpabo vobis absumentem, ut non corrumpat vobis fructum terrae, *nec orba erit vobis vitis in agro*" III: 11. 12; Vitis pro intellectuali, vitis non orba dicitur, quando intellectuale non privatur veris et bonis fidei, contra autem vitis vacua, quando sunt falsa ibi et inde mala, apud Hoscheam „*Vitis vacua Israël*, fructum facit similem sibi" X: 1. Apud Mosen „Ligabit *ad Vitem* asininum pullum suum, et *ad vitem nobilem* filium asinae suae, postquam laverit *in Vino* indumentum suum, et in *sanguine uvarum* velamen suum" Genes: XLIX: 11; prophetia Jacobi, tunc Israëlis, de duodecim filiis, ibi de Jehudah, per quem repraesentatur Dominus, n: 3881, vitis ibi pro intellectuali quod est Ecclesiae spiritualis, et vitis nobilis pro intellectuali quod est Ecclesiae Coelestis. Apud Davidem „Jehovah, *Vitem ex Aegypto* proficisci fecisti, expulisti gentes, et plantasti *illam*, purgasti ante *illam*, et radicari fecisti radices *illius*, ut impleverit terram, operti sunt montes umbra *illius*, et ramis cedri Dei, emisisti *propagines illius* usque ad mare, et ad Euphratem ramusculos illius. Conculcat *illam* aper e sylva, et fera agrorum depascit *illam*" Psalm: LXXX: 9. 10. 11. 12. 14; Vitis ex Aegypto, in sensu supremo pro Domino, glorificatio Humani Ipsius describitur per illam et illius propagines; in sensu interno est Vitis ibi Ecclesia spiritualis, ac homo illius Ecclesiae, qualis cum quoad intellectuale et voluntarium a Domino novus factus est seu regeneratus; aper in sylva est falsum, et fera agrorum est malum, quae Ecclesiam quo-

ad [12] fidem in Dominum destruunt. Apud Johannem „Misit Angelus falcem suam in terram, et *vindemiavit vitem terrae*, et conjecit in torcular irae Dei magnum; calcatum est torcular extra urbem, et exivit sanguis e torculari usque ad frena equorum" Apoc: XIV: 19. 20; vindemiare vitem terrae, pro destruere intellectuale Ecclesiae; et quia per vitem significatur intellectuale illud, etiam dicitur quod sanguis exiverit e torculari usque ad frena equorum, per equos enim significantur intellectualia, n: 2761. 2762. 3217. Apud Esaiam „Fiet in die illo, erit omnis locus, in quo *fuerint mille vites* pro mille argenti, erit in senticetum et vepretum" VII: 23. Apud Eundem „Exurentur habitatores terrae, et relictus erit homo rarus, lugebit mustum, et *languescet vitis*" XXIV: 6. 7. Apud Eundem „Super ubera se pulsant ob agros *meri*, ob *vitem frugiferam*, super terra populi mei spina, sentis, ascendit" XXXII: 12. 13. 14; in illis locis de vastatione Ecclesiae spiritualis quoad bonum et verum fidei agitur, ita quoad intellectuale, nam verum et bonum fidei est in parte intellectuali hominis illius Ecclesiae, ut supra dictum; quisque videre potest, quod ibi non per vitem vitis intelligatur, et non per terram terra, sed quod tale quod est Ecclesiae. Quia in genuino sensu vitis significat bonum intellectualis, et ficus bonum naturalis, seu quod idem, vitis bonum interioris hominis, et ficus bonum exterioris, idcirco pluries in Verbo ubi Vitis etiam Ficus nominatur; ut in his locis; apud Jeremiam „Consumendo consumam eos, *non Uvae in vite, neque ficus in ficu*, et folium defluit" VIII: 13. Apud Eundem „Ego adducam super vos gentem e longinquo, domus Israëlis, qui comedet *Vitem tuam* et *ficum tuam*" V: 15. 17. Apud Hoscheam „Devastabo *Vitem ejus* et *ficum ejus*" II: 12. Apud Joëlem „Gens ascendit super terram, redegit *Vitem meam* in vastitatem, et *ficum meam* in spumam, denudando denudavit *illam*, et projecit, dealbati sunt *palmites illius; Vitis* exaruit, et *ficus* languet" I: 6. 7. 12. Apud Eundem „Ne timete bestiae agrorum meorum, quia herbosa facta sunt habitacula deserti; quia arbor fecit fructum suum, et *ficus* et *vitis* dabunt vim suam" II: 22. 23. Apud Davidem „Percussit *vitem eorum*, et *ficum eorum*, et confregit arborem termini eorum" Psalm: CV: 33. Apud Habakuk „*Ficus* non florebit,

nec proventus *in vitibus* » III: 17. Apud Micham « E Zione exibit doctrina, et verbum Jehovae ex Hierosolyma; sedebunt quisque *sub Vite sua*, et *sub ficu sua*, nec terrens » IV: 2. 4. Apud Sachariam « In die illo clamabitis vir ad socium suum *sub vite* et *sub ficu*, » III: 10. [13] In Libro I Reg: « Tempore Schelomonis pax fuit ab omnibus transitibus a circuitu, et habitavit Jehudah et Israël in confidentia, *quisque sub vite sua*, et *sub ficu sua*, » V: 4. 5; quod ficus sit bonum naturalis seu exterioris hominis, videatur n: 217. Quod vitis sit Intellectuale novum seu regeneratum per bonum ex vero et per verum ex bono, constat ex Domini verbis ad discipulos, postquam instituit Sanctam Coenam, apud Matthaeum « Dico vobis, quod non bibiturus sim a nunc *ex hoc genimine vitis*, usque ad diem illum, quando id bibero vobiscum novum in Regno Patris mei, » XXVI: 29; bonum ex vero et verum ex bono, per quae novum fit intellectuale, seu homo fit spiritualis, significatur per genimen vitis, appropriatio ejus significatur per bibere; quod bibere sit appropriare, et quod praedicetur de vero, videatur n: 3168; quod id non plene fiat quam in altera vita, significatur per, usque ad diem illum quando id bibiturus vobiscum novum in Regno Patris mei; quod per genimen vitis non mustum nec vinum intelligatur, sed coeleste quid quod est Regni Domini, manifeste patet. Quia Intellectuale hominis spiritualis novum fit et regeneratur per Verum quod unice a Domino, ideo Dominus Se comparat Viti, et illos qui implantantur Vero quod ab Ipso, consequenter Ipsi, comparat palmitibus, et bonum quod inde, fructui, apud Johannem « *Sum Vitis vera*, et Pater meus *Vinitor*, omnem *palmitem* in Me non ferentem fructum, tollit eum, omnem autem fructum ferentem putabit illum, ut plus fructus ferat. Manete in Me, etiam Ego in vobis, quemadmodum *palmes* non potest fructum ferre a seipso, nisi manserit *in Vite*, ita neque vos, nisi in Me manseritis. *Ego sum Vitis*, *vos palmites*, qui manet in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam: hoc mandatum meum, ut ametis vos mutuo, sicut amavi vos, » XV: 1. 2. 3. 4. 5. 12. Quia Vitis in supremo sensu significat Dominum quoad Divinum Verum, et inde in sensu interno hominem Ecclesiae spiritualis, idcirco Vinea significat ipsam Ecclesiam spiritualem,

n: 1069. 3220. Quia Naziraeus repraesentabat coelestem hominem, et ille regeneratur per bonum amoris, non autem per verum fidei prout spiritualis homo, consequenter coelestis homo non quoad intellectuale sed quoad voluntarium, ut supra dictum videatur, idcirco prohibitum Naziraeo fuit *edere quicquam quod exiret ex vite,* ita *nec bibere vinum,* Num: VI: 3. 4. Jud: XIII: 14; ex eo quoque patet, quod per vitem significetur Intellectuale quod est spiritualis hominis, ut ostensum; quod Naziraeus coelestem hominem repraesentaverit, videatur n: 3301; inde etiam videri potest, quod nequaquam sciri queat, quare Naziraeo prohibitum fuit omne quod exiret ex vite, praeter plura de illo, nisi sciretur quid vitis in proprio sensu significat, tum nisi sciretur quod sit Ecclesia Coelestis et Ecclesia spiritualis, et quod homo Ecclesiae coelestis aliter regeneretur quam homo Ecclesiae spiritualis, ille per semen implantatum parti voluntariae, hic per semen implantatum parti intellectuali: talia arcana in sensu Verbi interno recondita sunt.

5114. Et in vite tres propagines, quod significet derivationes inde usque ad ultimam, constat ex significatione vitis, quod sit intellectuale, de qua mox supra n: 5113; ex significatione trium, quod sint completum et continuum usque ad finem, de qua n: 2788. 4495; et ex significatione propaginum, quod sint derivationes; cum enim vitis est intellectuale, propagines non aliud sunt quam derivationes inde, et quia tres significant continuum usque ad finem, seu a primo usque ad ultimum, per tres propagines significantur derivationes ab intellectuali ad ultimum quod est sensuale; primum enim in ordine est intellectuale, et ultimum est sensuale: intellectuale in communi est visuale interni hominis, quod a luce coeli, quae a Domino, videt, et quod videt, omne est spirituale et coeleste; sensuale autem in communi est externi hominis, hic sensuale visus, quia hoc correspondet et subordinatum est intellectuali, illud sensuale a luce mundi, quae a sole, videt, et quod videt, omne est mundanum, corporeum et terrestre. Dantur in homine derivationes ab intellectuali, quod est in luce coeli, ad sensuale quod est in luce mundi; nisi darentur, sensuale non potuisset ullam vitam, qualis est humana, habere; vita sensuali hominis non est ex eo quod videat ex luce mundi, nam lux mundi in se nul-

lam vitam habet, sed ex eo quod videat ex luce coeli, nam haec lux vitam in se habet; cum haec lux incidit apud hominem in illa quae sunt ex luce mundi, tunc vivificat illa, et facit ut videat objecta intellectualiter, ita sicut homo; inde homini ex scientificis quae enata sunt ex illis quae in mundo viderat et audiverat, proinde ex illis quae intraverant per sensualia, intelligentia et sapientia, et ex hac vita civilis, moralis, et spiritualis. Quod in specie derivationes attinet, sunt illae apud hominem tales, ut paucis exponi nequeant; sunt gradus sicut scalae inter Intellectuale et Sensuale, sed gradus illos nemo potest capere, nisi sciat quomodo cum illis se habet, quod nempe inter se distinctissimi sint, et quod tam distincti, ut interiores existere et subsistere possint absque exterioribus, non autem exteriores absque interioribus; sicut pro exemplo, spiritus hominis subsistere potest absque corpore materiali, et quoque actualiter subsistit cum per mortem separatur a corpore; spiritus hominis in gradu interiori est, et corpus in exteriori; similiter etiam se habet cum spiritu hominis post mortem, si inter beatos est, in ultimo gradu ibi est cum in primo coelo, in interiori gradu cum in secundo, et in intimo cum in tertio; et cum in hoc est, tunc quidem simul est in reliquis, sed hi quiescunt apud illum, paene sicut corporeum apud hominem quiescit in somno, at cum differentia, quod interiora apud angelos tunc in summa vigilia sint; totidem itaque distincti gradus apud hominem dantur, quot sunt coeli, praeter ultimum, qui est corpus cum sensualibus ejus. Ex his aliquatenus constare potest, quomodo se habet cum derivationibus a primo ad ultimum, seu ab Intellectuali ad sensuale: vita hominis, quae a Divino Domini, transit per hos gradus ab intimo ad ultimum, et ubivis derivatur, fitque communius et communius, et in ultimo communissimum; derivationes in gradibus inferioribus sunt modo compositiones, seu aptius, conformationes singularium et particularium graduum superiorum successive, cum adjectis talibus e puriori natura, et dein ex crassiori, quae pro vasis continentibus inservire possunt; quibus vasis resolutis, singularia et particularia interiorum graduum, quae inibi conformata fuerunt, redeunt ad proxime superiorem gradum: et quia apud hominem est nexus cum Divino, et intimum ejus est tale, ut Divinum recipere possit, nec solum

recipere, sed etiam sibi appropriare per agnitionem et affectionem, ita per reciprocum, idcirco homo, quia ita implantatus est Divino, nusquam mori potest; est enim in aeterno et infinito, non modo per influxum inde, sed etiam per receptionem; inde videri potest, quam indocte et inaniter illi cogitant de homine, qui comparant illum animalibus brutis, et credunt non victurum illum post mortem magis quam illa, non considerantes quod apud animalia bruta nulla receptio, et per aliquam agnitionem et affectionem appropriatio reciproca Divini sit, et inde conjunctio; et cum status illorum talis est, quod formae recipientes vitae eorum non aliter possint quam dissipari; transit enim apud illa influxus per organicas eorum formas usque in mundum, et ibi terminatur et evanescit, nec usquam redit.

5115. Et illa sicut germinans, quod significet influxum per quem renascentia, constat ex significatione germinare, seu producere folia ut postea florem, quod sit primum renascentiae; quod sit influxus, est quia cum renascitur homo, influit vita spiritualis in illum, sicut cum arbor germinat, ejus vita per calorem a sole. Homo qui nascitur, in Verbo passim comparatur subjectis regni vegetabilis, imprimis arboribus, et hoc quia totum regnum vegetabile, sicut etiam regnum animale, repraesentat talia quae apud hominem, consequenter quae in Regno Domini, homo enim est coelum in minima forma, ut constare potest ab illis quae ad finem Capitum de Correspondentia hominis cum Maximo Homine, seu coelo, ostensa sunt; inde quoque Antiqui hominem appellaverunt microcosmum, vocavissent etiam exiguum coelum, si de statu coeli plura novissent; quod universa natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini, videatur n: 2758. 3483. 4939; sed imprimis est homo qui nascitur e novo, hoc est, qui regeneratur a Domino, qui vocatur coelum, tunc enim implantatur Bono et Vero Divino quod a Domino, consequenter coelo; homo enim qui renascitur, similiter ac arbor, a semine incipit, quapropter per semen in Verbo significatur verum quod a bono, tum similiter ac arbor producit folia, dein florem, et denique fructum, producit enim talia quae sunt intelligentiae, quae quoque in Verbo significantur per folia, dein talia quae sunt sapientiae, haec sunt quae significantur per flores, et denique talia quae sunt vitae, nempe bona

amoris et charitatis actu, quae in Verbo significantur per fructus: talis similitudo repraesentativa est inter arborem frugiferam et inter hominem qui regeneratur, adeo ut ex arbore disci queat, quomodo se cum regeneratione habet, modo aliquid de bono et vero spirituali prius sciatur: inde constare potest, quod in hoc somnio per vitem repraesentative describatur plene processus renascentiae hominis quoad sensuale intellectuali subjectum; primum per tres propagines, tum per germinationem, dein per florem, postea per maturationem botrorum in uvas, denique per quod expresserit illas in scyphum Pharaonis, et dederit ei. Somnia etiam, quae influunt per coelum a Domino, nusquam aliter apparent quam secundum repraesentativa; qui itaque non scit, quid hoc aut illud in natura repraesentat, et minus qui prorsus non scit quod aliquid repraesentet, is non aliter credere potest, quam quod solum comparationes sint, quales unicuique in communi loquela; sunt etiam comparationes, sed tales quae correspondent et quae inde actualiter sistuntur in mundo spirituum, quando apud angelos, qui in interiori coelo sunt, est loquela de spiritualibus et coelestibus Regni Domini; de somniis videantur n: 1122. 1975. 1977. 1979. 1980. 1981.

5116. Et ascendit flos illius, quod significet statum prope regenerationem, constat ex significatione floris qui egerminat ex arbore ante fructum, quod sit status ante regenerationem; arboris germinatio et fructificatio repraesentat, ut mox supra n: 5115, dictum est, hominis renascentiam, virescentia ex foliis primum statum, efflorescentia alterum, seu proximum ante regenerationem, et fructificatio tertium, qui est ipse status regenerati; inde est, quod folia significent illa quae sunt intelligentiae seu vera fidei, n: 885, nam haec sunt prima renascentiae seu regenerationis, flores autem illa quae sunt sapientiae seu bona fidei, quia haec proxime praecedunt ante renascentiam seu regenerationem, et fructus illa quae sunt vitae seu opera charitatis, quippe haec sequuntur et constituunt ipsum statum regenerati. Quod talia existant in regno vegetabili, est ex influxu mundi spiritualis: sed hoc nequaquam credere possunt illi qui naturae omnia tribuunt, et nihil Divino; at qui tribuunt omnia Divino et nihil naturae, illis datur videre quod singula inde sint, nec solum quod inde sint, sed etiam quod singula

correspondeant, et quia correspondent quod repraesentent; et denique datur eis videre, quod universa natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini, ita quod Divinum in singulis sit, usque adeo, ut quoque sit repraesentatio aeterni et infiniti, aeterni ex propagatione usque in aeternum, infiniti ex multiplicatione seminum in infinitum; tales conatus nusquam inexistere potuissent singulis in regno vegetabili, nisi continue influeret Divinum, ex influxu est conatus, ex conatu est vis, et ex vi effectus; qui naturae tribuunt omnia, dicunt quod talia fructibus et seminibus indita sint in prima creatione, et quod ex vi inde accepta ex se postea in talia ferantur, sed illi non considerant, quod subsistentia sit perpetua existentia, seu simile, quod propagatio sit perpetua creatio; nec considerant quod effectus sit continuum causae, et quod cessante causa cesset effectus, et inde quod omnis effectus absque influxu causae continuo momento pereat; tum nec considerant, quod inconnexum ab omnium primo, consequenter a Divino, momento in nihilum cadat, prius enim continue erit in posteriori, ut posterius sit; si illi qui naturae omnia tribuunt, et Divino tam parum ut vix aliquid, considerarent illa, potuissent etiam agnoscere, quod omnia et singula in natura repraesentent talia quae in spirituali mundo sunt, proinde quae in Regno Domini, ubi Divinum Domini proxime repraesentatur; inde dictum est, quod influxus sit ex spirituali mundo, sed intelligitur, quod influxus sit per spiritualem mundum a Divino Domini: causa quod homines naturales talia non considerent, est quia non volunt agnoscere, sunt enim in terrestribus et corporeis, et inde in vita amorum sui et mundi, proinde in prorsus inverso ordine respective ad illa quae sunt mundi spiritualis seu coeli, et ex inverso statu videre talia, impossibile est, quae enim infra sunt vident ut superiora, et quae supra sunt ut inferiora; quapropter etiam tales in altera vita cum apparent in luce coeli, apparent capite deorsum et pedibus sursum. Quis eorum est, qui dum videt flores in arbore, et in reliquis germinibus, considerat quod eorum quasi laetificatio sit, quod nunc fructus aut semina producant; vident quod flores praecedant, et continuentur usque dum initiamenta fructus vel seminis in suo sinu habent, ac sic traducant succum suum in illa; si aliquid de renascentia seu regeneratione hominis scirent,

aut potius si scire vellent, ex similitudine quoque repraesentativum status hominis ante regenerationem in floribus illis viderent, quod nempe homo tunc ex bono intelligentiae et sapientiae similiter floreat, hoc est, in interiore laetitia sit, inque pulchritudine, quia tunc in nisu implantandi illa, nempe bona intelligentiae et sapientiae, vitae, hoc est, faciendi fructus; quod ille status talis sit, nec sciri potest, quia quid interior laetitia, et quid interior pulchritudo, quae repraesentantur, prorsus non scitur ab illis, qui solum in laetis amoris mundi et in jucundis amoris sui sunt, illa laeta et haec jucunda faciunt ut illa appareant illaeta et injucunda, usque adeo, ut aversentur illa, et cum aversantur illa, etiam rejiciunt sicut quoddam nauci aut sicut quoddam nihili, consequenter negant illa, et simul tunc quod spirituale et coeleste sit aliquid: inde nunc est insania saeculi quae creditur sapientia.

5117. Et maturuerunt botri illius uvas, quod significet conjunctionem veri spiritualis cum bono coelesti, constat ex significatione maturescere, quod sit renascentiae seu regenerationis progressus usque ad conjunctionem veri cum bono, ita conjunctio; ex significatione botrorum, quod sint verum boni spiritualis, et uvarum quod sint bonum veri coelestis, hic utrumque in sensuali quod per pincernam repraesentatur, conjunctio eorum in sensuali similiter se habet, sicut maturitio botrorum in uvas; in renascentia enim seu regeneratione tendit omne verum ad conjunctionem cum bono, prius verum non vitam accipit, proinde non fructificatur; hoc repraesentatur in arborum fructibus cum maturescunt, in immaturis qui hic sunt botri, repraesentatur status cum adhuc verum praedominatur, in maturis autem qui hic sunt uvae, cum bonum praedominium habet, praedominium boni etiam repraesentatur in sapore et dulcedine, quae in uvis maturis percipiuntur. Sed de conjunctione veri cum bono in sensuali parti intellectuali subjecto, non plura dici possunt, sunt arcaniora quam ut capi queant, praecedent omnino cognitiones [14] de statu coelestis spiritualis, et de sensuali hoc, tum de statu naturalis in quo conjunctio illa existit. Quod uvae significent bonum spiritualis hominis, ita charitatem, constare potest a pluribus locis in Verbo, ut apud Esaiam „*Vinea* fuit Dilecto meo in cornu filii olei, exspectavit *ut faceret uvas*, sed

fecit *labruscas*, » V: 1. 2. 4, vinea pro Ecclesia spirituali; exspectavit ut faceret uvas pro bona charitatis; sed fecit labruscas pro mala odii et vindictae. Apud Eundem « Sic dixit Jehovah, quemadmodum invenitur *mustum in botro*, et dicit, ne corrumpe illud, quia benedictio in illo, » LXV: 8; mustum in botro pro vero ex bono in naturali. Apud Jeremiam « Colligendo colligam eos, dictum Jehovae, *non uvae in vite*, et non ficus in ficu, » VIII: 13; non uvae in vite, pro quod non bonum interius seu rationale, non ficus in ficu pro quod non bonum exterius seu naturale; vitis enim est intellectuale, ut mox supra n: 5113 ostensum, cum ibi conjunctio veri et boni, est vitis rationale, nam inde est rationale; quod ficus sit bonum naturalis seu exterioris hominis, videatur n: 217. Apud Hoscheam « Sicut *uvas in deserto* inveni Israëlem, sicut primitivum in ficu in initio ejus vidi patres vestros, » IX: 10; uvae in deserto pro bono rationali nondum spirituali facto, primitivum in ficu pro bono naturali similiter; Israël pro Ecclesia spirituali antiqua in suo initio, patres hic et alibi non sunt filii Jacobi, sed sunt illi apud quos Ecclesia antiqua primum instaurata fuit. Apud Micham « Non [15] *botrus* ad comedendum, primitivum desideravit anima mea; periit sanctus e terra, et rectus inter hominem non, » VII: 1; botrus ad comedendum pro bono charitatis in suo initio, primitivum pro vero fidei etiam tunc. Apud Amos « Ecce dies venientes, ut attingat arans metentem, et *calcans uvas* trahentem semen: et reducam captivitatem populi mei, ut aedificent urbes devastatas, et sedeant et *plantent vineas*, et *bibant vinum illarum*, et *faciant botros*, et comedant fructum eorum, » IX: 13. 14; agitur ibi de instauratione Ecclesiae spiritualis, quae ita describitur, conjunctio boni spiritualis cum vero ejus, per quod attinget arans metentem, et conjunctio veri spiritualis cum bono ejus, per quod attinget calcans uvas trahentem semen; bona amoris et charitatis inde, significantur per quod montes stillabunt mustum et colles diffluent; reducere captivitatem populi pro liberare a falsis, aedificare urbes devastatas pro doctrinalia veri falsificata rectificare, sedere et plantare vineas pro excolere illa quae sunt Ecclesiae spiritualis, bibere vinum earum, pro appropriare vera illius Ecclesiae quae sunt charitatis, et facere botros et comedere fructum eorum, pro

appropriare bona inde; quisque videre potest, quod aedificare urbes, plantare vineas, bibere vinum, facere botros et comedere fructum eorum, sint mere naturalia, in quibus nisi sensus spiritualis sit, nihil Divinum foret inibi. Apud Mosen „Lavit *in vino* indumentum, et in *sanguine uvarum* velamen suum," Gen: XLIX: 11; [15] ibi de Domino, vinum pro bono spirituali ex amore Divino, sanguis uvarum pro bono coelesti inde. Apud Eundem „Butyrum armenti, et lac gregis, cum adipe agnorum et arietum filiorum Baschanis, et hircorum cum adipe renum tritici, et *sanguinem uvae* bibis, merum," Deut: XXXII: 14, ibi de Ecclesia Antiqua, cujus bona amoris et charitatis ita describuntur; singula significant aliquod bonum in specie, sanguis uvae bonum spirituale coeleste, ita vocatur Divinum in coelo procedens a Domino; vinum appellatur sanguis uvarum, quia utrumque significat sanctum verum procedens a Domino, at vinum praedicatur de Ecclesia spirituali, et sanguis de Ecclesia coelesti; et quia ita, in sancta coena vinum mandatum est. Apud Eundem „*De vite Sodomae vitis eorum*, et de agris Amorrhae; *uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum illis*," Deut: XXXII: 32, ibi de Ecclesia Judaica, de vite Sodomae vitis eorum et de agris Amorrhae, pro quod intellectualis pars falsis ex amore infernali obsessa; uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum illis, pro quod voluntarium ibi simile; uva enim quia in bono sensu significat charitatem, inde praedicatur de voluntario, sed de voluntario in parte intellectuali, in opposito sensu similiter, nam omne verum est intellectus, et omne bonum est voluntatis. Apud Johannem „Angelus dixit, mitte falcem acutam, et *vindemia botros terrae,* quia *maturuerunt uvae ejus*," Apoc: XIV: 18; vindemiare botros terrae pro destruere omnia charitatis. Apud Matthaeum „A fructibus eorum cognoscetis eos, *nunquid colligunt de spinis uvas*, et de tribulis ficus," VII: 16: et apud Lucam „Omnis arbor ex proprio fructu cognoscitur, non enim ex spinis colligunt ficus, *neque ex rubo vindemiant uvam*," VI: 44; quia ibi de charitate erga proximum agitur, dicitur quod ex fructibus, qui sunt bona charitatis, cognoscentur; bona charitatis interna sunt uvae, et externa sunt ficus. Quod lex in Ecclesia Judaica lata sit „Cum veneris in vineam socii tui, comedes *uvas* juxta animam tuam,

ad satietatem tuam, sed in vas tuum non dabis," Deut: XXIII: 25, involvit, quod quisque apud alios, qui in alia doctrina et religione sunt, addiscere et acceptare possit charitatis eorum bona, sed non imbuere illa et conjungere suis veris, vinea quia est Ecclesia, est ubi doctrina seu religio, uvae sunt bona charitatis, vas est verum Ecclesiae.

5118. Et scyphus Pharaonis in manu mea, quod significet influxum interioris naturalis in exterius, et receptionis initium, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit interius naturale, de qua supra n: 5080. 5095; ex repraesentatione pincernae, quod sit exterius naturale, de qua n: 5077. 5082; in manu mea, est apud eum; ex significatione scyphi, quod sit id quod continet, et quoque simul id quod continetur, de qua in sequente n: 5120, inde et ex serie rerum in sensu interno, per scyphum Pharaonis in manu mea, significatur influxus interioris naturalis in exterius, et receptionis initium ibi. Quid naturale interius, et naturale exterius, prius dictum est, quod nempe naturale interius sit id quod communicat cum rationali, et in quod rationale influit, naturale autem exterius id quod communicat cum sensualibus, seu per sensualia cum mundo, ita in quod mundus influit. Quod influxum attinet, is est continuus a Domino per rationale in naturale interius, et per hoc in exterius, sed quae influunt, mutantur et vertuntur secundum receptionem; apud non regeneratos vertuntur ibi bona in mala, et vera in falsa; at apud regeneratos sistuntur ibi bona et vera sicut in speculo, naturale enim nihil aliud est, *quam* sicut facies repraesentativa spiritualium quae interni hominis; et tunc facies illa fit repraesentativa, cum exteriora correspondent interioribus: inde aliquatenus constare potest, quid intelligitur per influxum interioris naturalis in exterius, et per receptionis initium ibi.

5119. Et accepi uvas et expressi illas in scyphum Pharaonis, quod significet influxum reciprocum in bona ex origine spirituali ibi, constat ex significatione uvarum, quod sint bona charitatis, de qua mox supra n: 5117, ita bona ex origine spirituali, omnia enim bona genuinae charitatis inde sunt; et ex significatione exprimere in scyphum Pharaonis, quod sit influxus reciprocus. Per influxum reciprocum non intelligitur, quod

naturale exterius influat in interius, quia hoc impossibile est, exteriora enim nequaquam possunt influere in interiora, seu quod idem inferiora aut posteriora in superiora aut priora, sed a rationali evocantur illa quae in interiori naturali sunt, et per hoc quae in exteriori; non quod ipsa illa quae ibi sunt, evocentur, sed quae ab illis concluduntur seu quasi extrahuntur; talis est influxus reciprocus. Apparet sicut illa quae in mundo sunt, influant per sensualia versus interiora, sed est fallacia sensus; est influxus interiorum in exteriora, et per illum influxum apperceptio; de his aliquoties cum spiritibus in sermone fui, et ostensum per vivas experientias, quod interior homo videat et appercipiat in exteriori quid peragitur extra hunc, et quod non aliunde sit vita sensuali, seu quod non aliunde sit facultas sentiendi, nec sensatio: sed haec fallacia talis et tanta est, ut nequaquam possit a naturali homine discuti, et ne quidem a rationali, nisi hic abstracte a sensuali cogitare possit. Haec dicta sunt, ut sciatur, quid influxus reciprocus.

5120. Et dedi scyphum super volam Pharaonis, quod significet appropriationem ab interiori naturali, constat ex significatione dare scyphum, ita vinum ad bibendum, quod sit appropriare, quod bibere sit appropriatio veri, videatur n: 3168; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit interius naturale, de qua n: 5080. 5095. 5118. Agitur hic, ut ex praecedentibus patet, de regeneratione sensualis parti intellectuali interioris hominis subjecti, quod per pincernam significatur, consequenter de veri et boni influxu, et receptione in naturali exteriori; sed quia haec remotiora sunt a captu eorum, qui non distinctam aliquam ideam habent de rationali et de naturali, nec aliquam de influxu, idcirco ulterior explicatio supersedetur. Praeterea in Verbo pluries nominatur scyphus, seu poculum aut calix, et per illum significatur in genuino sensu Verum spirituale, hoc est, verum fidei quod ex bono charitatis, simile quod per vinum; et in opposito sensu falsum per quod malum, et quoque falsum ex malo; quod scyphus significet simile quod vinum, est quia scyphus est continens et vinum est contentum, et inde unum constituunt, et sic unum intelligitur per alterum: quod illa significentur per scyphum in Verbo, patet ab his locis: apud Davidem «Jehovah, dispones ante me mensam coram inimicis, et pin-

guefacies oleo caput meum, *scyphus meus abundabit* » Psalm: XXIII: 5; disponere mensam et pinguefacere oleo caput, pro donari bono charitatis et amoris; scyphus meus abundabit, pro quod naturale implebitur vero et bono spiritnali inde. Apud Eundem « Quid reddam Jehovae, *scyphum salutum accipiam*, et Nomen Jehovae invocabo » Psalm: CXVI: 12. 13, scyphum salutum accipere pro appropriatione bonorum fidei. Apud Marcum « Quisquis *potaverit vos poculo aquae* in Nomine Meo, eo quod Christi sitis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam » IX: 41, potare poculo aquae in Nomine meo, pro instruere in veris fidei ex pusilla charitate. Apud Matthaeum « Mox *accipiens poculum*, et gratias agens, dedit illis, dicens bibite ex eo omnes, hoc enim est sanguis meus ille Novi Testamenti » XXVI: 27. 28. Marc: XIV: 23. 24. Luc: XXII: 20, poculum dicitur, non vinum, quia vinum praedicatur de Ecclesia spirituali, at sanguis de Ecclesia coelesti, tametsi utrumque significat sanctum verum procedens a Domino, sed in Ecclesia spirituali sanctum fidei ex charitate erga proximum, at in Ecclesia coelesti sanctum charitatis ex amore in Dominum; distinguitur Ecclesia spiritualis a coelesti in eo, quod illa sit in charitate erga proximum, haec autem in amore in Dominum, et sancta Coena instituta est, ut repraesentaret et significaret amorem Domini erga universum genus humanum, et reciprocum hominis erga Ipsum. Quia per poculum seu scyphum significabatur id quod contineret, et per vinum id quod contineretur, consequenter per poculum externum hominis, et per vinum internum ejus, ideo a Domino dictum « Vae vobis scribae et Pharisaei hypocritae, quia purgatis *exterius poculi* et patinae, interiora vero plena sunt rapina et intemperantia; Pharisaee caece, purga prius *interius poculi* et patinae, et fiet etiam exterius mundum » Matth: XXIII: 25. 26. Luc: XI: 39; per poculum etiam hic in sensu interno intelligitur verum fidei, hoc excolere absque bono ejus, est purgare in exterius poculi, et magis cum interiora sunt hypocrisi, dolo, odio, vindicta; crudelitate, plena, tunc enim verum fidei solum in externo homine est, et prorsus nihil ejus in interno, et bonum fidei excolere et imbuere, facit ut vera conjungantur bono in interiori homine, etiam tunc fallacia acceptantur pro veris, quod significatur per purgare

prius interius poculi, et fiet etiam exterius mundum. Similiter quae apud Marcum „Alia multa sunt quae Pharisaei et Judaei acceperunt tenere, *baptizationes poculorum* et testaceorum, et aeneorum, et lectorum, deserentes mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, *baptismos testaceorum* et *poculorum*, et alia similia multa facitis; repudiatis mandatum Dei, ut traditionem vestram teneatis" VII: 4. 8. 9. Quod per poculum seu scyphum significetur in opposito sensu falsum ex quo malum, tum falsum quod ex malo, constat a sequentibus; apud Jeremiam „Ita dixit Jehovah Deus Israëlis ad me, *sume scyphum vini irae* hunc e manu mea, et *bibere* fac illum omnes gentes, ad quas Ego mitto te, ut bibant et titubent, et insaniant propter gladium, quem Ego missurus inter illos: accepi itaque *Scyphum* e manu Jehovae, et bibere feci omnes gentes ad quas misit me Jehovah" XXV: 15. 16. 17. 28; scyphus vini irae pro falso per quod malum, quod falsum per quod malum significetur, est quia sicut vinum inebriat et insanum facit, ita falsum, ebrietas spiritualis non aliud est quam insania inducta per ratiocinia de credendis, cum nihil creditur quod non capitur, inde falsa et ex falsis mala, n: 1072; quare dicitur, ut bibant et titubent, et insaniant propter gladium quem Ego missurus, gladius est falsum pugnans contra verum, n: 2799. 4499. In Libro Threnorum „Gaude et laetare filia Edomi, habitans in terra Uz, *etiam ad te transibit scyphus*, inebriaberis et revelaberis," IV: 21, inebriari ex scypho pro insanire ex falsis; revelari seu nudari absque pudore pro malo inde, n: 213. 214. Apud Ezechielem „In via sororis tuae ambulasti, *ideo dabo scyphum ejus in manum tuam;* sic dixit Dominus Jehovih, *scyphum sororis tuae bibes*, profundum et latum, eris in risum et subsannationem, ampla ad capiendum, ebrietate et dolore impleberis, *scypho* devastationis et desolationis, *scyphum sororis tuae* Samariae et bibes, et exprimes, et testas ejus comminues" XXIII: 31. 32. 34; de Hierosolyma, per quam significatur spirituale Ecclesiae Coelestis, scyphus ibi pro falso ex malo, hoc quia vastat seu destruit Ecclesiam, dicitur scyphus devastationis et desolationis. Apud Esaiam „Excitare, excitare, surge Hierosolyma, quae bibisti e manu Jehovae *scyphum irae ipsius*, faeces *scyphi trepidationis* bibisti" LI: 17. Apud Habakuk „Bi-

be etiam tu, ut praeputium tuum reveletur, circumibit ad te *scyphus dextrae Jehovae,* ut vomitus ignominiosus super gloria tua" II: 16. Apud Davidem „*Scyphus in manu Jehovae;* et vino miscuit, implevit mixto, et effudit inde; sed faeces ejus exugent, bibent omnes impii terrae" Psalm: LXXV: 9; scyphus etiam in illis locis pro insania ex falsis et inde malis, vocatur scyphus irae Jehovae, et quoque dextrae Jehovae, ex causa quia Judaica gens, sicut etiam plebs, non aliunde mala et poenas malorum et falsorum quam a Jehovah venire crediderat, cum tamen sunt ex homine et ex infernali turba apud illum; ex apparentia et inde fide ita pluries dicitur, sed sensus internus docet quomodo intelligendum et quid credendum, de his videatur n: 245. 592. 696. 1093. [16] 1683. 1874. 1875. 2335. 2447. 3605. 3607. 3614. Quia per poculum sicut per vinum significantur in opposito sensu falsa per quae mala, tum falsa ex malis, inde etiam per poculum significatur tentatio, quia haec fit cum falsum pugnat contra verum, et inde malum contra bonum; pro tentatione et de illa dicitur poculum, apud Lucam „Jesus oravit, dicens, si velis ut transeat *poculum* hoc a Me, attamen non voluntas mea, sed tua fiat" XXII: 42. Matth: XXVI: 39. 42. 44. Marc: XIV: 36; poculum hic pro tentatione; similiter apud Johannem „Dixit Jesus Petro, mitte gladium in vaginam, nonne *poculum* quod dedit Mihi Pater biberim illud" XVIII: 11: [17] et quoque apud Marcum „Jesus dixit Jacobo et Johanni, non scitis quid petitis, *potestisne bibere poculum quod Ego bibo,* et baptismate quo Ego baptizor, baptizari; dixerunt, possumus; sed Jesus dixit illis, *poculum quidem quod Ego bibo bibetis*, et baptismate, quo Ego baptizor baptizabimini" X: 38. 39. Matth: XX: 22. 23; inde patet quod poculum sit tentatio, quia illa existit per mala pugnantia per falsa contra bona et vera, nam baptismus significat regenerationem, quae quia fit per pugnas spirituales, inde per illum simul significatur tentatio. Poculum seu scyphus in prorsus opposito sensu significat falsum ex malo apud illos qui prophani sunt, hoc est, qui intus in contrariis charitati, et extus sanctitatem mentiuntur; in quo sensu apud Jeremiam „*Scyphus auri* Babel in manu Jehovae, inebrians universam terram, de *vino ejus* biberunt omnes gentes, ideo insaniunt gentes" LI: 7; Babel pro illis qui in sancto externo

et in prophano intus, n: 1182. 1326; falsum quod obvelant sanctitate, est scyphus auri; inebrians universam terram, pro quod in errores et insanias ducant illos qui ab Ecclesia, quae est terra; prophana quae sub externa sanctitate recondunt, sunt quod nihil aliud intendant quam ut omnium maximi et opulentissimi fiant, et colantur ut dii possessores coeli et terrae, dominando sic super hominum animas et super corpora, et hoc per Divina et sancta quae praetexunt; inde quoad externum hominem apparent sicut angeli, sed quoad internum sunt diaboli. Similiter de Babele apud Johannem „Erat mulier induta purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso et margaritis, *habens aureum scyphum in manu sua*, plenum abominationibus et immunditie scortationis ejus" Apoc: XVII: 4. Apud Eundem „Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta habitaculum daemonum, quia *ex vino furoris* scortationis suae potavit omnes gentes, et reges terrae cum eo scortati sunt. Audivi vocem e coelo dicentem, reddite ei quemadmodum illa reddidit vobis, *scypho*, quo miscuit, miscete illi duplum" Apoc: XVIII: 3. 4. 6. Apud Eundem „Facta est urbs magna in tres partes, et urbes gentium corruerunt: Babylonis magnae memoria facta est coram Deo, *ad dandum illi poculum furoris irae Dei*" Apoc: XVI: 19. Apud Eundem „Tertius Angelus dixit voce magna, si quis bestiam adorat, et imaginem ejus, *ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in scypho irae Ipsius*, et cruciabitur igne et sulphure" Apoc: XIV: 9. 10.

5121. Et dixit illi Joseph, haec interpretatio illius, quod significet revelationem a perceptione a coelesti in naturali, quid in se haberet, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395, [18] hic revelatio ex perceptione, quia de somnio et ejus interpretatione agitur; omnis revelatio vel est ex loquela cum Angelis per quos Dominus loquitur, vel ex perceptione, de qua re sequitur; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste in naturali, de qua supra n: 5086. 5087. 5106; et ex significatione interpretationis, quod sit quid in se haberet, de qua etiam supra n: 5093. 5105. 5107; inde patet, quod per dixit illi Joseph haec interpretatio illius, signi-

ficetur revelatio a perceptione a coelesti in naturali, quid in se haberet. Quod revelationes sint vel ex perceptione, vel ex loquela cum angelis per quos Dominus loquitur, sciendum, quod illi qui in bono sunt et inde in vero, imprimis qui in bono amoris in Dominum, revelationem ex perceptione habeant; at qui non in bono et inde in vero sunt, quod quidem revelationes habere possint, sed non ex perceptione, verum per vivam vocem auditam in illis, ita per angelos a Domino; haec revelatio est externa, illa autem interna; revelationem ex perceptione habent Angeli imprimis coelestes, etiam habuerunt homines ab antiquissima Ecclesia, et aliqui etiam ab antiqua, sed hodie vix aliquis; at revelationes ex loquela absque perceptione habuerunt perplures, etiam qui non in bono fuerunt, pariter per visiones aut per somnia; tales revelationes fuerunt pleraeque Prophetarum in Ecclesia Judaica, audiverunt vocem, viderunt visionem, et somniarunt somnium; sed quia nullam perceptionem habuerunt, fuerunt revelationes mere verbales vel visuales absque perceptione quid significarent; perceptio enim genuina existit per coelum a Domino, et afficit intellectuale spiritualiter, et ducit id perceptibiliter ad cogitandum sicut res se habet, cum assensu interno, quem nescit unde; putat quod insit ei, et quod fluat ex nexu rerum, at est dictamen per coelum a Domino in interiora cogitationis influens de talibus quae supra naturale et sensuale sunt, hoc est, de talibus quae spiritualis mundi seu coeli sunt: ex his constare potest, quid revelatio ex perceptione sit. At revelatio ex perceptione, quae fuit Domino, qui hic per Josephum repraesentatur, et de qua hic in sensu interno agitur, fuit ex Divino in Ipso ita ab Ipso.

5122. Tres propagines tres dies illae, quod significet derivationes continuas usque ad ultimam, constat ex significatione trium, quod sit una periodus et ejus continuum a principio ad finem, de qua n: 2788. 4495; a significatione propaginum, quod sint derivationes, de qua n: 5114; et a significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; inde sequitur, quod per tres propagines tres dies illae, significetur status renascentiae sensualis hujus, quod per pincernam repraesentatur a primo ejus ad ultimum, ejus derivationes successivae significantur per propagines.

Status renascentiae cujusvis sensualis, et cujusvis rei in naturali, ut et in rationali, suas progressiones a principio ad finem habent, et cum finem, tunc a quodam novo inchoant, nempe a fine illo ad quem in priori statu tetenderunt, ad finem ulteriorem, et sic porro; et tandem invertitur ordo, et tunc quod fuit ultimum fit primum; sicut cum regeneratur homo tam quoad rationale quam quoad naturale, tunc periodi primi status sunt a veris quae fidei ad bona quae charitatis, et tunc vera fidei apparenter primas agunt, et bona charitatis secundas, nam vera fidei spectant bonum charitatis ut finem; hae periodi perstant usque dum homo regeneratus est; postmodum charitas, quae fuit finis, fit principium, et ab illa status novi inchoant, qui procedunt utrinque, nempe versus interiora magis, ut et versus exteriora, versus interiora ad amorem in Dominum, et versus exteriora ad vera fidei, et porro ad vera naturalia, et quoque ad vera sensualia, quae tunc successive ad correspondentiam cum bonis charitatis et amoris in rationali rediguntur, ac ita in ordinem coelestem; haec sunt, quae intelliguntur per progressiones et derivationes continuas usque ad ultimam; tales progressiones et derivationes sunt perpetuae apud hominem qui regeneratur, ab infantia ejus usque ad ultimum vitae ejus in mundo, et quoque postea usque in aeternum, et tamen nusquam ita regenerari potest, ut aliquo modo dici queat perfectus, sunt enim innumerabilia, imo numero indefinita quae regeneranda, tam in rationali, quam in naturali, et quodlibet eorum numero indefinitas propagines habet, hoc est, progressiones et derivationes versus interiora et versus exteriora: hoc homo prorsus nescit, sed Dominus omnia et singula novit, et unoquovis momento providet; si intermitteret solummodo uno minutulo, turbarentur omnes progressiones; prius enim spectat sequens in continua serie, et producit consequentiarum series in aeternum; inde patet, quod Divina Praevidentia [19] et Providentia sit in singularissimis, et nisi foret, aut si foret modo universalis, periret genus humanum.

5123. In adhuc tribus diebus, quod significet quod tunc novum, constat a significatione trium, quod sit continuum usque ad finem, ita quoque completum, de qua n: 2788. 4495; et a significatione dierum, quod sit status, de qua supra n: 5122;

inde patet, quod per tres dies significetur status completus; consequenter in tribus diebus seu post tres dies, status novus, n: 4901, nam post statum completum inchoat novus.

5124. Extollet Pharao caput tuum, quod significet provisum, et inde conclusum, constat ex significatione extollere caput, quod sit concludere, et in supremo sensu providere, Divina enim conclusio et rei conclusae exequutio est Providentia. Extollere caput fuit formula solennis judicii apud Antiquos, cum vincti seu qui in carcere judicabantur vel ad vitam, vel ad mortem; cum ad vitam, dicebatur extollere caput, ut quoque in Libro II Regum „*Extulit* Evilmerodachus Rex Babelis, anno quo Rex factus, *caput Jehoiachini* Regis Jehudae, *e domo carceris*, et loquutus cum eo bonum, et dedit thronum ejus supra thronum regum, qui cum illo in Babele," XXV: 27. 28: similiter apud Jeremiam „*Extulit* Evilmerodachus rex Babelis in anno regni sui *caput Joiachini* regis Jehudae, et eduxit eum *e domo carceris*," LII: 31; cum autem judicarentur ad mortem, dicebatur extollere caput e super illum, ut in sequentibus de pistore „In adhuc tribus diebus *extollet* Pharao *caput tuum a super te*," Vers: 19: illa judicii formula traxerat originem apud antiquos qui in repraesentativis fuerunt, a repraesentatione illorum qui vincti in carcere seu fovea fuerunt, per quos quia repraesentabantur illi qui in vastatione sub terra inferiore sunt, n: 4728. 4744. 5038, ideo per extollere caput significabatur eorum liberatio, elevantur enim tunc seu attolluntur e vastatione ad societates coelestes, videatur n: 2699. 2701. 2704; attolli seu elevari est progredi versus interiora, nam elevatum seu altum praedicatur de interioribus, n: 2148. 4210, et quia versus interiora, est versus coelum, nam coelum est in interioribus; hoc significabatur per attollere caput; at per attollere caput e super aliquem, significabatur judicari ad mortem, quia tunc illi qui supra illos in fovea seu vastatione, elevabantur ad coelum, iis ad inferiora demissis; haec formula judicii, quia haec per illam significata sunt, ideo recepta est in Verbo. Quod per attollere caput, significetur conclusum, inde patet; et quia conclusum, in supremo sensu significatur provisum, quod enim Divinum concludit, hoc providet.

5125. Et reducet te super stationem tuam, quod significet

quod illa quae sunt sensualis parti intellectuali subjecti, redigerentur in ordinem, ut ultimo loco sint, constat ex repraesentatione pincernae, de quo haec dicuntur, quod sit sensuale parti intellectuali subjectum, de qua n: 5077. 5082, proinde illa quae sunt sensualis illius in externo naturali, ipsum enim sensuale non redigitur in ordinem, sed illa quae per sensuale intrarunt in phantasiam hominis; et ex significatione reducere super stationem, quod sit redigere in ordinem; et quia sensualia, hoc est, illa quae e mundo per sensoria externa intrarunt, ultimo loco sunt, et tunc ultimo loco sunt cum ministrant seu inserviunt interioribus, idcirco illa simul significantur: sensualia illa apud regeneratos sunt quoque ultimo loco, sed apud non regeneratos sunt primo loco, videatur n: 5077. 5081. 5084. 5089. 5094: num sensualia sint primo loco vel num sint ultimo, ab homine facile potest appercipi, si attendit; si is affirmat omne quod sensuale suadet aut appetit, ac infirmat omne quod intellectuale dictat, tunc sensualia sunt primo loco, et tunc fertur homo per appetitus, et est prorsus sensualis; at talis homo parum abest a sorte animalium irrationalium, haec enim non aliter feruntur; imo in deteriore sorte est, si abutitur intellectuali facultate seu rationali ad confirmandum mala et falsa, quae sensualia suadent et appetunt; at si non affirmat, sed ab interiori videt deviationes eorum in falsa et excitationes ad mala, et studet castigare illa, et sic redigere ad obsequium, hoc est, subjicere parti intellectuali et voluntariae, quae sunt interioris hominis, tunc rediguntur sensualia in ordinem, ut sint ultimo loco: cum sensualia ultimo loco sunt, tunc influit felix et beatum ab interiori homine in jucunda sensualium, et facit ut jucunda illorum millies excedant jucunda priora; quod ita sit, homo sensualis quia non capit nec credit, et quia nihil aliud jucundum sentit nec superius jucundum dari putat, felix et beatum intus in jucundis sensualium spectat ut nihili, quod ignotum est alicui, hoc creditur non esse.

5126. Et dabis scyphum Pharaonis in manum illius, quod significet ut inde inserviant interiori naturali, constat a significatione dare scyphum ad bibendum, quod sit appropriare, de qua supra n: 5120, quod etiam sit inservire, patet; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit interius naturale, de qua

n: 5080. 5095. 5118. Quod sit naturale interius et naturale exterius, et quod naturale exterius constituatur ex illis quae immediate per sensualia e mundo in mentem naturalem, nempe in ejus memoriam et inde in imaginationem, intrant, videatur n: 5118. Ut sciatur quid exterius naturale et quid interius quae sunt exterioris hominis, et inde quid rationale quod est interioris hominis, paucis dicendum est; homo a sua infantia usque ad pueritiam, est mere sensualis, nam tunc terrestria, *corporea*, et mundana, solum recipit per sensualia corporis, ex illis etiam tunc ejus ideae et cogitationes sunt, communicatio cum interiori homine nondum aperta est, duntaxat tantum, ut capere illa possit et retinere, innocentia quae tunc illi est solum externa, non autem interna, nam vera innocentia habitat in sapientia, per illam, nempe per innocentiam externam, redigit Dominus in ordinem illa quae per sensualia intrant, absque influxu innocentiae a Domino in prima illa aetate, nusquam aliquod fundamentale existeret, super quo intellectuale seu rationale, quod homini proprium, potuisset strui: a pueritia ad adolescentiam, aperitur communicatio ad interius naturale, per id quod discat decorum, civile et honestum, tam per instructionem a parentibus et magistris, quam per studia: ab adolescentia autem ad juvenilem aetatem, aperitur communicatio inter naturale et rationale, per id quod tunc discat vera et bona vitae civilis et moralis, et imprimis vera et bona vitae spiritualis, per auditionem et lectionem Verbi; sed quantum tunc imbuit bona per vera, hoc est, quantum facit vera quae discit, tantum aperitur rationale, at quantum non imbuit bona per vera, seu quantum non facit vera, tantum non aperitur rationale, at usque manent cognitiones in naturali, nempe in ejus memoria, ita quasi extra domum in limine; quantum autem tunc et in sequente aetate infirmat illa, negat et facit contra illa, hoc est, loco illorum credit falsa et agit mala, tantum occluditur rationale, et quoque interius naturale; at usque tantum communicationis ex Divina Domini Providentia remanet, ut aliquo intellectu capere illa possit, sed usque non sibi appropriare, nisi seriam poenitentiam agat, et diu dein cum falsis et malis luctetur; apud illos autem qui se regenerari patiuntur, contrarium evenit, per gradus seu successive apud illos aperitur rationale, et illi

subordinatur interius naturale, et huic exterius; hoc fit imprimis in aetate juvenili usque ad adultam, et progressive ad ultimam vitae eorum, et postea in coelo in aeternum. Inde sciri potest, quid interius et quid exterius apud hominem.

5127. Secundum morem priorem, quod significet ex lege ordinis, constat ex significatione moris prioris, quod sit lex ordinis; lex ordinis enim est, ut exteriora subjecta sint interioribus, seu quod idem, inferiora superioribus, ac sicut famuli inserviant, sunt enim exteriora seu inferiora nihil nisi quam famulitia, interiora autem seu superiora respective dominia; quod [per] secundum morem priorem illa significentur, inde est, quia pincerna ut servus prius inserviverat Pharaoni ut suo domino, ex lege subordinationis, ita sensuale quod per pincernam repraesentatur interiori naturali quod per Pharaonem, ex lege ordinis. Quod lex ordinis sit, quod inferiora seu exteriora inservire debeant superioribus seu interioribus, homo sensualis prorsus nescit, qui enim mere sensualis est, non scit quid interius, ita nec quid respective exterius; novit quod cogitet et loquatur, et quod velit et faciat, inde autumat quod cogitare et velle sit interius, et quod loqui et facere sit exterius, sed non scit quod cogitare solum ex sensualibus, et facere ex appetitu, sit externi hominis, et sic quod cogitare et velle ejus sit solum exterioris naturalis, et magis adhuc cum cogitat falsa et vult mala; et quia apud illos communicatio clausa est cum interioribus, inde non scit quid interior cogitatio et interior voluntas; si ei dicitur, quod interior cogitatio sit cogitare ex vero, et interior voluntas sit facere ex bono, hoc prorsus non capit, minus quod interior homo distinctus sit ab exteriore, ac ita distinctus, ut interior homo quasi e loco superiori videre possit quid peragitur in exteriori homine, utque interior homo in facultate et potentia sit castigandi exteriorem, et non volendi et cogitandi quod exterior homo ex phantasia videt et ex cupiditate appetit; haec, quamdiu externus ejus homo in dominio est et regnat, non videt, ast extra illum statum, sicut dum in aliquo dolore est ex infortuniis aut morbis, videre potest et capere, nam tunc dominium externi hominis cessat; facultas enim seu potentia intelligendi homini semper conservatur a Domino, sed obscurissima est illis qui in falsis et malis sunt, et semper clarior prout falsa et mala sopiun-

tur; influit DivinumDomini continue apud hominem, et illustrat, sed ubi falsa et mala sunt, hoc est, ubi contraria veris et bonis, ibi Divina lux vel reflectitur vel suffocatur vel pervertitur, et solum tantum ejus quasi per rimas recipitur, quo sit in facultate cogitandi et loquendi ex sensualibus, etiam de spiritualibus ex formulis impressis memoriae naturali seu corporeae.

5128. Quo fuisti pincerna illius, quod significet sicut sensualia illius generis solent, constat ex significatione pincernae, quod sint sensualia, seu illa sensualium quae subjecta sunt parti intellectuali, de qua n: 5077. 5082; quod sint sicut solent, significatur per quo fuisti. Quod sensualia subjecta erunt et subordinata rationalibus, in praecedentibus nunc actum est; et quia de subjectione et subordinatione illa in sensu interno hic agitur, adhuc dicendum quomodo cum illa re se habet: Homo, apud quem subjecta sunt sensualia, vocatur rationalis, at apud quem non subjecta sunt, vocatur sensualis; sed num homo rationalis sit, vel num sensualis, aegre discerni potest ab aliis, sed ab ipso si explorat sua interiora, hoc est, suum velle et suum cogitare: num homo sensualis sit vel rationalis ab aliis non sciri potest ex loquela, nec ab actione, nam vita cogitationis quae est in loquela et vita voluntatis quae est in actione, non apparent ad aliquem sensum corporis, auditur modo sonus et videtur gestus cum affectione, quae num sit simulata vel num vera, non dignoscitur; sed in altera vita ab illis, qui in bono sunt, distincte percipitur tam quid in loquela quam quid in actione, ita qualis vita, et quoque unde vita in illis: at in mundo usque aliquot indicia dantur, ex quibus aliquatenus concludi potest, num sensualia subjecta sint rationali vel num rationale sensualibus, seu quod idem, num homo rationalis sit, vel num solum sensualis; indicia haec sunt; si animadvertitur quod homo in principiis falsi sit, et non patitur se illustrari, sed prorsus rejicit vera, et absque ratione contumaciter falsa defendit, indicium est quod sensualis homo sit et non rationalis, occlusum est illi rationale, ut non admittat lucem coeli. Adhuc magis sensuales sunt, qui in persuasione falsi sunt, persuasio enim falsi prorsus occludit rationale; aliud est in principiis falsi esse, et aliud in persuasione falsi; qui in persuasione falsi sunt, habent in naturali suo aliquam lucem, sed talem qualis est lux hyemalis; haec lux apparet in altera

vita apud illos nivea, sed ut primum lux coelestis in illam incidit, obscuratur, et secundum persuasionis gradum et quale fit opaca instar noctis; hoc quoque patet ab illis cum vivunt in mundo, tunc enim prorsus nihil veri possunt videre, imo ex obscuro seu nocturno falsi eorum, vera illis sicut nihili sunt, et quoque ea irrident; tales coram simplicibus apparent quandoque sicut rationales, nam media luce illa nivea hyemali per ratiocinia dextre confirmare possunt falsa, usque ut appareant sicut vera; in persuasione tali plus quam reliqui sunt plures ex eruditis, confirmarunt enim apud se falsa per syllogistica, et philosophica, et demum per plura scientifica; tales apud Antiquos dicti sunt serpentes arboris scientiae, n: 195. 196. 197; sed hodie dici queunt interiores sensuales absque rationali. Indicium num homo solum sensualis sit, vel num rationalis, est imprimis ex vita ejus; per vitam non intelligitur qualis illa apparet in sermone et in operibus, sed qualis illa est in sermone et in operibus; vita enim sermonis est a cogitatione, et vita operum est a voluntate, utraque ab intentione seu fine, qualis itaque intentio seu finis est in sermone et in operibus, talis est vita, nam sermo absque interiore vita est modo sonus, et opera absque interiore vita est solum motus, illa vita est quae intelligitur cum dicitur quod vita maneat post mortem; si homo rationalis est, ex bene cogitare loquitur, et ex bene velle agit, hoc est, ex fide loquitur, et ex charitate agit; at si homo non rationalis est, tunc quidem potest simulate agere sicut rationalis, et similiter loqui, sed usque nihil vitae ex rationali inest; vita mali enim occludit omnem vitam seu communicationem cum rationali, et facit ut mere naturalis et sensualis sit. Sunt duo, quae non solum occludunt communicationis viam, sed etiam deprivant hominem facultate, ut usquam rationalis fieri possit, est dolus et est prophanatio; dolus est instar subtilis veneni quod infectat interiora; et prophanatio est quae commiscet falsa veris et mala bonis; ex illis binis prorsus perit rationale; sunt apud unumquemvis hominem bona et vera a Domino recondita ab infantia, quae bona et vera in Verbo reliquiae vocantur, de quibus videatur n: 468. 530. 560. 561. 661. 1050. 1738. [20] 1906. 2284, has infectat dolus, et commiscet prophanatio, quid prophanatio, videatur n: 593. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426. 3398.

3402. 3489. 3898. 4289. 4601. Ex his indiciis aliquatenus potest sciri, quis rationalis homo est, et quis sensualis. Cum sensualia subjecta sunt rationali, tunc sensualia, ex quibus imaginatio prima hominis, illustrantur a luce quae per coelum a Domino venit, et quoque tunc sensualia disponuntur in ordinem, ut recipiant lucem, utque correspondeant; sensualia, cum in illo statu sunt, non obstant amplius, quin vera et agnoscantur et videantur, removentur illico quae dissentiunt, et acceptantur quae consentiunt; quae consentiunt tunc quasi in centris sunt, et quae dissentiunt in peripheriis; quae in centris, quasi attolluntur versus coelum, et quae in peripheriis quasi dependent deorsum; quae in centris sunt, recipiunt lucem per rationale, et apparent cum sistuntur ita visibiles in altera vita, sicut stellulae quae coruscant, et lucem circumquaque spargunt usque ad peripherias, cum diminutione lucis secundum gradus; in talem formam disponuntur naturalia et sensualia, cum rationale dominium habet, et sensualia subjecta sunt; hoc fit cum homo regeneratur; inde ei status videndi et agnoscendi vera in amplitudine: at cum rationale subjectum est sensualibus, tunc contrarium evenit, in medio enim tunc seu in centro sunt falsa, et in peripheriis sunt vera; quae in centro, in quodam lumine ibi sunt, sed in lumine fatuo, seu tali quod a carbonario igne exsurgit; in illud influit lumen undequaque ab inferno; hoc lumen est, quod vocatur tenebrae, nam utprimum aliquod lucis e coelo in illud influit, vertitur in tenebras.

5129. Vers: 14. 15. *Verum memento mei tecum, quando bene est tibi, et facias quaeso mecum misericordiam, et meminisse facias mei ad Pharaonem, et educas me e domo hac. Quia furto auferendo ablatus sum e terra Hebraeorum, et etiam hic non feci quicquam, quod posuerint me in fovea.* Verum memento mei tecum, significat fidei receptionem: quando bene est tibi, significat cum correspondentia: et facias quaeso mecum misericordiam, significat charitatis receptionem: et meminisse facias mei ad Pharaonem, significat communicationem cum interiori naturali: et educas me e domo hac, significat liberationem a malis: quia furto auferendo ablatus sum, significat quod coelestia abalienata sint per malum: e terra Hebraeorum, significat ab Ecclesia: et etiam hic non feci quicquam, signifi-

cat innocentiam: quod posuerint me in fovea, significat rejectionem inter falsa.

5130. Verum memento mei tecum, quod significet fidei receptionem, constat ex repraesentatione Josephi, qui haec de se dicit, quod sit Dominus quoad coeleste in naturali, de qua n: 5086. 5087. 5106; et ex significatione meminisse mei tecum, quod sit fidei receptio, meminisse enim et recordari Domini, non aliunde est, quam ex fide, inde memento mei tecum, est ut recipiat fidem. Cum fide ita se habet; qui illam recipit et qui illam habet, continue est in recordatione Domini, et hoc quoque cum de alia re cogitat aut loquitur, et quoque cum officiis suis publicis aut privatis aut domesticis fungitur, et tametsi nescit quod tunc recordetur Domini; nam recordatio Domini ab illis qui in fide sunt, est universaliter regnans, et quod universaliter regnat, hoc non appercipitur, nisi dum cogitatio illuc determinatur: hoc illustrari potest a pluribus apud hominem; qui in amore aliquo est, quicunque sit, is continue cogitat de iis quae amoris illius sunt, et hoc tametsi in aliis rebus cogitatione, loquela aut actione est; hoc patet manifeste in altera vita ex sphaeris spiritualibus quae circum unumquemque sunt, ex solum sphaeris cognoscuntur ibi omnes, in qua fide sunt, et in quo amore, et hoc tametsi prorsus aliud cogitant et loquuntur, n: 1048. 1053. 1316. 1504 ad 1520. 2489. 4464; id enim quod universaliter regnat apud aliquem, hoc producit illam sphaeram, et manifestat ejus vitam coram aliis; inde constare potest, quid intelligitur per id, quod continue cogitandum sit de Domino, de salute, deque vita post mortem; omnes qui in fide sunt ex charitate, hoc faciunt; inde est, quod illi non male cogitent de proximo, et quod illis justitia et aequitas in singulis cogitationis, loquelae et actionis; quod enim universaliter regnat, hoc influit in singula, et ducit illa et regit illa; Dominus enim tenet mentem ejus in talibus quae charitatis et inde fidei sunt, et disponit sic singula convenienter; sphaera fidei ex charitate, est sphaera quae regnat in coelo, Dominus enim influit cum amore, et per amorem cum charitate, consequenter cum veris quae sunt fidei; inde est, quod illi, qui in coelo sunt, dicantur in Domino esse. Agitur in his quae nunc sequuntur de renascentia sensualis parti intellectuali subjecti, quod per pin-

cernam repraesentatur; et quia de renascentia ejus, de fidei receptione, agitur, nam sensuale, sicut rationale, per fidem renascitur, sed per fidem in quam influit charitas, nisi charitas influat in fidem, et det ei vitam, nusquam fides universaliter regnare potest, nam quod homo amat, hoc regnat, non autem quod solum scit et memoria tenet.

5131. Quando bene est tibi, quod significet cum correspondentia, constat ex significatione bene esse tibi, cum *agitur* de renascentia seu regeneratione exterioris naturalis seu sensualis, quod sit correspondentia, prius enim non ei bene est quam cum correspondet: quid correspondentia, ad finem Capitum videatur; est correspondentia sensualium cum naturalibus, et est correspondentia naturalium cum spiritualibus, et est correspondentia spiritualium cum coelestibus, et denique est correspondentia coelestium cum Divino Domini, ita est *successivum* correspondentiarum a Divino usque ad ultimum naturale. Quia aegre potest formari idea de correspondentiis, quales sunt, ab illis qui prius de correspondentiis nihil cogitaverunt, ideo paucis dicendum; notum est ex Philosophia, quod finis sit primum causae, et quod causa sit primum effectus; ut finis, causa, et effectus consequantur, et unum agant, oportet ut effectus correspondeat causae, et causa correspondeat fini; sed usque finis non apparet sicut causa, nec causa sicut effectus; ut enim finis producat causam, adsciscet ex regione ubi causa, media administra, per quae finis faciet causam, et ut causa producat effectum, adsciscet quoque ex regione ubi effectus, media administra, per quae causa faciat effectum; haec media administra sunt, quae correspondent; et quia correspondent, potest finis esse in causa, et agere causam, et causa esse in effectu et agere effectum, consequenter finis per causam agere effectum: aliter vero cum non correspondentia est, tunc finis non habet causam in qua sit, minus effectum in quo sit, sed mutatur et variatur finis in causa, et denique in effectu, secundum formam quam faciunt media administra: omnia et singula in homine, imo omnia et singula in natura, succedunt sibi sicut finis, causa, et effectus, et cum sibi ita correspondent, tunc unum agunt, nam finis tunc est omne in omnibus causae, et per causam omne in omnibus effectus: sicut pro exemplo, cum amor coelestis est

finis, voluntas causa, et actio effectus, si correspondentia sit, tunc amor ille influit in voluntatem, et voluntas in actionem, et ita unum agunt, ut actio per correspondentiam sit quasi amor; vel sicut cum fides charitatis est finis, cogitatio causa, et sermo effectus, si correspondentia sit, tunc fides ex charitate influit in cogitationem, et haec in sermonem, ac ita unum agunt, ut sermo per correspondentiam sit quasi finis; ut autem finis, qui est amor aut fides, producat causam, quae est voluntas et cogitatio, adsciscet media administra in mente rationali, quae correspondebunt, nam absque mediis administris quae correspondeant, non potest finis, qui est amor aut fides, utcunque a Domino per coelum influit, recipi. Inde patet, quod interiora et exteriora hominis, hoc est, rationalia, naturalia, et sensualia ejus, in correspondentiam redigenda sint, ut recipere possit influxum Divinum, consequenter ut homo possit renasci, et quod prius ei non bene sit. Inde nunc est, quod hic per quando bene est tibi, significetur correspondentia.

5132. Et facias quaeso mecum misericordiam, quod significet charitatis receptionem, constat ex significatione misericordiae, quod sit amor, de qua n: 3063. 3073. 3120. 5042, hic amor erga proximum seu charitas, quia supra n: 5130 de fidei receptione dictum, fides enim et charitas unum facient in sensuali, cum hoc renascitur. Quod misericordia charitatem significet, est quia omnes qui in charitate, in misericordia sunt, seu qui amant proximum miserentur ejus, quapropter exercitia charitatis per misericordiae opera in Verbo describuntur, ut apud Matthaeum „Esurivi et dedistis Mihi edere, sitivi et potastis me, peregrinus fui et collegistis me, nudus et amicivistis me, aegrotus fui et visitastis me, in carcere fui et venistis ad me," XXV: 35. 36; et alibi per quod pauperibus, afflictis, viduis, pupillis, benefaciendum. Charitas in sua essentia est velle proximo bene, et affici bono, et pro proximo agnoscere bonum, consequenter illos qui in bono sunt, cum differentia quantum in bono; inde charitas, quia afficitur bono, afficitur misericordia erga illos qui in miseriis sunt; bonum charitatis hoc in se habet, quia descendit ex amore Domini erga universum genus humanum, qui amor est Misericordia quia omne genus humanum in miseriis constitutum est: apparet Misericordia quandoque apud

malos, qui in nulla charitate sunt, sed est dolor propter quod ipse patitur, est enim erga amicos qui unum secum faciunt, qui cum patiuntur ipse patitur; haec misericordia non est misericordia charitatis, sed est misericordia amicitiae propter se, quae in se spectata est immisericordia, nam contemnit vel odit omnes alios praeter semet, ita praeter amicos qui unum faciunt secum.

5133. Et meminisse facias mei ad Pharaonem, quod significet communicationem cum interiori naturali, constat ex significatione meminisse facere ad aliquem, quod sit communicare; et a repraesentatione Pharaonis, quod sit interius naturale, de qua n: 5080. 5095: per communicationem cum interiori naturali intelligitur conjunctio per correspondentiam: interius naturale est illud quod recipit ideas veri et boni e rationali, et recondit ad usum, consequenter quod immediate cum rationali communicat; exterius autem naturale est illud quod recipit imagines et inde ideas rerum per sensualia e mundo; hae ideae nisi illustrentur ab illis quae in interiori naturali sunt, sistunt fallacias, quae fallaciae sensuum vocantur; in quibus cum homo est, nihil credit nisi quod cum illis concordat, et nisi quod illae confirmant, quod fit si non correspondentia fit; et hoc nec fit, nisi imbuatur homo charitate, charitas enim est medium uniens, quia in bono ejus est vita a Domino, quae vita disponit in ordinem vera, ut forma charitatis seu charitas in imagine existat; haec forma apparet visibilis in altera vita, et est ipsa angelica; omnes angeli inde sunt formae charitatis, pulchritudo ejus est ex veris quae fidei, et vita pulchritudinis est ex bono quod charitatis.

5134. Et educas me e domo hac, quod significet liberationem a malis, constat ex significatione educere, quod sit liberatio; et a significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 710. 1708. 2048. 2233. 3128. 3652. 3720. 4982, quare in opposito sensu est malum; inde patet, quod per educas me e domo hac, significetur liberatio a malis; sequitur etiam hoc in suo ordine ab illis quae praecedunt; quando in naturali exteriori, de quo hic agitur, recipitur fides, n: 5130, fit correspondentia, n: 5131, et recipitur charitas, n: 5132, et sic communicatio fit cum interiori naturali, n: 5133, tunc liberatur illud a malis, per quae coeleste, quod per Josephum repraesentatur, n: 5086.

5087. 5106, abalienatum est, quae abalienatio significatur per quod furto auferendo ablatus sit, ut mox sequitur: et quoque cum regeneratur naturale per charitatem et fidem, tunc liberatur id a malis, mala enim tunc separantur, et conjiciuntur e centro, ubi prius fuerunt, ad peripherias, quo lux veri a bono non pertingit; apud hominem separantur ita mala, sed usque retinentur, nam prorsus deleri nequeunt: at apud Dominum, Qui naturale in Se Divinum fecit, mala et falsa prorsus ejecta et deleta sunt, Divinum enim nihil commune potest habere cum malis et falsis, nec terminari in illis, sicut fit apud hominem, nam Divinum est ipsum Esse boni et veri, quod infinite distat abalienatum a malo et falso.

5135. Quia furto auferendo ablatus sum, quod significet quod coelestia abalienata sint per malum, constat a repraesentatione Josephi, qui de se illa dicit, quod sit coeleste in naturali, de qua n: 5086. 5087. 5106, consequenter coelestia ibi; et ex significatione furto auferri, quod sit abalienari per malum, furari enim est abalienare, et furtum est malum quod abalienat, et quoque furtum est malum quod vindicat sibi illa quae ibi; furtum significat abalienationem respective ad sedem quam occupat e qua ejicit bona et vera, et implet malis et falsis, et furtum significat vindicationem aliorum, cum bona et vera, quae in sede illa, sibi attribuit et sua facit, et quoque quando applicat illa malis et falsis: ut sciatur, quid furtum in sensu spirituali, dicendum quomodo se habet cum malis et falsis cum intrant et occupant sedem, et quoque cum vindicant sibi bona et vera quae ibi: homo ab infantia usque ad pueritiam, et quandoque ad primam adolescentiam imbuit bona et vera per instructionem a parentibus et magistris, arripit enim tunc illa et simpliciter credit; status innocentiae promovet, et inaptat illa memoriae, sed locat in primo limine, nam innocentia infantilis et puerilis non est innocentia interna quae afficit rationale, sed est innocentia externa quae solum afficit naturale exterius, n: 2306. 3183. 3494. [21] 4563. 4797; cum autem homo provehitur aetate, et incipit cogitare non sicut prius a parentibus et magistris, sed a semet, tunc resumit et quasi ruminat illa quae prius didicerat et crediderat, et illa vel confirmat, vel de illis dubitat, vel illa negat; si illa confirmat, indicium est quod in bono sit; si au-

tem negat, indicium est quod in malo sit; si autem de illis dubitat, indicium est, quod succedente aetate vel ad affirmativum vel ad negativum accedat: quae homo ut infans prima aetate arripit vel credit, et quae dein vel confirmat, vel de quibus dubitat, vel quae negat, sunt imprimis, quod Deus sit, et is unus, quod Ille creaverat omnia, quod Ille remuneret illos qui bene agunt, et puniat illos qui mala faciunt, quod vita sit post mortem, et quod mali veniant in infernum, et boni in coelum, ita quod infernum et coelum sint, quod vita post mortem sit aeterna, tum quod quotidie orandum, et hoc humiliter, quod dies sabbathi sancte habendi, parentes honorandi, non adulterandum, non occidendum, non furandum, et plura similia; haec haurit et imbuit homo ab infantia, at cum incipit ex se cogitare, et semet ducere, si talia apud se confirmat, et superaddit plura quae adhuc interiora sunt, et vivit secundum illa, tunc bene cum illo est; ast si incipit infringere illa, et tandem negare, utcunque secundum illa propter leges civiles et propter societates in externis vivit, tunc in malo est; hoc malum est quod significatur per furtum, quatenus id sicut fur occupat sedem ubi prius fuit bonum, et apud plures quatenus id bona et vera, quae prius ibi fuerant, aufert, et applicat ad confirmanda mala et falsa: Dominus, quantum possibile est, bona et vera infantiae tunc removet a sede illa, et versus interiora retrahit, ac illa in interiori naturali reponit in usum; haec bona et vera in interiori naturali reposita in Verbo significantur per reliquias, de quibus n: 468. 530. 560. 561. 660. 661. 1050. 1738. 1906. 2284; at si malum furatur ibi bona et vera, et applicat illa ad confirmanda mala et falsa, imprimis si ex dolo, tunc reliquias illas consumit, nam tunc commiscet mala bonis et falsa veris, usque adeo ut separari nequeant, et tunc actum est cum homine. Quod per furtum talia significentur, constare potest ex sola applicatione furti ad illa quae vitae spiritualis sunt, in vita spirituali non aliae opes sunt quam cognitiones boni et veri, nec aliae possessiones et haereditates quam felicitates vitae quae ex bonis et inde veris, illa furari, sicut supra dictum, est furtum in sensu spirituali; quapropter per furta in Verbo non aliud in sensu interno significatur, ut apud Sachariam „Sustuli oculos meos et vidi, cum ecce volumen volans, tum dixit ad me, haec ma-

ledictio, exiens super facies totius terrae, nam *omnis furans* hinc, sicut illa innocens, et omnis pejerans sicut illa innocens: ejeci illam, ut *ingrediatur in domum furis*, et in domum pejerantis per Nomen meum pro mendacio; et pernoctet in domo ejus, et consumat eam, et ligna ejus et lapides ejus" V: 1. 2. 3. 4; malum quod aufert reliquias boni significatur per furantem et per domum furis, et falsum quod aufert reliquias veri significatur per pejerantem et domum pejerantis; facies totius terrae pro universa Ecclesia; ideo dicit, quod maledictio illa consumet domum, et ligna ejus et lapides ejus, domus est mens naturalis seu homo quoad illam, n: 3128. 3538. 4973. 5023; ligna sunt bona, ibi, n: 2784. 2812. [22] 3720. 4943; et lapides sunt vera, n: 643. 1298. 3720. Prophanatio, et inde ablatio boni et veri in spirituali sensu significatur per factum Achanis, quod sumserit de devotis togam Schinearis, 200 siclos argenti, et linguam auri, et abscondiderit illa sub terra in medio tentorii sui; quapropter ille lapidatus, et omnia combusta, de quibus ita apud Joschuam „Jehovah ad Joschuam, peccavit Israël, transgressi sunt foedus meum quod praecepi illis, et sumserunt de devotione, *furati sunt*, mentiti, et posuerunt inter vasa sua" VII: 11. 21. 25; per devota significabantur falsa et mala, quae nequaquam commiscenda essent sanctis, toga Schinearis, sicli argenti et lingua auri, in sensu spirituali sunt species falsi; recondere illa sub terra in medio tentorii significabat commixtionem cum sanctis, quod tentorium sit sanctum videatur n: 414. 1102. 1566. 2145. 2152. 3312. 4128. [23] 4391. 4599; haec significata sunt per quod furati sint, mentiti, et posuerint inter vasa sua, vasa enim sunt sancta vera, n: 3068. 3079. 3316. 3318. Apud Jeremiam „Exitum Esavi adducam super eum, tempus visitabo eum; si vindemiatores venerint tibi, nonne relinquent racemationes, *si fures in nocte*, corrumpentne sufficientiam. Ego denudabo Esavum, revelabo occulta ejus, et abscondi non poterit; devastatum est semen ejus, et fratres ejus, et vicini ejus, et non ille" XLIX: 8. 9. 10, Esau pro malo amoris sui cui falsa adjuncta, n: 3322; quod id malum consumat reliquias boni et veri, significatur per quod fures in nocte corrumpant sufficientiam, et quod devastatum sit semen ejus, fratres ejus, et vicini ejus, et non ille, semen pro veris quae

sunt fidei ex charitate, n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3310. 3373, fratres pro bonis quae charitatis, n: 367. 2508. 2524. 2360. 3160. 3303. 3459. 3815. 4121. 4191; vicini pro adjunctis et affinibus veris et bonis quae ejus: similiter de Esavo apud Obadiam „Si *fures venerint tibi*, si *eversores noctu*, quomodo excisus eris, *nonne furabuntur quod illis satis*, si vindemiatores venerint tibi, nonne relinquent racemos" Vers: 5; vindemiatores pro falsis quae non ex malo, per illa falsa non consumuntur bona et vera [in] interiori naturali apud hominem a Domino reposita, hoc est, reliquiae, sed per falsa ex malis, quae furantur vera et bona, et quoque ad confirmanda mala et falsa per applicationes sinistras adhibentur. Apud Joëlem „Populus magnus validus, sicut heroës current, sicut viri belli, conscendent murum, ac quilibet in viis suis pergent; in urbe discurrent, in muro current, in domos ascendent, *per fenestras ingredientur sicut fur*" II: 7. 9; populus magnus et validus pro falsis pugnantibus contra vera, n: 1259. 1260, [24] et quia pugnant valide destruendo vera, dicuntur heroës et sicut viri belli; urbs per quam dicuntur discurrere pro doctrinalibus veri, n: 402. 2268. 2449. [25] 2712. 2943. 3216; domus in quas ascendent pro bonis quae destruunt, n: 710. 1708. 2048. 2233. 3128. 3652. 3720. 4982; fenestrae per quas ingredientur pro intellectualibus et inde ratiociniis, n: 655. 658. 3391, inde comparantur furi, quia occupant sedem ubi prius vera et bona. Apud Davidem „Cum tu oderis disciplinam, et rejicis verba mea post te, *si videris furem curris cum eo*, et cum adulteris pars tua; os tuum aperis [26] ad malum, et lingua tua nectis dolum" Psalm: L: 17. 18. 19; ibi de impio, currere cum fure pro abalienare a se verum per falsum. In Apocalypsi „Non egerunt poenitentiam ex homicidiis suis, neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis, *neque ex furtis suis*" IX: 21; homicidia pro malis quae destruunt bona, incantationes pro falsis inde quae destruunt vera, scortationes pro falsificatis veris, furta pro abalienatis inde bonis. Apud Johannem „Amen, amen, dico vobis, qui non est ingrediens per januam in caulam ovium, sed ascendit aliunde, is est *fur* et *latro;* qui vero ingreditur per januam, pastor est ovium. Ego sum ostium, per Me si quis introiverit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascuum

inveniet; *fur non venit nisi ut furetur,* et mactet et perdat * X: 1. 2. 8. 9. 10, fur hic etiam pro malo meriti, nam qui aufert Domino quae Ipsius sunt, [27] et sibi vindicat, fur dicitur; hoc malum quia claudit viam, ne bonum et verum a Domino influat; dicitur mactare et perdere: simile per *non furaberis* in decalogo, Deut: V: 17, significatur n: 4174. Ex his constare potest, quod per Leges de Furtis in Ecclesia Judaica latis, in sensu spirituali significatur, ut Exod: XXI: 16. Cap: XXI: 37. Cap: XXII: 1. 2. 3. Deut: XXIV: 7; omnes enim Leges ibi e mundo spirituali quia traxerunt originem, correspondent legibus ordinis quae in coelo.

5136. E terra Hebraeorum, quod significet ab Ecclesia; quod nempe coelestia abalienata sint per malum, constat a significatione terrae Hebraeorum, quod sit Ecclesia, terra Hebraeorum hic est terra Canaan, nam inde Josephus ablatus est. Quod per terram Canaanem in Verbo significetur Ecclesia, est quia ibi ab antiquissimo tempore fuerat Ecclesia, primum Ecclesia Antiquissima quae fuit ante diluvium, dein Ecclesia Antiqua quae fuit post diluvium, postea Ecclesia Antiqua Altera quae Ecclesia Hebraea vocata est, et tandem Ecclesia Judaica; utque Ecclesia Judaica ibi institueretur, mandatum est Abramo ut illuc ex Syria se conferret, et ibi promissum quod posteritati ejus daretur illa terra in haereditatem; inde est quod per Terram in Verbo significetur Ecclesia, et per universam terram, ut passim legitur, universa Ecclesia, et quoque per novum coelum et novam terram Ecclesia nova interna et externa: causa quod ibi Ecclesia continuata ab antiquissimo tempore fuerit, erat, quia homo Antiquissimae Ecclesiae, qui coelestis, talis erat, ut in omnibus et singulis quae in mundo et super terra, viderit repraesentativum Regni Domini, objecta mundi et telluris erant ei media cogitandi de coelestibus, inde omnia repraesentativa et significativa, quae postea in Ecclesia Antiqua nota fuerunt, ortum duxerunt, collecta enim fuerunt ab illis qui intelliguntur per Chanoch, et conservata in usum posteritatum, n: 519. 521. 2896., inde factum, quod singula loca, et quoque singuli montes et fluvii in terra Canaane, ubi habitabant Antiquissimi, repraesentativi facti sint, et quoque omnia Regna circumcirca; et quia Verbum non potuit aliter conscribi, quam

[per] repraesentativa et significativa, etiam locorum, ideo propter illum finem Ecclesia successive conservata est in terra Canaane; at post adventum Domini aliunde translata est, quia tunc repraesentativa abolita sunt: ex his patet, quod per terram Canaanem, quae hic vocatur terra Hebraeorum, significetur Ecclesia. Sed videantur quae de his prius allata sunt, nempe quod Ecclesia Antiquissima, quae fuit ante diluvium, in terra Canaane fuerit, n: 567. 3686. 4447. 4454. Quod pars Antiquae Ecclesiae quae post diluvium ibi fuerit, n: 3686. 4447; quod etiam altera antiqua Ecclesia, quae dicta Hebraea, n: 4516. 4517. Quod Abram ideo illuc ire jussus sit, et data posteris ejus, n: 3686. 4447. Quod ex eo terra Canaan repraesentaverit Regnum Domini, n: 1607. 3038. 3481. 3705. 4240. 4447. Et quod inde sit, quod per Terram in Verbo significetur Ecclesia, n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355. 4447. 4535.

5137. Et etiam hic non feci quicquam, quod significet innocentiam, constare potest absque explicatione, nam non facere aliquid mali, est innocentiae.

5138. Quod posuerint me in fovea, quod significet rejectionem inter falsa, constat ex significatione foveae, quod sit falsum, de qua n: 4728. 4744. 5038: supra de malo actum, quod nempe coelestia abalienata sint per malum, n: 5134. 5135, hic agitur de falso, ubi enim in Verbo dicitur de uno, etiam dicitur de altero, nempe ubi de malo etiam de falso, quia ubi de bono ibi de vero, ex causa ut conjugium sit in singulis Verbi, conjugium enim coeleste est boni et veri, at conjugium infernale est mali et falsi; ubi enim malum est ibi est falsum, se adjungit falsum malo sicut uxor marito; et ubi bonum est ibi est verum, quia se conjungit verum bono sicut uxor marito; inde ex vita sciri potest qualis est fides, nam bonum est vitae et verum est fidei, et vicissim malum et falsum: quod conjugium sit in singulis Verbi, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 4138 f.

5139. Vers: 16. 17. 18. 19. *Et vidit princeps pistorum, quod bonum interpretatus, et dixit ad Josephum, etiam ego in somnio meo, et ecce tria canistra perforata super capite meo. Et in canistro supremo ab omni cibo Pharaonis, opere pisto-*

ris, et avis edens ea e canistro desuper capite meo. Et respondit Joseph, et dixit, haec interpretatio ejus, tria canistra tres dies illa. In adhuc tribus diebus, extollet Pharao caput tuum e super te, et suspendet temet super ligno, et edet avis carnem tuam e super te. Et vidit princeps pistorum, significat apperceptionem sensualis parti voluntariae subjecti: quod bonum interpretatus, significat quid contingeret: et dixit ad Josephum, significat perceptionem coelestis in naturali: etiam ego in somnio meo, significat praedictionem: et ecce tria canistra, significat voluntariorum successiva: perforata super capite meo, significat absque terminatione alicubi in medio: et in canistro supremo, significat voluntarii intimum: ab omni cibo Pharaonis, significat plenum bono coelesti pro nutriendo naturali: opere pistoris, significat secundum omnem usum sensualis: et avis edens ea e canistro desuper capite meo, significat falsum ex malo quod consumeret illud: et respondit Joseph, et dixit, significat revelationem a perceptione a coelesti in naturali: haec interpretatio ejus, significat quid in se haberet: tria canistra, significat voluntariorum successiva: tres dies illa, significat usque ad ultimum: in adhuc tribus diebus, significat quod in ultimo: extollet Pharao caput tuum e super te, significat conclusum ex praeviso: et suspendet te super ligno, significat rejectionem et damnationem: et edet avis carnem tuam e super te, significat quod falsum mali consumet illa quae sunt istorum sensualium.

5140. Et vidit princeps pistorum, quod significet apperceptionem sensualis parti voluntariae subjecti, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 2807. 3764. 4723; et a significatione principis pistorum, quod sit in genere sensuale parti voluntariae subjectum, ita sensualia illa, de qua n: 5078. 5082.

5141. Quod bonum interpretatus, quod significet quid contingeret, constat ex significatione interpretari, quod sit quid in se haberet, seu quid inesset, de qua supra n: 5093. 5105. 5107. 5121, ita quoque quid contingeret: quod bene contingeret, est apperceptio ex sensuali, quae apperceptio est respective obscura: datur actualiter apperceptio ex sensuali seu exteriori naturali, et apperceptio ex interiori naturali, et apperceptio ex rationali; cum enim homo in interiori cogitatione ex af-

fectione est, et abducit mentem a sensualibus et a corpore, tunc est in apperceptione rationali, quiescunt enim tunc quae infra sunt, seu quae externi hominis, et homo tunc paene in suo spiritu est; cum autem homo in exteriore cogitatione est, ex causis quae in mundo existunt, tunc apperceptio ejus est ex naturali interiori, rationale quidem influit, sed non cum aliqua affectionis vita; at cum homo in voluptatibus est, inque jucundis amoris mundi, et quoque amoris sui, tunc apperceptio ex *sensuali* est, vita ejus tunc in externis seu in corpore est, et non admittit plus ab interioribus, quam quantum moderetur eruptiones in inhonesta et indecora: sed quo exterior est apperceptio, eo obscurior est, nam exteriora sunt communia respective, innumerabilia enim interiora apparent ut unum in exteriori.

5142. Et dixit ad Josephum, quod significet perceptionem coelestis in naturali, constat a significatione *dicere* in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius prius; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste in naturali, de qua n: 5086. 5087. 5106.

5143. Etiam ego in somnio meo, quod significet praedictionem, constat ex significatione somnii, quod sit praedictio de eventu, de qua n: 5092. 5104. 5112.

5144. Et ecce tria canistra, quod significet voluntariorum successiva, constat ex significatione trium, quod sint completum et continuum usque ad finem, de qua n: 2788. 4495. 5114. 5122, ita successivum; et ex significatione canistrorum, quod sint voluntaria; quod canistra sint voluntaria, est quia sunt vasa continentia ciborum, et quia cibi significant bona coelestia et spiritualia, et haec sunt voluntatis; omne enim bonum pertinet ad voluntatem, et omne verum ad intellectum, ut primum aliquid ex voluntate procedit, percipitur ut bonum: in praecedentibus actum est de sensuali parti intellectuali subjecto, quod repraesentatum est per pincernam, hic nunc agitur de sensuali parti voluntariae subjecto, quod repraesentatur per pistorem, videatur n: 5077. 5078. 5082; intellectualium successivum seu continuum repraesentatum est per vitem, ejus tres propagines, flores, botros, uvas, et tandem verum quod intellectualis per scyphum, n: 5120; Voluntariorum autem successivum repraesentatur per tria canistra super capite, in quorum supremo ab

omni cibo Pharaonis, opere pistoris: per voluntariorum successivum intelligitur successivum ab intimis apud hominem usque ad extimum ejus, in quo est sensuale; sunt enim gradus quasi scalae ab intimis ad extima, n: 5114, in intimum influit bonum a Domino, et hoc per rationale in naturale interius, et inde in naturale exterius seu sensuale, distincte, quasi per gradus scalae, et in quovis gradu qualificatur secundum receptionem; sed quomodo ulterius cum hoc influxu et ejus successivo se habet, in sequentibus dicetur. Canistra seu corbes significant voluntaria, quatenus ibi sunt bona, etiam alibi in Verbo; ut apud Jeremiam „Ostendit mihi Jehovah, cum ecce *duo corbes ficuum*, constituti coram templo Jehovae; *in uno corbe* ficus bonae valde, sicut ficus primitias ferentium; *at in altero corbe* ficus malae valde, quae comedi non poterant prae malitia," XXIV: 1. 2. 3; hic corbis alia voce in lingua originali, significans voluntarium in naturali, ficus quae in uno corbe sunt bona naturalia, quae autem in altero sunt mala naturalia. Apud Mosen „Cum veneris in terram, quam Jehovah Deus tuus daturus tibi, sumes de primitiis omnis fructus terrae, quas adduces de terra tua, et *pones in calatho*, et ibis ad locum quem elegerit Jehovah; tunc accipiet sacerdos *calathum* e manu tua, [28] et statuet illum ante altare Jehovae Dei tui," Deut: XXVI: 1. 2. 3. 4; calathus etiam alia voce, significans voluntarium novum in parte intellectuali; primitiae fructus terrae, sunt bona quae inde. Apud Eundem „Ad sanctificandum Aharonem et filios ejus, acciperet Moses panem azymorum et placentas azymorum mixtas oleo, et lagana azymorum, uncta oleo, similam triticorum faceret ea; et *poneret ea super canistro uno*, et appropinquare faciet [29] ea *in canistro. Comedet* Aharon et filii ejus *carnem arietis* et *panem in canistro* ad ostium tentorii conventus," Exod: XXIX: 2. 3. 32, Canistrum ibi eadem voce qua canistrum in hoc Capite, significans volumtarium, in quo bona quae significantur per panem, placentas, oleum, lagana, similam, tritica; per voluntarium intelligitur continens, nam bona [30] a Domino influunt in formas interiores hominis, sicut in sua vasa, quae formae si dispositae sint ad receptionem, sunt canistra in quibus illa bona. Apud Eundem „Cum inaugurareteur Naziraeus, accipiet *canistrum azymorum* ex similagine, placentas mixtas oleo, ac lagana azy-

morum uncta oleo, cum minchah eorum et libaminibus eorum; arietem etiam faciet sacrificium pacificorum Jehovae, praeter *canistrum azymorum;* et accipiet sacerdos armum coctum de ariete, et placentam unam azymam *e canistro,* et laganum azymi unum, et dabit super manum Naziraei, et agitabit ea agitatione coram Jehovah,* Num: VI: 15. 17. 19; ibi etiam Canistrum pro voluntario ut continente, placentae, lagana, oleum, minchah, armus coctus de ariete, sunt bona coelestia quae repraesentabantur; Naziraeus enim repraesentabat coelestem hominem, n: 3301. Eo tempore similia quae ad cultum, portabantur in canistris seu calathis, sicut etiam haedus caprarum a Gideone, quem eduxit ad angelum sub quercu, Judic: VI: 19, et hoc ex causa, quia canistra et calathi repraesentabant continentia, et quae in illis erant, contenta.

5145. Perforata super capite meo, q*uod significet absq*ue terminatione alicubi in medio, constat ex significatione perforati, quod sit apertum a summo ad imum, ita non clausum, proinde absque terminatione alicubi in medio; et ex significatione Capitis, quod sint interiora imprimis voluntariorum; in Capite enim sunt omnes substantiae et formae in principiis, quapropter illuc tendunt et ibi se sistunt omnes sensationes, et inde descendunt et se derivant omnes actus; quod facultates mentis ibi sint, quae nempe sunt intellectus et voluntatis, patet; quapropter per caput interiora significantur; canistra illa repraesentabant illa quae in capite. Agitur hic nunc de sensualibus parti voluntariae subjectis, et significatur per canistra perforata super *capite,* quod interiora absque terminatione alicubi in medio essent, quapropter etiam sensualia illa rejecta et damnata sunt, ut sequitur; sed dicendum, quid intelligitur per absque terminatione alicubi in medio; interiora apud hominem sunt distincta in gradus, et in quolibet gradu sunt terminata, et per terminationem separata ab inferiori gradu, sic ab intimo ad extimum; primum gradum constituit interius rationale, in eo sunt angeli coelestes, seu in eo est coelum intimum aut tertium; alterum gradum facit rationale exterius, in eo sunt angeli spirituales, seu in eo est coelum medium aut secundum; tertium gradum facit naturale interius, in eo sunt spiritus boni, seu coelum ultimum aut primum; quartum gradum facit naturale exterius seu sensuale, in

eo est homo; hi gradus apud hominem distinctissimi sunt; inde est, quod homo quoad interiora, si in bono vivit, sit coelum in minima forma, seu quod interiora ejus correspondeant tribus coelis; et inde est, quod homo post mortem, si vitam charitatis et amoris vixerit, possit transferri usque in tertium coelum; sed ut talis sit, necessum est ut omnes gradus apud illum bene terminati sint, ac ita per terminationes inter se distincti; et cum terminati sunt seu per terminationes inter se distincti, tunc unusquisque gradus planum est, in quo quiescit, et ubi recipitur bonum quod a Domino influit, absque illis ut planis bonum non recipitur, sed transfluit sicut per cribrum aut sicut per canistrum perforatum, usque ad sensuale, et ibi quia absque aliqua directione in via, vertitur in spurcum, quod apparet illis qui in eo sunt ut bonum, nempe in jucundum amoris sui et mundi, consequenter in jucundum odii, vindictae, crudelitatis, adulterii, avaritiae, aut in merum voluptuosum et luxuriosum; hoc fit si voluntaria apud hominem sunt absque terminatione alicubi in medio, aut si sunt perforata. Num terminationes sint, et inde plana, etiam sciri potest; perceptiones boni et veri, ac conscientiae id indicant; apud illos qui perceptiones boni et veri habent, sicut angeli coelestes, terminationes sunt a primo gradu ad ultimum, absque terminationibus singulorum graduum tales perceptiones dari nequeunt; de perceptionibus illis videatur n: 125. 202. 495. 503. 511. 536. 597. 607. 784. 865. 895. 1121. 1383. 1384. 1387. 1919. 2144. 2145. 2171. 2515. 2831; apud illos qui conscientiam habent, sicut angeli spirituales, etiam terminationes sunt, sed ab altero gradu, seu a tertio ad ultimum, primus gradus illis est clausus; ab altero gradu, aut tertio, dicitur, quia conscientia est duplex, interior et exterior, conscientia interior est boni et veri spiritualis, conscientia exterior est justi et aequi, ipsa conscientia est planum interius, in quo terminatur influxus Divini boni; at qui non conscientiam habent, illi non habent aliquod planum interius quod recipit influxum, bonum apud illos transfluit usque ad exterius naturale seu naturale sensuale, et ibi vertitur, ut dictum, in spurca jucunda; apparet his quandoque dolor sicut conscientiae, sed non est conscientia, est dolor ex privatione jucundi sui, sicut honoris, lucri, famae, vitae, voluptatum, amicitiae talium,

et hoc est inde, quia terminationes sunt in talibus jucundis; ex his constare potest, quid in sensu spirituali significatur per canistra perforata. In altera vita imprimis dignoscitur, num apud hominem voluntaria terminata fuerint vel non terminata; apud quem terminata fuerunt, est zelus pro bono et vero spirituali, vel pro justo et aequo, illi enim bonum fecerant propter bonum vel propter verum, et justum egerant propter justum aut aequum, non propter lucrum, honorem, et similia: omnes illi, apud quos voluntaria interiora terminata fuerunt, elevantur ad coelum, nam Divinum influens eos ducere potest; at omnes illi apud quos voluntaria interiora non terminata fuerunt, se ferunt in infernum, nam transfluit Divinum et vertitur in infernale, sicut cum solis calor incidit in foeda excrementa, unde putor graveolens: consequenter omnes illi qui conscientiam habuerunt, salvantur, at qui nullam habuerunt non salvari possunt. Tunc perforata seu non terminata dicuntur voluntaria, cum nulla est affectio boni et veri, aut justi et aequi, sed cum haec pro vili aut pro nihilo habentur respective, aut aestimantur solum captandi lucri aut honoris causa; affectiones sunt quae terminant et quae claudunt, quapropter etiam vocantur vincula, affectiones boni et veri vincula interna, et affectiones mali et falsi vincula externa, n: 3835; nisi affectiones mali et falsi forent vincula, insaniret homo, n: 4217, insaniae enim non aliud sunt quam solutiones talium vinculorum, ita non terminationes in illis; sed quia his non sunt vincula interna, ideo insaniunt intus quoad cogitationes et affectiones, moderantibus vinculis externis, quae sunt affectiones lucri, honoris, famae propter illa, et inde timores legis, et vitae, ne erumpant: hoc repraesentatum fuit in Ecclesia Judaica per quod „in domo mortui omne vas apertum, super quo non operculum panniculus, immundum esset," Num: XIX: 15: similia etiam per opera foraminosa significantur apud Esaiam „Erubescent facientes linum sericorum, et texentes *foraminosa opera;* et erunt fundamenta ejus contusa; omnes facientes mercedem stagna animae," XIX: 9. 10: et per foramina apud Ezechielem „Spiritus introduxit prophetam ad portam atrii, ubi vidit, cum ecce *foramen unum in pariete;* et dixit ad illum, *perfora age parietem, perforavit itaque parietem*, cum ecce ostium unum; tunc dixit ad

illum, intra et vide abominationes quas illi faciunt hic; cum intravit et vidit, ecce omnis effigies reptilis et bestiae, abominatio, et omnia idola domus Israëlis depicta super pariete circumcirca," seq: VIII: 7. 8. 9. 10.

5146. Et in canistro supremo, quod significet voluntarii intimum, constat ex significatione canistri, quod sit voluntarium, de qua supra n: 5144; et ex significatione supremi, quod sit intimum, de qua n: 2148. 3084. 4599: quod supremum sit intimum, est quia interiora apud hominem qui in spatio est, apparent ut superiora, et exteriora ut inferiora; at cum exuitur idea spatii, ut fit in coelo, et quoque in interiore cogitatione hominis, tunc exuitur idea alti et profundi, nam altum et profundum est ex idea spatii: imo in interiori coelo nec est idea interiorum et exteriorum, quia huic ideae etiam aliquid spatii adhaeret, sed est idea status perfectioris et imperfectioris, interiora enim in statu perfectiori sunt quam exteriora, quia interiora propiora sunt Divino, et exteriora remotiora inde; haec causa est, quod supremum significet intimum. Sed usque nullus capere potest, quid interius respective ad exterius, nisi sciat quomodo se habet cum gradibus, de quibus videatur n: 3691. 4154. 5114. 5145; homo de interiori et inde perfectiori non alium conceptum habet, quam qualem de puriori in continua diminutione; sed purius et crassius datur in uno et eodem gradu, tam secundum extensionem et compressionem, quam secundum determinationes, et quoque secundum insertiones homogeneorum, aut heterogeneorum; quia talis idea est de interioribus hominis, nequaquam aliter capi potest, quam quod exteriora cohaereant interioribus continenter, et sic prorsus unum agant; at si genuina idea de gradibus formatur, tunc capi potest, quomodo interiora et exteriora inter se distincta sunt, et quod ita distincta, ut interiora existere et subsistere possint absque exterioribus, at exteriora nullatenus absque interioribus; tum capi potest, quomodo se habet cum correspondentia interiorum in exterioribus, ut et quomodo exteriora repraesentare possunt interiora: illa causa est, quod Eruditi non nisi quam hypothetice de commercio animae et corporis disserere possint, imo etiam quod plures eorum credant in corpore vitam esse, et sic moriente corpore etiam quoad interiora propter cohaerentiam moritu-

ros, cum tamen solum exterior gradus est qui moritur, interiore tunc superstite et vivente.

5147. Ab omni cibo Pharaonis, quod significet plenum bono coelesti pro nutriendo naturali, constat ex significatione cibi, quod sit bonum coeleste, de qua sequitur; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit interius naturale, de qua n: 5080. 5095, et quoque naturale in communi, nam interius et exterius naturale unum faciunt, cum correspondent; et quia cibus est pro nutritione, significatur per ab omni cibo Pharaonis, plenum bono coelesti pro *nutriendo* naturali. Dicitur, quod in canistro supremo ille cibus esset, et per id significatur quod voluntarii intimum bono coelesti plenum esset; influit enim bonum a Domino per intimum hominis, et inde per gradus sicut scalae ad exteriora; intimum enim in perfectissimo statu est respective, quapropter illud immediate recipere potest bonum a Domino, non ita inferiora; si inferiora reciperent bonum a Domino immediate, vel obscurarent illud, vel perverterent, nam imperfectiora sunt respective. Quod influxum boni coelestis a Domino, et ejus receptionem, attinet, sciendum, quod voluntarium hominis recipiat bonum, et intellectuale ejus recipiat verum, et quod intellectuale nequaquam recipere verum possit, ut ei appropríetur, nisi simul voluntarium recipiat bonum, ita quoque vicissim; unum enim influit sic in alterum, et disponit alterum ad recipiendum; intellectualia comparari possunt formis quae continue variantur, et voluntaria harmoniis resultantibus ex variatione, consequenter vera possunt comparari variationibus, et bona jucundis inde; et quia cum veris et bonis eminenter ita quoque se habet, constare potest, quod unum dari absque altero nequeat, tum quod produci unum nisi per alterum [non] possit. Quod cibus significet bonum coeleste, est quia angelorum cibi non aliud sunt, quam bona amoris et charitatis, ex iis non modo vivificantur, sed etiam recreantur; bona illa actu seu exercitia imprimis sunt illis recreationi, sunt enim desideria eorum, quod desideria, quae actu obtinentur, recreationi et vitae sint, notum est: quod talia cedant nutritioni spiritui hominis, quando cibi materiales nutritioni ejus corpori, etiam constare potest ex eo, quod cibi absque jucundis parum conducant, sed cum jucundis nutriant, jucunda sunt quae aperiunt meatus seu du-

ctus qui recipiunt et devehunt in sanguinem, injucunda autem claudunt; jucunda illa apud angelos sunt bona amoris et charitatis, quae quod sint cibi spirituales, qui correspondent cibis terrestribus, inde concludi potest: sicut cibi sunt bona, ita potus sunt vera. In Verbo multis in locis nominantur cibi; qui sensum internum non novit, non aliter scire potest, quam quod ibi cibi vulgares intelligantur, sed sunt cibi spirituales; ut apud Jeremiam „Omnis populus gementes, *quaerentes panem*, dederunt desiderabilia sua *pro cibo, ad recreandum animam*," Thren: I: 11. Apud Esaiam „Omnis *sitiens* ite ad aquas, et cui non argentum, ite, emite, et *comedite*, et ite, emite sine argento, et sine pretio *vinum* et *lac*," LV: 1. Apud Joëlem „Propinquus dies Jehovae, et sicut devastatio a Fulminatore veniet; *nonne coram oculis nostris cibus excisus est;* e domo Dei nostri laetitia et gaudium: putrefacta sunt *grana* sub glebis suis, devastata sunt *horrea*, destructa sunt *granaria*, quia exaruit *frumentum*," I: 15. 16. 17. Apud Davidem „*Horrea nostra* plena, depromentia *de cibo ad cibum*, greges nostri milleni, et decies milleni in plateis nostris, non clamor in vicis nostris; beatus populus cui sic," Psalm: CXLIV: 13. 14. 15. Apud Eundem „Omnia Te exspectant, *ut des cibum eorum tempore suo*, das illis colligunt, aperis manum tuam, *saturantur bono*," Psalm: CIV: 27. 28; in his locis cibus coelestis et spiritualis in sensu interno intelligitur, cum in sensu literae cibus materialis; inde patet, quomodo sibi correspondent interiora et exteriora Verbi, seu quae inibi sunt spiritus et quae sunt literae, ut quod dum homo intelligit illa secundum sensum literae, angeli apud illum intelligant eadem secundum sensum spiritualem; ita Verbum conscriptum est, ut non modo generi humano, sed etiam coelo inserviat, quapropter omnes voces ibi sunt significativae rerum coelestium, et omnes res repraesentativae earum, et hoc usque ad minimam jotam. Quod cibus in sensu spirituali sit bonum, etiam Dominus manifeste docet, apud Johannem „*Operamini cibum*, non qui perit, sed *cibum* qui manet in vitam aeternam, quem Filius hominis vobis dabit," VI: 27. Apud Eundem „Caro mea est vere *cibus*, et sanguis meus est vere potus," VI: 55; Caro est Divinum Bonum, n: 3813, et sanguis est Divinum Verum, n: 4735. Et apud Eun-

dem „Jesus dixit discipulis, Ego *Cibum habeo quem edam*, quem vos nescitis; dicebant discipuli ad se invicem, num quis attulit Ipsi quod comederet; dicit illis Jesus, *Cibus meus est* ut faciam voluntatem Ipsius Qui misit Me, et perficiam Ipsius opus" IV: 32. 33. 34; facere voluntatem Patris, et perficere Ipsius opus, est Divinum Bonum actu seu exercitio, quod in genuino sensu est Cibus, ut supra dictum.

5148. Opere pistoris, quod significet secundum omnem usum sensualis, constat a significatione operis, quod sit secundum omnem usum, de qua sequitur; et ex significatione pistoris, quod sit sensuale parti voluntariae subjectum, de qua n: 5078. 5082: quod opus sit usus, est quia praedicatur de voluntario, seu de sensuali parti voluntariae subjecto, quicquid per id fit, et vocari potest opus, erit usus; omnia opera charitatis nec aliud sunt, nam opera charitatis sunt opera ex voluntate, quae usus.

5149. Et avis edens e canistro desuper capite, quod significet falsum ex malo quod consumeret, constat ex significatione avis, quod sint intellectualia, et quoque cogitationes, proinde quae inde sunt, nempe in genuino sensu vera cujusvis generis, et in opposito sensu falsa, de qua n: 40. 745. 776. 778. 866. 988. 3219; ex significatione edere, quod sit consumere, vox etiam edere in lingua originali denotat consumere; et ex significatione canistri, quod sit voluntarium, de qua n: 5144. 5146; hic malum ex voluntario, quia canistrum perforatum, n: 5145; inde sequitur, quod per avis edens e canistro desuper capite, significetur falsum ex malo quod consumeret. Est falsum duplicis originis, nempe falsum doctrinae, et falsum mali; falsum doctrinae non consumit bona, nam homo in falso doctrinae potest esse, et tamen in bono, inde est [31] quod salventur ab omni doctrina, etiam gentiles; at falsum mali est quod consumit bona, ipsum malum est oppositum bono, at per se non consumit bona, sed per falsum, nam falsum impugnat vera quae sunt boni, vera enim sunt quasi antemuralia intra quae bonum, per falsum antemuralia oppugnantur, quibus oppugnatis bonum devotioni datur. Qui non novit, quod aves significent intellectualia, non scire aliter potest, quam quod ubi aves nominantur in Verbo, sint vel aves quae intelliguntur, vel quod per aves fiant compa-

rativa qualia in communi sermone; quod aves sint illa quae intellectualium sunt, sicut cogitationes, ideae, ratiocinia, principia, proinde vera vel falsa, nemo scire potest quam ex sensu interno; sicut apud Lucam „ Regnum Dei simile est grano sinapis, quod accipiens homo projecit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, *ut aves coeli habitaverint in ramis ejus* " XIII: 19; avis coeli ibi pro veris. Apud Ezechielem „ Evadet in cedrum magnificam, et *habitabunt sub illa omnis avis cujuscunque alae*, in umbra ramorum illius habitabunt " XVII: 23; avis cujuscunque alae pro veris omnis generis. Apud Eundem „ Aschur cedrus in Libano, in ramis ejus nidificarunt *omnes aves coelorum*, et sub ramis ejus pepererunt omnis bestia agri, ac in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae " XXXI: 6; aves coelorum similiter pro veris. Apud Eundem „ Super ruina ejus habitabunt *omnis avis coelorum*, et super ramis ejus erunt omnis fera agri " XXXI: 13, avis coelorum pro falsis. Apud Danielem „ Nebuchadnezar videns in somnio, ecce arbor in medio terrae, sub illa umbram habebat bestia agri, et *in ramis ejus habitabant aves coeli* " IV: 7. 9. 11. 18, aves coeli etiam ibi pro falsis. Apud Jeremiam „ Vidi, cum ecce non homo, et *omnis avis coeli* avolarunt " IV: 25; non homo pro non bonum, n: 4287, aves coeli quae avolarunt, pro veris quod dissipata. Apud Eundem „ *Ab ave coelorum* usque ad bestiam, avolarunt, abiverunt " IX: 9, similiter. Apud Matthaeum „ Exivit seminans ad seminandum, et alia ceciderunt super viam duram, et *venerunt aves et comederunt* " XIII: 3. 4, ibi aves coeli pro ratiociniis, et quoque pro falsis: similiter in pluribus aliis locis.

5150. Et respondit Joseph et dixit, quod significet revelationem a perceptione a coelesti in naturali, constat ex significatione respondere et dicere, quod sit revelatio ex perceptione, de qua supra n: 5121; et ex repraesentatione Josephi quod sit coeleste in naturali, de qua n: 5086. 5087. 5106: quod Josephus hic sit coeleste in naturali, est quia de naturali agitur. Cum coelesti et spirituali ita se habet; ipsum coeleste et ipsum spirituale, quod in coelum a Divino Domini influit, habitat principaliter in interiori rationali, ibi enim formae perfectiores sunt et ad receptionem accommodatae; at usque coeleste et spirituale

a Divino Domini influit etiam in exterius rationale, et quoque in naturale, et hoc tam mediate quam immediate, mediate per interius rationale, et immediate ab ipso Divino Domini; quod immediate influit hoc disponit, et quod mediate [32] influit, hoc disponitur; ita in exteriori rationali, ac ita in naturali: inde constare potest, quid sit coeleste in naturali: Coeleste est a Divino Bono, et spirituale est a Divino vero, utrumque a Domino, quae cum in rationali sunt, dicuntur coeleste et spirituale in rationali, et cum in naturali dicuntur coeleste et spirituale in naturali. Per Rationale et Naturale, intelligitur ipse homo, quatenus formatus ad recipiendum coeleste et spirituale, sed per Rationale intelligitur Internum ejus, et per Naturale Externum; per influxum et secundum receptionem vocatur homo coelestis aut spiritualis, Coelestis si Divinum Domini Bonum recipitur in parte voluntaria, spiritualis si in parte *intellectuali*.

5151. Haec interpretatio ejus, quod significet quid in se haberet, constat ex significatione interpretationis, quod sit quid in se habeat, seu quid insit, de qua supra n: 5093. 5105. 5107.

5152. Tria canistra, quod significet voluntariorum successiva, constat ex significatione trium canistrorum, quod sint voluntariorum successiva, de qua supra n: 5144.

5153. Tres dies illa, quod significet usque ad ultimum, constat a significatione trium, quod sit una periodus et ejus continuum a principio ad finem, ita usque ad ultimum, de qua n: 2788. 4495. 5122.

5154. In adhuc tribus diebus, quod significet quod in ultimo, constat ex illis quae de significatione trium mox supra n: 5152, dicta sunt.

5155. Extollet Pharao caput tuum e super te, quod significet conclusum ex praeviso, constat ex significatione extollere caput, quod sit provisum et inde conclusum, seu conclusum ex proviso, de qua supra n: 5124, hic autem ex praeviso, quia sequitur, quod suspenderetur super ligno, per quod significatur rejectio et damnatio: causa quod conclusum ex praeviso, non autem ex proviso, significetur, est quia Providentia praedicatur de bono, at Praevidentia de malo, omne enim bonum influit a Domino, quapropter id providetur, at omne malum ab

inferno seu a proprio hominis quod unum facit cum inferno, quapropter id praevidetur; providentia circa malum non aliud est quam directio seu determinatio mali ad minus malum, et quantum possibile ad bonum, at ipsum malum praevidetur; hic itaque quia agitur de sensuali parti voluntariae subjecto, et ejus rejectione propter malum, est praevidentia quae significatur.

5156. Et suspendet te super ligno, quod significet rejectionem et damnationem, constat ex significatione suspendi super ligno, quod sit rejectio et damnatio; suspensio enim super ligno fuit maledictio, et maledictio est rejectio a Divino, consequenter damnatio; quod suspensio super ligno fuerit maledictio, constat apud Mosen „Cum fuerit in viro crimen judicii mortis, et occisus fuerit, *ita ut suspendas eum super ligno*, non pernoctabit cadaver ejus super ligno, sed sepeliendo sepelies eum in die eodem, nam *maledictio Dei suspensus:* quia non pollues terram, quam Jehovah Deus tuus daturus tibi haereditatem" Deut: XXI: 22. 23, quod non pernoctaret super ligno, significabat perpetuam rejectionem, in vespera enim inchoabat e novo dies, quapropter nisi ante vesperam rejecti fuissent qui suspensi, repraesentabatur quod malum non rejectum esset, consequenter quod terra non liberata ab illo, sed quod polluta, quapropter additur, non pollues terram quam Jehovah Deus tuus daturus tibi haereditatem: quod suspensi fuerint ad vesperam et non ultra, videatur Jos: VIII: 29. Cap: X: 26. Apud gentem Judaicam binae poenae principales fuerunt, Lapidatio et Suspensio, lapidatio fuit propter falsum, et suspensio super ligno propter malum, et hoc quia Lapis est verum, n: 643. 1298. 3720, et in sensu opposito falsum, ac lignum est bonum, n: 2784. 2812. 3720, et in opposito sensu malum; quare in Verbo prophetico aliquoties dicitur moechari cum lapide et ligno, et per id significatur perversio veri seu falsum, et adulteratio boni seu malum.

5157. Et edet avis carnem tuam e super te, quod significet quod falsum mali consumet, illa quae sunt istorum sensualium, constat ex significatione edere, quod sit consumere, de qua supra n: 5149; ex significatione avis, quod sit falsum, de qua etiam supra n: 5149; ex significatione carnis, quod sit bonum, de qua n: 3812. 3813, inde in opposito sensu malum,

pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, qui cognoscitur ex significatione eorum in sensu genuino; et ex significatione super te, quod sit ex sensualibus parti voluntariae subjectis, nam haec per pistorem repraesentantur, n: 5078. 5082, quae quod mala fuerint, et ideo rejicienda, ex illis quae praecedunt, constat. Quomodo cum his se habet, nempe quod sensualia parti intellectuali subjecta, quae per pincernam repraesentantur, retenta fuerint, et quod sensualia parti voluntariae subjecta, quae per pistorem repraesentantur, rejecta fuerint, est arcanum, quod absque illustratione non comprehendi potest; sint autem alicui elucidationi haec; per sensualia intelliguntur illa scientifica et illa jucunda, quae insinuata sunt per quinque sensus externos seu corporis, in hominis memoriam et in ejus concupiscentias, et quae simul constituunt naturale exterius, ex quo homo appellatur homo sensualis; scientifica illa subjecta sunt parti intellectuali, at jucunda parti voluntariae, se quoque scientifica illa referunt ad vera quae intellectus, et jucunda illa ad bona quae voluntatis, illa sunt quae per pincernam repraesentantur et retenta sunt, haec autem quae per pistorem et rejecta sunt; quod illa retenta fuerint, est quia ad tempus concordare potuerunt cum intellectualibus, at quod haec rejecta fuerint, est quia nullatenus concordare potuerunt; voluntarium enim in Domino, de Quo in sensu interno supremo agitur, a conceptione fuit Divinum, et fuit ipsum Divinum Bonum, voluntarium autem per nativitatem a matre fuit malum, quapropter hoc rejiciendum erat, et novum loco ejus comparandum ex Divino Voluntario per Intellectuale, seu ex Divino Bono per Divinum Verum, ita ex propria potentia: hoc arcanum est, quod in sensu interno hic describitur.

5158. Vers: 20. 21. 22. 23. *Et factum in die tertio, die nasci Pharaonis, et fecit convivium omnibus servis suis, et extulit Caput principis pincernarum, et caput principis pistorum, in medio servorum suorum. Et reduxit principem pincernarum super propinationem suam, et dedit scyphum super volam Pharaonis. Et principem pistorum suspendit quemadmodum interpretatus illis Joseph. Et non recordatus princeps pincernarum Josephi, et oblitus ejus.* Et factum in die tertio, significat in ultimo: die nasci Pharaonis, significat cum regeneraretur na-

turale: et fecit convivium omnibus servis suis, significat initiationem et conjunctionem cum exteriori naturali: et extulit caput, significat secundum provisum et praevisum: principis pincernarum et caput principis pistorum, significat de sensualibus utrique parti, intellectuali et voluntariae, subjectis: in medio servorum suorum, significat quae inter illa quae in exteriori naturali; et reduxit principem pincernarum super propinationem suam, significat quod sensualia partis intellectualis recepta et subordinata sint: et dedit scyphum super volam Pharaonis, significat et inservientia interiori naturali: et principem pistorum suspendit, significat quod sensualia partis voluntariae rejecta: quemadmodum interpretatus illis Joseph, significat praedictionem a coelesti in naturali: et non recordatus princeps pincernarum Josephi, significat quod nondum omnimoda conjunctio cum coelesti naturalis: et oblitus ejus, significat remotionem.

5159. Et factum in die tertio, quod significet in ultimo, constat ex significatione diei tertii, quod sit status ultimum, dies enim est status, n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850, et tertius est completum, ita ultimum, n: 1825. 2788. 4495; per status ultimum intelligitur cum prior status desinit, et novus inchoat; novus status apud hominem qui regeneratur inchoat, cum vertitur ordo, quod tunc fit quando interiora dominium accipiunt super exteriora, et exteriora servire interioribus incipiunt tam quoad intellectualia quam quoad voluntaria; hoc apud illos, qui regenerantur, appercipitur ex eo quod aliquid intus dissuadeat ne sensuales jucunditates et voluptates corporeae aut terrestres regnent, et in suas partes ad confirmandum trahant intellectualia, cum hoc fit, est status prior in suo ultimo, et status novus in suo primo; tale significatur per in die tertio. Apud unumquemvis hominem, sive regeneratur sive non regeneratur, existunt status mutationes, et quoque inversiones, sed aliter apud illos qui regenerantur, et aliter apud illos qui non regenerantur; apud illos qui non regenerantur, fiunt mutationes seu inversiones illae ex causis in corpore, et propter causas in vita civili; causae in corpore sunt cupiditates quae aetate accedunt et aetate decedunt, tum reflexiones super sanitatem corporis et vitam in mundo longaevam; causae in vita civili sunt refraenationes cupiditatum apparentes externae, impri-

mis ad captandum famam ut videatur sapiens et amans justi et boni, sed propter finem aucupandi honores et lucra: at apud illos qui regenerantur, fiunt mutationes aut inversiones illae propter causas spirituales, quae procedunt ex ipso bono et justo, quibus cum homo incipit affici, tunc in fine prioris status est, et in principio novi. Sed pauci scire possunt, quomodo cum his se habet, quapropter illustrandum exemplo; qui non regenerari se patitur, is amat illa quae corporis sunt propter corpus, non autem propter alium finem; et quoque mundum propter mundum, non altius vadit, quia illa quae altiora seu interiora sunt, corde negat; at qui regeneratur, is quoque amat illa quae corporis sunt, ut et quae mundi sunt pariter, sed propter finem altiorem seu interiorem, amat enim illa quae corporis sunt propter finem ut mens sana sit in corpore sano, et amat mentem suam et ejus sanitatem propter finem adhuc interiorem, ut nempe sapiat bonum et intelligat verum; amat etiam illa quae mundi sunt pariter, ac alii, sed propter finem ut per mundum, ejus opes, possessiones, honores, sit in mediis exercendi bonum et verum, ac justum et aequum: ab hoc exemplo sciri potest, qualis unus et qualis alter, et quod in externa forma similes appareant, sed quod in interna prorsus dissimiles sint; ex his etiam constare potest, quaenam et quales causae sunt, quae faciunt status mutationes et inversiones apud illos qui non regenerantur, et apud illos qui regenerantur; et inde quoque sciri potest, quod apud regeneratos interiora dominentur super exteriora, at apud non regeneratos exteriora super interiora; fines qui apud hominem, sunt qui dominantur, nam fines sibi subordinant et subjiciunt omnia quae in homine; ipsissima ejus vita non aliunde est quam ex fine, quia finis est semper ejus amor.

5160. In die nasci Pharaonis, quod significet cum regeneraretur naturale, constat ex significatione nasci, quod sit regenerari, de qua sequitur; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit interius naturale, de qua n: 5080. 5095, hic naturale in communi, quia interius naturale et exterius unum agunt per correspondentiam apud regeneratos. Quod nasci sit regenerari, est quia in sensu interno spiritualia intelliguntur, et spiritualis nascentia est regeneratio, quae etiam renascentia dicitur; quapropter cum in Verbo dicitur nativitas, in coelo non alia nati-

vitas intelligitur, quam quae fit per aquam et spiritum, hoc est, per fidem et charitatem, nam per id quod renascatur seu regeneretur, homo fit homo, et prorsus distinguitur a brutis, tunc enim fit filius et haeres Regni Domini: quod per nativitates, quae memorantur in Verbo, significentur nativitates spirituales, videatur n: 1145. 1255. 3860. 3868. 4070. 4668.

5161. Et fecit convivium omnibus servis suis, quod significet initiationem et conjunctionem cum exteriori naturali, constat ex significatione convivii, quod sit initiatio ad conjunctionem, de qua n: 3832, et quod quoque conjunctio per amorem et appropriatio, n: 3596; et ex significatione servorum, quod sint illa quae exterioris naturalis sunt; nam cum regeneratur homo, tunc inferiora subordinantur et subjiciuntur superioribus, seu exteriora interioribus, exteriora tunc fiunt servi, et interiora domini; talia per servos in Verbo significantur, videatur n: 2541. 3019. 3020; sed tales servi fiunt, quales amantur a Domino, est enim mutuus amor qui conjungit, qui facit ut non appercipiatur ut servitus, sed sicut obsequium ex corde, influit enim bonum ab interiori, quod facit ibi tale jucundum. Convivia olim fiebant ob varias causas, significabatur per illa initiatio in amorem mutuum, et sic conjunctio; etiam fiebant diebus nativitatis, et per illa tunc repraesentabatur nascentia e novo seu regeneratio, quae est conjunctio interiorum cum exterioribus apud hominem per amorem, consequenter conjunctio coeli cum mundo apud illum, nam mundanum seu naturale apud hominem conjungitur tunc cum spirituali et coelesti.

5162. Et extulit caput, quod significet provisum, et praevisum, constat ex significatione extollere caput, quod sit conclusum ex proviso, et quoque ex praeviso, de qua supra n: 5124. 5155, provisum respective ad sensuale parti intellectuali subjectum, et retentum ut bonum, quod per pincernam repraesentatur, et praevisum respective ad sensuale parti voluntariae subjectum, et rejectum ut malum, quod per pistorem repraesentatur; bonum enim providetur, et malum praevidetur, quia omne bonum est a Domino, et omne malum ab inferno, seu a proprio hominis; quod proprium hominis non nisi quam malum sit, videatur n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044. 1047. 1581. 3812 f. 4328.

5163. Principis pincernarum, et caput principis pistorum, quod significet de sensualibus utrique parti, intellectuali et voluntariae, subjectis, constat ex repraesentatione pincernae, quod sit sensuale parti intellectuali subjectum, de qua n: 5077. 5082; et a repraesentatione pistoris, quod sit sensuale parti voluntariae subjectum, de qua n: 5078. 5082.

5164. In medio servorum suorum, quod significet quae inter illa quae in exteriori naturali, constat ex significatione in medio, quod sit inter illa; et ex significatione servorum, quod sint illa quae in exteriori naturali, de qua mox supra, n: 5161: servi in Verbo vocantur omnia quae infra sunt, et inde subordinata et subjecta superioribus, sicut illa quae sunt naturalis exterioris, seu sensualia ibi, respective ad interius naturale, etiam ea quae sunt hujus naturalis dicuntur servi respective ad rationale; et consequenter omnia et singula apud hominem, aeque ejus intima quam extima, respective ad Divinum, nam hoc supremum est. Servi hic, in quorum medio Pharao rex judicium fecit super pincernam et pistorem, fuerunt principes aulici et magnates; quod hi similiter ac alii subditi, ex quacunque conditione, respective ad regem dicantur servi, sicut fit in omni regno etiam hodie, est causa, quia Regium repraesentat Dominum quoad Divinum Verum, n: 2015. 2069. 3009. 3670. 4581. 4966. 5068, ad Quem respective, ex quacunque conditione sint, omnes aeque servi sunt; imo in Regno Domini seu Coelo, illi qui ibi maximi sunt, hoc est, qui intimi, sunt servi prae aliis, quia illi in maxima obedientia sunt, et prae reliquis in humiliatione; sunt enim illi qui intelliguntur per minimos qui maximi, et per novissimos qui primi „Primi erunt novissimi, et *novissimi erunt primi,*" Matth: XIX: 30. Cap: XX: 16. Marc. X: 31. Luc: XIII: 30. „Qui *minimus* inter omnes vos existit, is erit *magnus*," Luc: IX: 48. tum per magnos qui ministri, et per primos qui servi „Quisquis voluerit esse magnus inter vos, erit *minister* vester; et quicunque voluerit vestrum esse *primus*, erit omnium *servus*," Marc: X: 44. Matth: XX: 26. 27; servi dicuntur respective ad Divinum Verum quod a Domino, et ministri respective ad Divinum Bonum ab Ipso; causa quod novissimi qui primi sint servi prae aliis, est quia sciunt, agnoscunt, et percipiunt, quod omne vitae, proinde quod omne potestatis

quae illis, sit a Domino, et prorsus nihil a semet; at qui hoc non percipiunt, quia non ita agnoscunt, sunt quoque servi, sed plus agnitione oris quam cordis: qui autem in contrario sunt, illi se quoque servos seu famulos respective ad Divinum vocant, sed usque volunt esse domini, indignantur enim et irascuntur si Divinum illis non favet et quasi obedit, et tandem contra Divinum sunt, et tunc Divino omnem potentiam derogant, et sibi omnia tribuunt; plerique tales sunt intra Ecclesiam, qui negant Dominum, et dicunt se agnoscere unum Ens supremum.

5166. Et reduxit principem pincernarum super propinationem suam, quod significet quod sensualia partis intellectualis recepta et subordinata sint, constat ex repraesentatione principis pincernarum, quod sint in genere sensualia parti intellectuali subjecta, de qua supra; et a significatione reducere super propinationem suam, quod sit redigere in ordinem sub intellectuali; quod reducere super stationem, sit redigere in ordinem ut ultimo loco sint, videatur n: 5125, hic super propinationem, quia propinatio, et quae propinationis sunt, sicut vinum, mustum, sicera, aqua, praedicantur de illis quae sunt intellectus, ut quoque potatio et bibitio, n: 3069. 3168. 3772. 4017; exinde patet, quod per reducere principem pincernarum super propinationem suam, sit sensualia partis intellectualis redigere in ordinem, ita recipere et subordinare: recipiuntur et subordinantur sensualia illa, cum ministrant, et pro mediis inserviunt interioribus, tam ad producendum in actum, quam ad videndum intus; homo enim in sensualibus quae exterioris naturalis sunt, videt interiora, paene quemadmodum videt affectiones in facie, et interiores adhuc in oculis; absque interiore tali facie, seu absque tali plano, homo in corpore nullatenus de illis quae supra sensualia sunt, cogitare potest, videt enim illa ibi, sicut cum homo in alterius facie videt affectiones et cogitationes, non attendendo ad ipsam faciem; et quoque sicut cum audit alterum loquentem, non attendens ad voces sed ad sensum loquelae, ipsa loquela vocum est planum in quo ille sensus est: similiter se habet cum exteriori naturali, nisi hoc inserviret interioribus pro plano, in quo sicut in speculo interiora se videant, nullatenus homo cogitare posset; quapropter hoc planum primum formatur, nempe ab infantia; sed haec ignota sunt, quia illa quae

interius apud hominem existunt, absque interiore reflexione non patent. Quale exterius naturale est, hoc patet manifeste in altera vita; nam facies spirituum et angelorum formata est ex illo, et secundum illud; in luce coeli per illam faciem elucent interiora, imprimis intentiones seu fines; si amor in Dominum, et charitas erga proximum formaverant interiora, tunc inde est splendor in facie, et ipsa facies est amor et charitas in forma; at si amor sui et mundi, ac inde odia, vindictae, crudelitates, et similia formaverant interiora, tunc inde est diabolicum in facie, et ipsa facies est odium, vindicta et crudelitas in forma: inde constare potest, quid et cui usui est exterius naturale, et quale est cum subjectum est interioribus, et quale cum interiora ei subjecta sunt.

5166. Et dedit scyphum super volam Pharaonis, *quod significet* et inservientia interiori naturali, constat ex *illis quae* supra n: 5126, dicta sunt, ubi similia verba.

5167. Et principem pistorum suspendit, quod significet quod sensualia partis voluntariae rejecta, constat etiam ex illis, quae supra n: 5156, explicata sunt, ubi quoque similia.

5168. Quemadmodum interpretatus illis Josephus, quod significet praedictionem a coelesti in naturali, constat ex significatione interpretari, quod sit dicere quid in se habeat, seu quid insit, tum quid contingeret, de qua n: 5093. 5105. 5107. 5141, ita praedicere; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste in naturali, de qua n: 5086. 5087. 5106. Quomodo cum his se habeat, quod nempe sensualia partis intellectualis retenta sint, et sensualia partis voluntariae rejecta, videatur supra n: 5157. Agitur in hoc Capite in sensu interno de subordinatione exterioris naturalis, quod subordinandum ob causam, ut inserviat interiori naturali pro plano n: 5165, nisi enim id subordinatur, interiora vera et bona non habent ubi repraesentari possunt, consequenter non cogitationes interiores quae spirituale et coeleste in se habent, nam ea sistuntur ibi sicut in sua facie, aut sicut in speculo; quare cum nulla subordinatio est, homo nullam cogitationem interiorem potest habere; imo nec ullam fidem, est enim nulla comprehensio remota seu eminens, et inde nulla apperceptio talium: quod naturale subordinat et ad correspondentiam redigit, est unice bonum in quo innocen-

tia, quod bonum in Verbo vocatur Charitas; sensualia et scientifica sunt solum media, in quae bonum illud influat, et se sistat in forma, seque ad omnem usum explicet; at scientifica, etiamsi forent ipsa vera fidei, absque bono illo in illis, non aliud sunt quam squamae inter sordes, quae decidunt: sed quomodo exteriora in ordinem, et ad correspondentiam cum interioribus per bonum mediis scientificis et veris fidei rediguntur, est hodie remotius a captu quam fuerat olim, et hoc ex pluribus causis, imprimis ex eo quod hodie intra Ecclesiam nulla amplius sit charitas, est enim ultimum Ecclesiae tempus, proinde nec ulla est affectio sciendi talia; quapropter aversationis quid illico obvenit, cum aliquid dicitur quod intra seu supra sensualia est, consequenter cum aliquid ex talibus, quae Angelicae sapientiae sunt, depromitur: sed quia in sensu interno talia sunt, quae enim in sensu interno sunt adaequata sunt angelicae sapientiae, et quia Verbum quoad sensum internum nunc explicatur, usque dicenda sunt, utcunque apparitura sint a sensuali remota.

5169. Et non recordatus princeps pincernarum Josephi, quod significet quod nondum omnimoda conjunctio cum coelesti naturalis, constat ex significatione recordari seu meminisse Josephi, quod sit fidei receptio, de qua supra n: 5130, consequenter etiam conjunctio, quia media fide fit conjunctio, hic itaque non recordatus, est quod nondum omnimoda conjunctio; et ex repraesentatione principis pincernarum, quod sit sensuale partis intellectualis; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste naturalis, de quibus supra.

5170. Et oblitus ejus, quod significet remotionem, constat ex significatione oblivisci, cum non recordari est non conjunctio, quod sit remotio, nam secundum non conjunctionem, fit remotio; quod oblivioni datur, hoc etiam removetur: se quoque ita cum sensualibus parti intellectuali subjectis habet, quae retinentur, non ideo conjunguntur, nam nondum pura sunt a fallaciis, sed sicut purificantur ita conjunguntur. Ast de his in Capite sequente, ubi de pincerna quod recordatus sit Josephi.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, hic de Correspondentia Viscerum interiorum cum illo.

5171. *Ad quas Provincias pertinent Societates angelicae, sciri potest in altera vita ex situ illarum respective ad humanum corpus, tum quoque ex operatione et influxu illarum, nam influunt et operantur in id organum et in id membrum, in quo sunt; at influxus et operatio illarum non percipi potest ab aliis quam qui in altera vita sunt, et non ab homine, nisi apud quem aperta sunt interiora eo usque, et ne quidem ei nisi a Domino detur reflexio sensitiva, cui adjuncta sit perceptio.*

5172. *Sunt quidam Spiritus probi, qui cogitant non per meditationem, et inde cito et quasi ex non praemeditato enuntiant quae cogitationi obveniunt; est illis perceptio interior, quae non ita visualis facta est per meditationes et cogitationes, sicut apud alios, nam in progressu vitae instructi sunt quasi a semet de bonitate rerum, et non ita de veritate earum. Quod tales ad provinciam* Glandulae Thymi *pertineant, mihi indicatum est; Thymus enim est glandula, quae imprimis inservit infantibus, et in aetate illa mollis est; apud tales etiam est molle infantile remanens, in quod influit perceptio boni, ex qua elucet communiter verum: hi in magnis turbis possunt esse, et usque non turbari, sicut etiam glandula illa.*

5173. *Sunt in altera vita perplures modi Vexationum, et quoque perplures modi inaugurationum in gyros; Vexationes illas repraesentant sanguinis, tum seri aut lymphae, ut et chyli purificationes in corpore, quae quoque fiunt per varias castigationes; et inaugurationes illas in gyros repraesentant introductiones illorum fluidorum postea ad usus: communissimum est in altera vita, quod postquam vexati sunt spiritus, dein in statum tranquillum et jucundum mittantur, proinde in societates quibus inaugurandi et adjungendi. Quod Castigationes et purificationes sanguinis, seri et chyli, tum quoque alimentorum in ventriculo, correspondeant talibus in spirituali mundo, non potest non apparere sicut alienum illis, qui nihil aliud quam naturale in naturalibus cogitant, et magis qui id credunt,*

sic negantes quod aliquid spirituale insit vel inesse possit quod agit et regit; cum tamen ita se res habet, quod in omnibus et singulis quae in natura et tribus ejus regnis sunt, intrinsecus sit agens ex spirituali mundo, tale nisi inde inesset, nihil prorsus in naturali mundo ageret causam et effectum, proinde nec aliquid produceret; id quod e spirituali mundo in naturalibus inest, vocatur vis insita a prima creatione, at est conatus, quo cessante cessat actio seu motus; inde est, quod universus mundus aspectabilis sit theatrum repraesentativum mundi spiritualis. Similiter se habet hoc, sicut motus musculorum, unde actio, nisi ei insit conatus ex cogitatione et voluntate hominis, momento cessaret, nam secundum regulas in orbe erudito notas est, quod cessante conatu cesset motus, tum quod in conatu sit omne determinationis, ut et quod in motu nihil reale existat quam conatus; quod vis illa seu conatus ille in actione seu motu spirituale sit in naturali, liquet, nam cogitare et velle est spirituale, at agere et moveri est naturale; qui non ultra naturam cogitant, hoc ne quidem capiunt, sed usque non negare possunt: Ast id quod in voluntate et inde in cogitatione est quod producit, non est simile in forma cum actione quae producitur, actio enim solum repraesentat id quod mens vult et cogitat.

5174. *Quod alimenta seu cibi in ventriculo multis modis vexentur, ut eliciantur eorum interiora, quae cedant usui, nempe quae abeant in chylum, et dein in sanguinem, notum est, etiam quod dein in intestinis; tales vexationes repraesentantur per primas vexationes spirituum, quae omnes fiunt secundum vitam eorum in mundo, ut separentur mala, et colligantur bona, quae cedant usui; quapropter de animabus seu spiritibus, aliquantum post decessum seu solutionem a corpore, dici potest, quod quasi primum in regionem Ventriculi veniant, et ibi vexentur et purificentur; apud quos mala praedominium obtinuerunt, illi postquam incassum vexati sunt, per ventriculum feruntur in Intestina, et usque ad ultima, nempe ad Colon et Rectum, et inde excernuntur in latrinam, hoc est, in infernum: at apud quos bona praedominium habuerunt, illi post aliquot vexationes et purificationes fiunt chylus, et abeunt in sanguinem, quidam per longiorem viam, quidam per brevio-*

rem, et quidam vexantur ruditer, quidam leniter, et quidam vix quicquam; hi qui vix quicquam, repraesentantur in ciborum succis, qui statim imbibuntur a venis, et feruntur in circulum, usque in cerebrum, et sic porro.

5175. *Cum enim homo moritur, et in alteram vitam ingreditur, se habet vita ejus sicut cibus qui a labiis molliter excipitur, et dein per os, fauces, oesophagum, in ventriculum derivatur, et hoc secundum indolem tractam in vita corporis per actualitates; plerique principio leniter tractantur, nam tenentur in consortio angelorum et spirituum bonorum, quod repraesentatur in cibis quod a labiis primum molliter tangantur, et dein gustentur a lingua quales sunt; cibi qui molles sunt, in quibus dulce, oleosum et spirituosum, statim excipiuntur a venis, et deferuntur in circulum; at cibi qui duri, in quibus amarum, tetrum, parum nutritivum, domantur durius, demittuntur per oesophagum in ventriculum, ubi variis modis et torturis castigantur; qui adhuc duriores, tetriores, et steriliores sunt, detruduntur in intestina, et tandem in rectum, ubi primum infernum, et demum ejiciuntur, et fiunt excrementa: convenienter se habet vita hominis post mortem; primum tenetur homo in externis, et quia in externis vitam civilem et moratam egerat, cum angelis et spiritibus probis est, at postea externa ei auferuntur, tunc patet qualis fuerat intus quoad cogitationes et quoad affectiones, et tandem quoad fines, secundum hos manet vita ejus.*

5176. *Quamdiu in illo statu sunt, in quo sicut sunt alimenta seu cibi in ventriculo, tamdiu non sunt in Maximo Homine, sed introducuntur, at cum repraesentative in sanguine sunt, tunc in Maximo Homine sunt.*

5177. *Illi qui multum solliciti fuerunt de futuris, et magis qui ideo tenaces et avari facti sunt, apparent in regione ubi ventriculus; plures apparuerunt mihi ibi: sphaera vitae eorum comparari potest nidori nauseabundo qui exhalatur e ventriculo, et quoque gravedini ex indigestione; qui tales fuerunt, diu morantur in hac regione, nam sollicitudo de futuris actu confirmata influxum vitae spiritualis multum hebetat et retardat, sibi enim tribuunt quod Divinae Providentiae est, et qui*

hoc faciunt, obstant influxui, et removent a se vitam boni et veri.

5178. *Quia sollicitudo de futuris est, quae anxietates apud hominem facit, et quia tales spiritus apparent in regione ventriculi, inde est quod anxietates prae caeteris visceribus afficiant ventriculum: et quoque datum appercipere, quomodo anxietates illae auctae et diminutae fuerunt secundum illorum spirituum praesentiam et remotionem; quaedam anxietates perceptae sunt interius, quaedam magis exterius, quaedam superius et quaedam inferius, secundum differentiam talium sollicitudinum quoad origines, derivationes, et determinationes. Inde quoque est, cum tales anxietates occupant animum, quod regio circum ventriculum constringatur, et quandoque dolor ibi appercipiatur, tum quod anxietates inde appareant assurgere; et inde quoque est, cum homo non amplius sollicitus est de futuris, aut cum omnia ei bene cedunt, ut amplius non timeat alicujus infortunii, quod regio circum ventriculum libera sit, et expansa, et quod ei jucundum.*

5179. *Quondam anxium appercepi in inferiore parte ventriculi, ex quo mihi constabat, quod adessent tales spiritus; loquutus cum illis, dicendo, quod praestet ut recedant, quia sphaera illorum, quae inducit anxietatem, non convenit sphaeris illorum spirituum qui apud me sunt: tunc sermo fuit cum illis de sphaeris, quod nempe sphaerae spirituales quamplurimae circum hominem sint, et quod homines non sciant nec scire velint quod sint, ex causa quia negant omne id quod vocatur spirituale, et quidam quicquid non videtur et tangitur; ita quod sphaerae aliquae e spirituali mundo sint circum hominem, ejus vitae convenientes, et quod homo per sphaeras illas in societate sit cum spiritibus similis affectionis, et quod inde plurima existant, quae homo, qui naturae omnia tribuit, vel negat, vel occultiori naturae adscribit; sicut pro exemplo, id quod fortunae adscribitur, quidam enim per experientiam prorsus persuasi sunt, quod aliquid occulte operans sit, quod vocatur fortuna, sed non sciunt unde; quod tale sit ex sphaera spirituali, et quod sit ultimum Providentiae, alibi, ex Divina Domini Misericordia, ex testato per experientiam dicetur.*

5180. *Sunt genii et spiritus, qui capiti inducunt speciem*

suctionis seu attractionis, taliter ut locus ubi talis attractio seu suctio existit, doleat; sensus manifestus suctionis apperceptus est, sicut assugeretur membrana ad plenum sensum, alii num potuerint sustinere prae dolore, ambigo, sed quia assuefactus hoc tandem absque dolore saepius sustinui; praecipuus suctionis locus fuit in vertice capitis, et inde se propagavit versus regionem auris sinistrae, tum versus regionem oculi sinistri; quae versus oculum, fuit a spiritibus, quae versus aurem fuit a geniis; hi et illi sunt, qui ad provinciam CISTERNAE *et* ductuum Chyli *pertinent, quo etiam chylus ab undequaque attrahitur, tametsi etiam simul impellitur. Praeterea alii erant, qui agebant intus in Capite, paene similiter, sed non cum tali suctionis vi; dictum quod illi sint, quibus correspondet* chylus *subtilis, qui adducitur versus cerebrum, et ibi commiscetur novo spiritui animali, ut demandetur versus cor. Qui extrinsecus agebant, mihi primum visi sunt a parte anteriore* paulo *sinistrorsum, postea ibi superius, sic ut regio eorum* observata *sit a plano septi narium versus planum auris sinistrae assurgendo. Qui illam provinciam constituunt, sunt duplicis generis, quidam satis modesti sunt, quidam petulantes; modesti sunt, qui desideraverunt scire cogitata hominum, ob finem alliciendi et devinciendi illos sibi, qui enim cogitata alterius scit, is arcana ejus, et interiora, quae faciunt ut conjungantur, finis est conversatio et amicitia, hi solum bona desiderant scire, et explorant, et reliqua bene interpretantur: at petulantes, cupiunt et student pluribus modis expiscari aliorum cogitata, fine vel lucrandi vel nocendi, et quia in tali cupiditate et studio sunt, alterius mentem detinent in re quam scire volunt, non recedendo, adjungendo etiam assensus ex affectione, sic attrahentes cogitationes etiam arcanas; similiter agunt in altera vita in societatibus ibi, et adhuc solertius, ibi nec sinunt divagari alterum a sua idea, quam etiam accendunt, et sic eliciunt; inde postea tenent illos quasi in vinculis, et sub arbitrio, quia conscii malorum: sed hi spiritus sunt inter vagabundos, et saepius castigantur.*

5181. *Ex gyris etiam aliquantum cognosci potest, ad quamnam provinciam in Maximo Homine, et correspondenter in corpore, spiritus et angeli pertinent; gyri eorum, qui ad*

provinciam Lymphaticorum *pertinent, sunt tenues et citi, sicut aqueum leniter fluens, sic ut vix aliqua gyratio appercipi queat. Qui ad Lymphatica pertinent, postea feruntur in loca, quae dixerunt referre* Mesenterium, *dictum mihi quod ibi sint quasi labyrinthi; et quod inde dein auferantur ad varia loca in Maximo Homine, ut inserviant usui, sicut chylus in corpore.*

5182. *Sunt gyri in quos spiritus recentes inaugurari debent, ob causam ut interesse queant aliorum consortiis, et cum illis simul et loqui et cogitare, omnium concordia et unanimitas erit in altera vita, ut unum sint, sicut omnia et singula in homine, quae tametsi varia sunt ubivis, usque tamen per unanimum faciunt unum, similiter in Maximo Homine, ob illum finem concordabit unius cogitatio et loquela cum aliorum: fundamentale est, ut cogitatio et loquela in se apud unumquemvis in societate concordet, alioquin appercipitur discors sicut molestus stridor, qui mentes aliorum ferit; omne etiam discors est disuniens, et est impurum, quod rejiciendum; hoc impurum ex discordia repraesentatur per impurum apud sanguinem et in sanguine, a quo defaecandus; defaecatio illa fit per vexationes, quae non aliud sunt quam tentationes varii generis, et postea per introductiones in gyros; prima introductio in gyros, est ut accommodari possint simul; altera est ut cogitatio et loquela concordent; tertia est, ut conveniant mutuo inter se quoad cogitationes et quoad affectiones; quarta est, ut conveniant in veris et bonis.*

5183. *Datum est appercipere gyros illorum, qui ad provinciam* Hepatis *pertinent, et hoc per tempus horarium; gyri erant lenes, circumfluendo varie secundum illius visceris operationem, afficiebant me multa delectatione; operatio eorum est diversa, sed est communiter orbicularis: quod operatio eorum sit diversa, repraesentatur quoque in functionibus Hepatis, quod diversae sint, Hepar enim adducit sanguinem, et illum separat, meliorem infundit venis, mediae sortis amandat in ductum hepaticum, et vilem relinquit vesicae fellis; ita in adultis; sed in embryonibus recipit Hepar sanguinem ab utero matris, ac purificat, puriorem insinuat venis, ut per viam breviorem influat in cor, agit tunc custodias ante cor.*

5184. *Qui ad* Pancreatem *pertinent, agunt per modum*

acutiorem, et quasi per modum serrationis, etiam cum tali murmure, ipsum murmur sonore ad aures spirituum pervenit, non autem ad hominis, nisi is in spiritu sit cum in corpore; regio eorum est inter regionem Lienis et Hepatis, sinistrorsum magis. Qui in Provincia LIENIS *sunt, paene directe supra caput sunt, sed operatio eorum cadit illuc.*

5185. *Sunt spiritus qui referunt* Ductum pancreaticum, hepaticum, et cysticum, *consequenter biles quae in illis, quas intestina ejiciunt: sunt spiritus illi distincti inter se, sed in consortio agunt secundum statum eorum ad quos determinatur operatio: illi imprimis adsistunt castigationibus et punitionibus, quas volunt dirigere; qui eorum pessimi sunt, tam contumaces sunt, ut nusquam velint desistere, nisi per timores et minas deterreantur, timent enim supplicia, et tunc promittunt omnia. Sunt illi, qui in vita corporis tenaciter inhaeserant suis opinionibus, non ita ex malo vitae, quam* ex pravitate *naturali: Cum in statu suo naturali sunt, tunc nihil cogitant, nihil cogitare est obscure de pluribus simul et nihil distincte de aliquo; delectationes eorum sunt castigare, et sic bonum facere; nec abstinent a sordibus.*

5186. *Qui constituunt provinciam* Vesicae felleae, *a tergo sunt; sunt qui in vita corporis contemserunt probum, et quodammodo pium; et quoque qui affecerunt illa probro.*

5187. *Quidam spiritus ad me venit, quaerens num scirem, ubi is morari posset, existimavi quod esset probus, cumque ei dicerem, quod hic fortassis posset, venerunt spiritus vexatores hujus provinciae, et eum misere vexabant, quod dolui, et incassum volui inhibere; animadverti tunc quod essem in provincia Vesicae fellis; spiritus vexatores fuerunt ex illis qui contemserunt probum et pium. Unum genus vexationis ibi observare datum est, erat coactio ad loquendum citius quam cogitatur, quod faciebant per abstractionem loquelae a cogitatione, et tunc per coactionem sequendi eorum loquelam, quod fit cum dolore: per talem vexationem inaugurantur tardi ad citius cogitandum et loquendum.*

5188. *Sunt quidam in mundo, qui per artificia et mendacia agunt, unde mala; ostensum mihi quales sunt, et quomodo agunt, per quod innocuos adhiberent pro ministeriis per-*

suadendi, tum per quod inducerent personas quod ita dixerint, cum tamen de illa re nihil dixerunt; verbo malis mediis utuntur ad finem quemcunque perveniendi; media sunt dolosa, mendacia et artificiosa; tales referunt vitia, quae vocantur spuria tubercula, *quae innasci solent Pleurae ac aliis membranis; quae, ubi irradicantur, vitia late spargunt, ita ut tandem totam membranam labefactent. Tales spiritus severe puniuntur, poena eorum est diversa a poenis aliorum, fit per circumrotationes, circumrotantur a sinistro ad dextrum, sicut orbita primum plana, quae in circumrotando extuberat, dein apparet tuberositas deprimi et cava fieri, augetur tunc celeritas; mirum, quod hoc ad formam et imitamen talium tuberositatum seu apostematum: observatum est, quod in circumrotatione conati sint attrahere in suam rotam, ita in perniciem, alios, utplurimum insontes, ita quod illis nihil curae fuerit quemcunque in perditionem trahere, dum ii perire sibi videntur. Observatum etiam, quod intensissimum visum habeant, in instanti quasi pervidendo, et sic arripiendo pro mediis quae favent, ita quod sint acutiores reliquis; possunt etiam vocari Ulcera mortifera, ubicunque sunt in Camera pectoris, ibi vel in Pleura, vel in Pericardio, vel in Mediastino, vel in Pulmone. Ostensum, quod tales post poenam rejiciantur ad tergum, in profundum, et quod ibi jaceant facie et ventre deorsum, cum pauco vitae humanae, perspicacia sua, quae fuit vitae ferinae, sic privati: infernum eorum est in profundo loco sub pede dextro paulo antrorsum.*

5189. *Venerunt spiritus antrorsum, et ante adventum eorum appercepta est Sphaera ex malis, putabam inde quod venturi spiritus mali, sed erant eorum hostes; quod hostes eorum essent, comperiebam ex molesto et inimico, quod inspirabant contra illos; cum veniebant, ponebant se super caput, et alloquebantur me, dicendo, quod homines sint, respondebam quod non homines sint praediti corpore quali homines in mundo, qui se solent ex corporis forma homines appellare; at usque quod homines sint, quia Spiritus hominis est vere homo; ad haec non appercepi renuentiam, quia confirmabant: dicebant porro, quod homines sint dissimiles, hoc quia mihi impossibile visum, quod nempe societas dissimilium in altera vi-*

ta detur, quare loquebar cum illis de eo, dicendo, si causa communis ageret eos ad unum, quod usque consociari possent, quia sic unus omnibus finis: dixerunt, quod tales sint, ut quisque loquatur aliter, et tamen omnes simile cogitent; quod etiam illustrabant per exempla, per quae apparuit quod omnium perceptio esset una, sed loquelae diversae. Applicabant se dein Auri meae sinistrae, et dicebant quod boni spiritus essent, et quod eorum sit ita loquendi: dicebatur de illis, quod congregatim veniant, et quod non sciatur unde sunt. Sphaeram malorum spirituum percepi illis maxime infestam, mali enim sunt subjecta, quos vexant. Societas eorum, quae vagabunda, repraesentata est per virum et foeminam in camera, in vestitu qui vertebatur in togam caerulei coloris. Perceptum quod illi referrent ISTHMUM *in Cerebro, qui inter Cerebrum et Cerebellum est, per quem fibrae transeunt, et inde varie effunduntur, et quocunque vadunt aliter in externis agunt: tum quod referant* GANGLIA *in corpore, in quae influit nervus, et inde in plures fibras divaricatur, quarum quaedam feruntur huc quaedam illuc, et in ultimis dissimiliter agunt, at usque ab uno principio, ita in ultimis dissimiliter quoad apparentiam, tametsi similiter quoad finem; notum etiam est, quod una vis agens in extremis multifariam variari possit, et hoc secundum formam ibi. Fines repraesentantur quoque per principia ex quibus fibrae, qualia sunt in Cerebro; cogitationes inde repraesentantur per fibras ex principiis illis; et actiones inde per nervos qui ex fibris.*

5190. *Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, ad finem Capitis sequentis.*
